or Synopsis

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

AUCTORE

AD. TANQUEREY

COOPERANTIBUS

E.-M. QUÉVASTRE ET L. HÉBERT.

EDITIO TERTIA



Typis Societatis Sancti Joannis Evangel.

Desclée & Socii

ROMÆ — TORNACI (Belg.) — PARISIIS

1919

ANGELICO DOCTORI

SCHOLARUM THEOLOGICARUM PATRONO

QUI AD ERUDITIONEM INCIPIENTIUM

THEOLOGIÆ COMPENDIUM

SCRIBERE NON DUBITAVIT

BREVIOREM HANC SYNOPSIM

AUCTORES HUMILLIME DEDICABANT

Nova editio Brevioris Synopsis Dogmaticæ et Moralis (1919)
auctoribus Ad. TANQUEREY,
E. M. QUÉVASTRE et L. HÉBERT.

Nihil obstat.
A. BERRUÉ.

IMPRIMATUR :
Parisiis, die 6a Aprilis 1919.
† LEO-ADOLPHUS CARD. AMETTE
Arch. Paris.

Nihil obstat.
V. CANTINEAU Can., Cens. libr.

IMPRIMATUR.
Tornaci, die 14 Augusti 1919.
† A. M. Epũs Tornacen.

PROPOSITUM DECLARATUR

Breviori synopsi morali jam benigno favore exceptæ *Breviorem synopsim dogmaticam* adjungimus ut morem geramus multorum exspectationi. Ad quod præstandum nobis sane animum addiderunt præclarissima exempla SS. Augustini suum *Enchiridion*, Thomæ *Compendium theologiæ*, Bonaventuræ *Breviloquium* conscribentium, quorum vestigiis, a longe tamen, insistere tentavimus.

Nobis enim persuasum est hujusmodi compendium alicujus emolumenti fore sive seminariorum alumnis, sive sacerdotibus curam animarum agentibus : his ad citiùs et exactiùs in memoriam revocanda dogmata quibus informentur mentes puerorum et fidelium, illis ad facilius discernenda doctrinæ principaliora capita eaque sedulius memoriæ commendanda. Omnes verò, hâc prælibatione Theologiæ inescati ac præparati, promptos sese sentient ad evolvenda et perlegenda egregia theologorum volumina quæ tantas afferunt delicias et utilitates.

Huic elaborandæ *Synopsi* concordi animo studuerunt *L. Hébert* pro parte *apologeticâ*, *E. M. Quévastre* pro parte *proprie dogmaticâ*, et *Ad. Tanquerey* pro *utrâque*, aliorum etiam professorum consiliis haud parum adjuti.

AUCTORES.



MONITUM IN TERTIAM EDITIONEM

Sævâ hostium industriâ penitus destructis omnibus nostri operis exemplaribus, necesse fuit, non obstantibus hodiernis angustiis, novam editionem hujus *Brevioris Synopsis theologiæ dogmaticæ* statim publici juris facere, iis tantum mutatis quæ ex *Codice* et recentioribus decretis reformanda erant.

Monemus autem benevolos lectores sex volumina *Synopsis theologiæ dogmaticæ et moralis* jam sub prælo esse, ut redeuntes e bello clerici mox eis uti valeant.

Auctores.

INDEX ANALYTICUS

PARS PRIOR.

Introductio in Theologiam.

TRACTATUS I. DE VERA RELIGIONE.

TRACTATUS II. DE ECCLESIA CHRISTI.

TRACTATUS III. DE FONTIBUS REVELATIONIS.

PARS ALTERA.

Theologia specialis.

TRACTATUS IV. DE FIDE.

TRACTATUS V. DE DEO UNO.

TRACTATUS VI. DE DEO TRINO.

TRACTATUS VII. DE DEO CREANTE ET ELEVANTE.

TRACTATUS VIII. DE VERBO INCARNATO ET REDEMPTORE.

TRACTATUS IX. DE GRATIA.

TRACTATUS X. DE SACRAMENTIS.



PROŒMIUM.[1]

1. Theologia supernaturalis **definiri** potest : *Scientia quæ revelationis et rationis ope disserit de Deo et creaturis quatenus ad Eum referuntur.*

2. Ratione *methodi*, theologia potest esse : **a**) *positiva*, quæ singulas veritates credendas e fontibus revelationis eruit, exponit, et demonstrat argumentis ex Scripturâ et Traditione desumptis; **b**) *scholastica*, quæ dogmata fidei scientifice et philosophice scrutatur, eorum sensum clarius definiendo, conclusiones aperiendo, nexum qui inter veritates revelatas existit ostendendo, easdem cum ratione conciliando et in unum corpus doctrinæ coadunando; **c**) *mixta*, quæ methodum tum positivam tum scholasticam harmonice consociat. Hæc a *Pio X* commendatur, et nobis sequenda est in toto hujus operis decursu.

3. **Dividitur** theologia in *dogmaticam* et *moralem*. Dogmatica circa veritates credendas versatur, et dicitur *regula credendorum*, — Moralis circa agenda, et dicitur *regula agendorum*.

Theologia dogmatica dividitur in **generalem**, quæ tres Tractatus complectitur, *Tr. de Verâ Religione*, *de Ecclesiâ Christi*, *de Fontibus Revelationis*, et **specialem**, quæ singula dogmata exponit.

Theologia generalis
- De verâ Religione.
- De Ecclesiâ Christi.
- De fontibus Revelationis.

Theologia specialis
- De Fide.
- De Deo uno.
- De Deo trino.
- De Deo Creante et Elevante.
- De Verbo Incarnato.
- De Deo Sanctificante
  - per gratiam.
  - per sacramenta.
- De Deo Consummatore.

[1] Plenior doctrinæ explicatio, ac variorum auctorum consulendorum recensio invenientur in *Syn. maj.*, n. 1-12. In *Breviori Synopsi* unum tantum vel alterum librum de unâquâque quæstione indicabimus.



PARS PRIOR.

Theologia generalis
SEU
Introductio in Theologiam.

Cùm pars prior complectatur veritatis catholicæ demonstrationem, quæ dicitur **Apologetica**, de eâ pauca prænotemus oportet.

PROLEGOMENA IN APOLOGETICAM.

I. NOTIO APOLOGETICÆ[1].

4. Theologia fundamentalis, seu Introductio in theologiam duas habet partes, priorem *apologeticam*, posteriorem *dogmaticam*.

5. **Apologetica** est *scientia motivorum credibilitatis*. Differt ab *apologiis* quæ sunt defensiones dogmatum singulatim sumptorum, quia positive credibilitatem totius Revelationis demonstrat.

Ejus scopus est ostendere veritatem religiosam esse *credibilem fide divinâ* quia de facto revelata est a Deo, et ita hominem ad fidem præparare. Fides, de quâ agitur, non est scientia, aut opinio, aut sensus religiosus, sed firma mentis adhæsio quâ credimus ea quæ a Deo revelata sunt propter auctoritatem ipsius Dei revelantis qui nec falli, nec fallere potest[2]. Apologetica ex se non sufficit ad gignendam fidem, nam fides est primario donum Dei,

---

[1] *Syn. maj.*, n. 14, 30-42. Cf. GARDEIL, *La Crédibilité et l'Apologétique.*

[2] *Vaticanum*, sess. III, cap. 3 de Fide, DENZINGER-BANNWART, n. 1789.

et supponit bonam voluntatem : ergo ut quis ad fidem ducatur, præbenda sunt ei motiva credibilitatis, et simul movendus est ut humiliter Deum deprecetur, ac toto corde nitatur percipere valorem argumentorum quibus constat doctrinam Christi posse et debere ut a Deo revelatam accipi.

Apologetica includit *Tr. de Verâ Religione*, et primam partem *Tr. de Ecclesiâ Christi.*

II. HISTORIA APOLOGETICÆ[1].

6. Apologetæ *varia adhibuerunt argumenta* secundum varias adversariorum impugnationes, diversamque mentem eorum quorum conversio exoptabatur.

A) *Methodus apologetica Patrum.*

7. Inter Patres nominandi sunt : II° sæculo, *S. Justinus*, *Min. Felix*, *Tertullianus.* Calumnias paganorum repellunt, et veritatem christianæ religionis demonstrant ex ejus antiquitate, excellentiâ, prophetiis in Christo impletis, et miraculis a Christo editis.

Tertio sæculo, in scholâ Alexandrinâ, *Clemens*, qui habet philosophiam velut pædagogum ad Christum, — *Origenes* qui contra Celsum pugnavit.

Quarto sæculo *Lactantius*, — *S. Augustinus* qui Providentiæ divinæ vias scrutatur in opere *De Civitate Dei.*

B) *Methodus apologetica Scholasticorum.*

Contra Averroïstas, *S. Thomas* veritates philosophicas et theologicas lucide exponit, solideque probat; in *Summâ Theologicâ*, concordiam dogmatum cum ratione præclare declarat.

C) *A tempore reformationis ad sæc. XIX.*

Bossuet, in opere *Discours sur l'Histoire universelle*, ostendit interventum Dei in ortu, progressu, diffusione et duratione christianismi. — *Huet*, in *Demonstratione Evangelicâ*, divinitatem religionis christianæ ex prophetiis diserte probat.

Pascal, in opere quod complere nequivit *Les Pensées*, ostendit religionem solam posse explicationem afferre nobili-

[1] *Syn. maj.*, n. 42-90.

tatis simul et miseriæ humanæ naturæ, quin tamen prætermittat argumenta externa divinæ revelationis, scilicet prophetias et miracula. Nimis indulget pessimismo et fideismo.

D) *Methodus adhibita sæc. XIX.*

8. *Châteaubriand*, divinitatem christianæ religionis poetice ostendit in *Le Génie du Christianisme; F. de Lamennais*, indifferentismum impugnat in *Essai sur l'Indifférence*, vim humanæ rationis nimis deprimendo; — *Frayssinous*, in *Conférences*, et *Aug. Nicolas*, in *Etudes philosophiques sur le Christianisme*, criteriis internis simul et externis veritatem religionis christianæ demonstrant; *Balmès*, in *Le Protestantisme comparé au Catholicisme dans ses rapports avec la civilisation européenne*, probat catholicismum, sub respectu sociali, Protestantismo multum præstare.

Lacordaire Ecclesiam contemplatur cujus auctoritatem doctrinalem, et efficaciam eloquenter exponit; ascendit ad ejus fundatorem Christum cujus divinitatem probat ipsius testimonio. Denique cetera dogmata declarat horum convenientiam cum ratione patefaciens. — Sequitur methodum socialem et psychologicam.

Ozanam mirabiles effectus religionis christianæ in ordine intellectuali et morali evolvere cœpit, in opere *Histoire de la Civilisation au Ve siècle*, etc.

Brugère traditionalem methodum nostris temporibus accommodavit.

Bougaud necessitatem religionis methodo quam vocat intimâ probat.

Card. Dechamps duplici facto innititur, interno, scilicet necessitate quam sentimus alicujus auctoritatis cui plane fidere possimus in rebus religiosis, — et externo, i. e., existentiâ Ecclesiæ catholicæ quæ auctoritatem infallibilem sibi vindicat.

Newman ostendit religionem christianam esse conformem religioni naturali quam veram esse conscientia testatur, addit argumenta historica quibus seorsim sumptis non inest nisi valor probabilis. — Non negat credibilitatem revelationis solidis argumentis niti, sed exponit quâ viâ ad fidem ipse pervenit.

E) *De præcipuis methodis hodiernæ Apologeticæ.*

9. 1° Alii methodum traditionalem sequuntur, v.g., *de Broglie*, qui criteriis internis et externis addit argumentum *transcendentiæ*, quo apparet Christianismum, ceteris religionibus comparatum, has omnes ita superare excellentiâ doctrinæ,

sanctitate fundatoris, realitate et numero miraculorum ut ejus divinitatem agnoscere debeamus.

2° Alii novas methodos quas efficaciores existimant proposuerunt.

a) *Ollé-Laprune* ostendit christianismum esse necessarium ad vitæ intellectualis et moralis rectam institutionem, simulque monet certitudinem in rebus religiosis non haberi absque perfectâ sinceritate et rectâ voluntate.

b) *Fonsegrive* docet vitam integram et perfectam non obtineri sine religione christianâ quæ sola potest implere desideria multa nostræ naturæ; adjungit hanc religionem signa divinitatis haud incerta præ se ferre, nempe miracula.

c) *Brunetière* putat fidem esse rationabilem quia homo, conscius suæ impotentiæ ad inveniendam regulam morum, percipit obligationem credendi tanquam conditionem vitæ recte ordinandæ, ordinisque socialis promovendi. — In hoc systemate, plus æquo deprimitur humana ratio quæ, teste Vaticano, motiva credibilitatis certa præbet.

10. 3° Alii tandem *methodum immanentiæ* propugnant : ita *M. Blondel*, *Laberthonnière*, *Mano*, *Tyrrell*, aliique non pauci, aliter tamen et aliter.

Sic procedit Blondel. Non ab extrinseco imponi potest religio, sed ostendendum est supernaturale, etsi humanæ naturæ indebitum, aliquo modo tamen *postulari ab intrinseco*, ad perfectam evolutionem nostrarum facultatum, ita ut illud amplecti teneamur. Actio hominis non potest perfectionem suam adipisci absque cooperatione et auxilio Entis Infiniti, et in ordine supernaturali : quibus positis, manet ut historice factum revelationis demonstretur.

Animadvertendum est hanc methodum non prohiberi, modo debitis adhibeatur limitibus[1], scilicet : a) hæc methodus ex se non sufficit ad probandum *factum* Revelationis absque argumentis historicis; — b) nec absoluta, sed moralis tantum est necessitas revelationis alicujus; — c) nec supernaturale proprie dictum vere exigitur a naturâ humanâ.

His excessibus vitatis, methodus immanentiæ *viam parare* potest historicæ demonstrationi, ac opus utile perficere, sed

[1] In Litt. Encyc. *Pascendi*, reprehenduntur catholici homines qui " quamvis *immanentiæ* doctrinam ut doctrinam rejiciunt, eâ tamen pro apologesi utuntur; idque adeo incauti faciunt, ut in naturâ humanâ non capacitatem solùm et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetæ catholici, opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed *germanam, verique nominis exigentiam.*" — A fortiori damnantur " qui integralistæ appellari queunt : ii *homini nondum credenti ipsum germen in ipso latens* demonstrari volunt, *quod in Christi conscientiâ fuit atque ab eo hominibus transmissum est.*" (DENZINGER-BANNWART, n. 2103).

non omnibus mentibus accommodatur : nam multi non experiuntur in se has nobiles aspirationes quas Blondel in suo opere suggerit.

III. De Certitudine morali in Apologeticâ[1].

11. Notio. Certitudo in genere est *firma mentis adhæsio alicui cognoscibili sine errandi formidine.* In omni certitudine verâ excluditur dubium, et habetur positiva ac firma mentis adhæsio.

In rebus quæ ad mores pertinent certitudo non acquiritur absque concursu rectæ voluntatis, ex quo dicitur certitudo proprie *moralis.*

Certitudo proprie moralis definiri potest : " *Firma mentis adhæsio veritatibus* (historicis aut metaphysicis) *in vitam moralem influentibus*, quæ datur *sub influxu dispositionum moralium* et *cum voluntatis concursu :* non tamen eo sensu quod hæ dispositiones et voluntatis concursus vicem supplent motivorum, quippe quæ sint *per se* sufficientia ". In eâ inveniuntur duo elementa certitudinis veræ, nempe exclusio dubii et firma mentis adhæsio, ac proinde accurate distinguenda est a certitudine practicâ de quâ agitur in *Tr. de Conscientiâ.*

12. Objectum. Morali certitudine tenentur in primis 1) veritates ordinis moralis quibus assentimur propter testimonium divinum aut humanum; 2) veritates metaphysicæ quæ ad mores recte instituendos conferunt, quales sunt existentia legis moralis, Dei existentia ejusque circa homines Providentia, animæ humanæ spiritualitas, et immortalitas[2].

13. Causæ. Multæ sunt causæ quæ, præter motiva intellectualia, sæpe intellectum juvant ad assentiendum, scilicet : 1) innata propensio ad credendum ea quæ nobis proponuntur, 2) imaginatio, quæ, similitudinum ope, veritatem lucidiorem efficit, 3) varii motus passionum, quatenus veritatem delectabiliorem reddunt, 4) experientia intima, 5) voluntas ipsa quæ studium promovet, necnon consensum totius mentis præbet veritati ab intellectu

[1] *Syn. maj.*, n. 17-29.
[2] Cf. Ollé-Laprune, *La Certitude morale.*

cognitæ, et quandoque etiam juvat assensum intellectûs veritati jam apprehensæ ut veræ, removendo videlicet obstacula quæ ex inordinatis propensionibus oriuntur.

His causis determinatus intellectus sæpe adhæret veritati quam percipit imperfecte, et ita explicari possunt fides (les croyances) multorum tum in rebus metaphysicis, tum in rebus moralibus et religiosis[1].

Ne sub influxu harum causarum intellectus ad falsum inclinetur, requiruntur: 1) *motiva ordinis intellectualis* quorum vis percipiatur, et 2) *dispositiones morales*, videlicet **a**) mens sana, neque scepticismo debilitata, neque præjudiciis deformata, **b**) passionum mortificatio, præsertim voluptatis et superbiæ, **c**) veritatis amor sincerus.

14. **Legitimitas.** Præfatæ dispositiones objectivo valori certitudinis moralis minime nocent, quia eo solùm tendunt ut *amoveantur obstacula* quæ veritatem obnubilarent, et *habeatur illa facultatum rectitudo* quâ aptæ fiunt ad veritatem tuto perspiciendam[2]. Nec imperio voluntatis vis infertur intellectui, cùm assensus non detur nisi adsint motiva intellectualia quæ veritatem objectivam demonstrent.

15. **Convenientia.** Illa certitudo, quæ est certitudo vere et proprie dicta, *sola quærenda est in Apologeticâ :* objectum enim hujus scientiæ maxime ad mores attinet cùm versetur circa religionem, et argumenta sumuntur vel ex aspirationibus mentis quas experiri potest nemo non bene morigeratus, vel ex factis historicis quæ sine probitate accipi nequeunt.

Sed omnino convenit hanc evidentiam solam requiri in rebus religiosis quæ omnibus obviæ esse debent et in primis iis qui bonâ voluntate gaudent. Præterea, fides libera esse debet, et ideo religio niti debet argumentis quidem in se validis[3], sed non necessario cogentibus assensum intellectûs statim ac proponuntur.

---

[1] Cf. HARENT, in *Dict. de Théol. Cath.* (*Vacant-Mangenot*) voce *Croyance.*

[2] Cf. OLLÉ-LAPRUNE, l. c., p. 413-414.

[3] Damnata est in *Decreto Lamentabili* prop. 25. " Assensus fidei ultimò innititur in congerie probabilitatum ". (DENZINGER-BANNWART, n. 2025).

TRACTATUS I.

DE VERÂ RELIGIONE[1].

16. Scopus. Existentiam factorum religiosorum nemo est hodie qui negare possit. — Sed putant multi religiones omnes ex instinctu cæco quem vocant " sensum religiosum " ortas esse, variasque formas induisse juxta gradum evolutionis uniuscujusque populi, ac mox abolendas esse.

Quærendum ergo manet num revera *Religio aliqua sit homini necessaria*, quibusnam *signis* dignosci possit vera Religio, et *quænam sit illa vera Religio* ab omnibus amplectenda.

Nemo non videt momentum hujus quæstionis : agitur enim de fine nostro ultimo, et de rectâ ordinatione totius vitæ nostræ : quod valde nostrâ interest.

Divisio. In primo capite, de religione **in genere** agemus, nempe de ejus *notione* et *necessitate*, necnon de religionis *revelatæ* conceptu, necessitate et discernibilitate; in secundo, de religione **christianâ**, cujus divinitatem demonstrabimus *intrinsece*, ex ejus doctrinæ supereminentiâ, *extrinsece* seu *historice*, et *comparative* ex eo quod ceteras religiones transcendit.

CAPUT I.

De Religione in genere.

Art. I. De Conceptu et Necessitate Religionis.

§ I. De Conceptu Religionis[2].

17. Definitio. De etymologiâ vocis " *Religio* ", non concordant auctores : — alii a relegendo, alii a reeligendo, vel religando, eam venire autumant.

---

[1] Brugère, De *Verâ Religione;* Mazzella, De *Religione et Ecclesiâ;* Wilmers, De *Religione Revelatâ;* Pesch, De *Christo legato divino;* Ottiger, *Theologia fundamentalis* I, aliique quos in *Syn. maj.* recensemus.

[2] *Syn. maj.*, n. 95-107. Cf. Abbé de Broglie, *Religion et Critique*, p. 3-105.

Quidquid est de origine vocis, Religio, si *a priori spectatur* ut ordo hominis ad Deum, tria complecti debet : a) *dogmata*, seu doctrinam de Ente Supremo i. e. de Deo, ejusque perfectionibus, necnon de homine qui ab eo procedit et ad eum reverti tenetur; b) *regulam morum*, seu viam qua homo libere ad finem sibi a Deo impositum graditur; c) *cultum* quo homo supremum Dei dominium propriamque dependentiam sponte profitetur.

Si *a posteriori*, nempe ex diligenti observatione factorum religiosorum infertur notio religionis, eadem elementa in ejus conceptu reperimus.

Si sumitur *objective*, potest ergo **definiri** : *Complexus veritatum et officiorum quibus vita nostra in Deum ordinatur.*

Si sumitur *subjective*, est *voluntaria mentis dispositio quâ homo, sciens aliquod esse Numen Supremum, inclinatur ad exhibendum ei cultum propter ejus excellentiam et dominium.* — Supponit quidem actum intellectûs, sed primario consistit in voluntatis dispositione imperante actus diversos quibus officia erga Deum implemus, v. g., adorationem, gratiarum actionem, petitionem, pænitentiam, imo et amorem.

18. Divisio. *Duplex* concipi potest religio : a) *naturalis*, quæ in ipsâ rerum naturâ fundatur, solius rationis ope sine revelationis lumine comparari potest, et ad finem naturalem tendit; b) *supernaturalis*, quæ revelatione positivâ manifestatur, continet dogmata et præcepta expressâ Dei voluntate manifestata, et ad finem supernaturalem ducit.

§ II. Religionis alicujus necessitas[1].

19. Status quæstionis. Necessitatem alicujus Religionis negant Athei, Materialistæ, Positivistæ, Agnostici, Pantheistæ, et sectatores Indifferentismi absoluti. — Contra quos sequentem thesim statuemus.

Thesis : *Singulis hominibus inest obligatio moralis religionem profitendi*, i. e., Deum agnoscendi tanquam principium a quo pendemus eique cultum exhibendi.

---

[1] *Syn. maj.*, n. 109-149.

Thesis *duplici argumento* probatur, *historico-psychologico*, et *metaphysico*. Prius *viam parat* demonstrationi, ostendendo *directe* hominem indigere religione, — et *indirecte* obligari ad cultum Deo reddendum; — posterius *directe* ipsam *obligationem demonstrat*.

I. *Argumento historico-psychologico probatur necessitas Religionis.*

Argumenta ex *historiâ* et *psychologiâ* petita ad unum reducuntur, quia uno eodemque facto nituntur, scilicet inclinatione religiosâ naturæ humanæ, consideratâ tum in genere humano *collective* sumpto, tum in *singulis* hominibus, et ad eamdem ducunt conclusionem.

1° Facta religiosa exponuntur[1].

20. Factum religiosum esse *universale* nemo inter eruditos hodie negat aut negare potest. Tum apud populos quorum historia cognoscitur, tum apud incultas tribus quæ dicuntur *Primitivi*, invenitur aliquis cultus religiosus : ubique reperiuntur dogmata, saltem fides in existentiam alicujus Numinis, homini superioris, de homine curantis, eique nocere aut prodesse valentis, quod proinde debet placari, adorari, ac propitium reddi, — ubique dantur præcepta moralia quæ, licet in multis diversa, prohibent semper impietatem erga Deos et parentes, necnon injustitiam erga ceteros homines, — ubique dii coluntur ritibus minutim determinatis qui scrupulose observandi sunt.

21. Quo melius intelligatur natura hujus facti religiosi pauca breviter referemus de religione 1° primitivorum, 2° Gentium Extremi Orientis, 3° Orientis, 4° Occidentis.

a) *Primitivi* admittunt dependentiam hominis ab Ente supremo quod omnia fecit; existentiam spirituum et animæ humanæ immortalis; distinctionem boni et mali moralis; habent ritus, sacrificia, ceremonias, quæ ut obligatoria agnoscunt.

[1] Huby, *Christus, Manuel d'histoire des Religions*, Paris, Beauchesne, 1912; Bricout, *Où en est l'histoire des Religions*, Paris, Letouzey, 1912. Alia opera nuper conscripta de historiâ Religionum tum apud Catholicos, tum apud Liberales et Rationalistas indicantur in *Maj. Synopsi*, p. 68 et seq.

b) *Inter Gentes Extremi Orientis :* 1) *Sinenses* triplicem habebant cultum, teste Confucio, scilicet Entis supremi, geniorum qui per orbem mira operantur, et majorum qui post mortem geniis annumerantur. 2) *Indi* antiqui Brahmanismum profitebantur qui continetur in vetustissimis libris dictis *Vedas :* divinitatem concipiebat, obscure tamen, ut Ens superius cui sacrificia offerebantur. — In *Neo-Brahmanismo populari* crevit deorum numerus pluribus capitibus et brachiis ornatorum; ethica ascetismum rigidum docet, simul et bacchanalia impura promovet. — Sæculo VI ante Christum, ortus est *Buddhismus*, de quo postea. 3) *Persæ et Medi* religionem Zoroastri sequebantur quæ duplex agnoscit principium, boni scilicet et lucis, mali et tenebrarum, utrumque æternum et independens. Deus purus colendus est, ideoque non solum actiones, sed verba et cogitationes pura esse debent.

c) *In Oriente :* 1) *Semitæ*, id est, Assyrii et Babylonii, Chananæi, Aramæi, Arabes, Edomitæ, Moabitæ, Ammonitæ (de Israelitis infra dicetur), Ens aliquod Supremum admittebant quod vocabant *El*, seu *Il;* postea tamen Baalim, Moloch et Astaroth multiplicati sunt quibus diversa sacrificia offerebantur. 2) *Ægyptii* antiqui notionem habebant unius Supremi Numinis, invisibilis, cui additi sunt dii varii, Ra, Thot, Osiris. Animalia ipsa adorata sunt. Floruit etiam apud Ægyptios cultus mortuorum.

22. d) In *Occidente :* 1) a *Græcis* colebantur *Zeus*, divum pater atque hominum rex, providus, ad quem alii dii recursum habere debebant, — et simul vires naturæ et viri eminentissimi seu heroes. Cultus familialis et nationalis erat. 2) *Romani* antiquitus Janum venerabantur quem principium omnium rerum habebant; postea, Græciâ captâ, Græcorum deos adoraverunt. Religiosissimi erant Romani, tum in familiâ cui præerant Lares et Penates, tum in gente quæ cultum gentilicium celebrabat, tum in civitate quæ suos habebat lares, Romulum et Remum, suum Numen Vestam cui speciale templum dedicabatur in quo ignis sacer perpetuo a virginibus accensus servabatur. 3) *Galli*, tempore Cæsaris, erant polytheistæ; cultus a Druidis perficiebatur. 4) *Scandinavi* tres præcipuos habebant deos, quibus adjungebantur deæ, et multi dii secundarii, quibus sacrificia etiam humana a sacerdotibus offerebantur. 5) *Germani* Numen supremum in sylvis colebant quod neque picturis neque statuis repræsentabant, et præterea eosdem fere deos ac Scandinavi. Multæ superstitiones atque magicæ artes necnon impuri atque crudeles ritus cultum religiosum deturpabant.

2° Facta religiosa breviter explicantur.

23. Dicimus : *Ex historiâ religionum merito infertur religionem ita esse naturæ humanæ connaturalem ut neces-*

saria dicenda sit, scilicet necessaria est homini in eo sensu quod homo totâ suâ naturâ rationali movetur ad reddendum cultum Enti Supremo cujus existentiam quasi sponte cognoscit.

Quod duplici modo probabimus : 1) confutando hypotheses adversariorum, 2) veram solutionem statuendo.

24. A) *Rejiciuntur hypotheses falsæ aut incompletæ.* Tres præcipuæ hypotheses proponuntur ab adversariis :

a) *Positivistæ* docent *ignorantiam legum* naturæ esse causam conceptûs Entis Supremi cui redditur cultus. Religio scilicet progressivâ evolutione varias formas induit, naturismum, animismum, fetichismum, idololatriam, polytheismum, et ultimo loco monotheismum, qui et ipse mox prælucente Scientiâ evanescet.

Quæ hypothesis : 1) historice nonnullis factis contraria apparet, v. g., permanentiæ facti religiosi præsertim apud doctissimos homines; 2) impar est explicandis fructibus moralibus ideæ religiosæ, — imo et notionibus cuique religioni essentialibus, v.g., notionibus juris, officii, obligationis moralis.

25. b) *Psychologistæ* putant religiosum sensum e *subconscientiâ* oriri in quibusdam circumstantiis, et primùm esse quamdam emotionem religiosam; ex hâc autem emotione intellectus paulatim quosdam conceptus eruit secundum ideas jam acquisitas; ita modo immanenti obtinetur conceptus divinitatis, qui postea, pro variis experientiis religiosis subjecti, legibus evolutionis subjacet. Cui hypothesi favent *Modernistæ.*

Hæc hypothesis non explicat ea quæ sunt sensûs religiosi distinctiva : nam incertum remanet quid sit subconscientia, quomodo emotio proprie religiosa surgat e subconscientiâ hominis, et quidem in omnibus temporibus et locis, ac semper sit occasio creandi conceptum Entis Supremi cui debeatur cultus [1].

26. c) *Sociologistæ* dicunt religionem oriri e quodam sensu *dependentiæ a collectivitate* quæ concipitur a rudibus tanquam Ens quoddam Superius religiose colendum.

Hæc explicatio insufficiens est, nam societas dat notio-

[1] Cf. MICHELET, *Dieu et l'agnosticisme contemporain*, p. 154-182.

nem vis coercitivæ, non autem obligationis moralis[1]. Præterea *totemismus*, cui innititur hæc explicatio, non est factum universale nec penitus exploratum, et jam a multis non habetur ut prima forma socialis Religionis.

27. *Concludendum est* ergo has hypotheses *non sufficere* ad explicandam originem ipsius Religionis. Concedimus tamen adversarios facta multa collegisse quibus ostenditur quam multum conferant ad conservandam Religionem phænomena extraordinaria naturæ, sensus religiosus et societas humana.

28. B) *Causa facti religiosi vera in homine toto*[2] *quærenda est :* in *intellectu*, qui sponte assurgit ad causam sui ipsius et totius mundi primariam, cujus conceptum postea ratiocinatio explicita perficit; in *voluntate*, quæ quærit bonum quod nonnisi in Ente Infinito invenit; in *sensibilitate*, quæ variis affectibus ad Ens Supremum intellectu cognitum et voluntate quæsitum fertur. — Ita homo, totus quantus est, in Deum enititur, ideoque religione seu divino cultu eget. Quod paulo fusius declarare oportet e psychologicâ analysi aspirationum animæ humanæ.[3]

29. a) *Intellectûs humani aspirationes intimæ non satiantur nisi Religione.* Sunt enim quæstiones maximi momenti quas necessario ponit, quibus non solutis inquietus manet, quas solvere potest scientia positiva nulla, sed religio sola. Quærimus enim utrum finis noster ultimus in nobismetipsis sit, an extra nos? utrum in vitâ præsenti, an in futurâ? quibusnam mediis, utrum propriis viribus, an Deo juvante obtineatur?

30. b) *Voluntatis humanæ aspirationes intimæ non satiantur nisi Religione.* Nam in perficiendo bono voluntas duo postulat quæ inveniri nequeunt absque Religione, scilicet : 1) *regulam morum* institutam a Legislatore prædito auctoritate ad imponendam obligationem, et potestate ad afferendam sanctionem efficacem; 2) *auxilium* cujus ope bonum cognitum homo indesinenter operetur, quia, ob innatam infirmitatem experientiâ comprobatam, etiam bonum quod cognoscimus, propriis viribus perfecte implere non valemus.

---

[1] Cf. MICHELET, l. c., p. 1-46.
[2] Cf. MICHELET, l. c., p. 313-350. — [3] *Syn. maj.*, n. 149-166.

31. c) *Cordis humani aspirationes intimæ non satiantur nisi Religione.* Tendimus enim *ad felicitatem stabilem et perfectam*, quam consequi nequimus in bonis creatis, sed in solo bono infinito quod in æternitate perfectam beatitudinem largietur fidelibus suis, imperfectam, sed jam realem, in præsenti vitâ iis qui religionem profitentur.

32. Sic igitur ratiocinari licet :

Ex dictis, homo non potest implere aspirationes legitimas, imo et altissimas, suarum facultatum nisi Religione.

Porro quæ requiruntur ad implendas aspirationes legitimas et altissimas facultatum hominis, ipsâ naturâ humanâ postulantur.

Ergo ipsa natura humana religione indiget, et ita explicatur quomodo religio in spatio et tempore sit universalis.

33. Sed inde concludendum est : genus humanum non potest motu spontaneo, constanti et universali suæ naturæ trahi ad concipiendum Ens Infinitum quo mens quietatur, ad prosequendum Bonum quo quisque melior efficitur et in quo exoptat ultimo beatificari, si non existit Deus : secùs enim homo esset ens contradictorium, inintelligibile, miserum, et quidem eo magis quo nobiliores et puriores experiretur aspirationes : quod repugnat[1].

Ergo, quia homo naturâ suâ ducitur ad colendum Deum religione, dicendum est Deum revera existere[2]. Si Deus est, homo tenetur ei cultum exhibere, ut infra dicetur n. 35. Hoc argumentum *directe* ostendit hominem indigere religione, *indirecte* autem obligari ad cultum Deo reddendum.

34. Ex hoc argumento apparet non ipsam Religionem esse homini *innatam*, *sed propensionem ad Religionem.* Hæc prædispositio potest voluntate liberâ impugnari, vel e contra ampliari. Ita facile intelligitur quod multi religionem nullam profitentur, et quam utile sit educationem puerorum esse religiosam.

---

[1] Quam eamdem conclusionem infert G. HUBY, *Christus*, p. 1011 : " A qui voudra considérer de sang-froid l'ensemble des faits décrits dans ce *Manuel*, il apparaîtra sans doute clairement, que la religion étant une part essentielle, permanente et la plus haute de la vie supérieure de l'humanité, il faut en admettre la légitimité ou douter expressément que l'activité humaine ait un sens et un but ".

[2] Quod argumentum simile est ei quod in *Institutionibus philosophicis* (*Theodicea*) ex desideriis mentis humanæ et ex consensu populorum desumitur.

II. *Argumento metaphysico demonstratur directe singulis hominibus inesse obligationem moralem Religionem profitendi*[1].

35. Fundamentum obligationis cujuscumque est ordinatio cujuslibet entis ad suum finem ultimum, seu *ordo quem recta ratio sequi præcipit*, *sive in exercitio propriarum facultatum*, *sive in relationibus cum aliis entibus.* — Ubicumque ergo est relatio quam servandam jubet natura rationalis, ibi exurgit obligatio moralis[2].

36. Atqui recta ratio eas relationes inter Deum et homines præscribit quæ nomine religionis comprehenduntur. Siquidem homo : **a**) utpote a Deo *creatus*, in suo esse *conservatus*, divinoque concursu *adjutus*, totus ab Eo pendet, ideoque debet, ad servandum ordinem moralem, supremum Dei dominium *adoratione* agnoscere; **b**) cùm ab Eo gratuito acceperit existentiam, vitam rationalem, innumeraque beneficia, *gratiarum actiones* Ei persolvere debet; **c**) quia insuper, plerumque saltem, conscius est se peccatis Deum offendisse, recta ratio exigit ut offensam irrogatam sincerâ *pœnitentiâ* compenset; **d**) et cùm perpetuo novis auxiliis et beneficiis indigeat, ratio omnino suadet ut ad omnium bonorum Auctorem *oratione* recurrat; Deus enim precibus nostris acquiescere *potest* quin consilium mutet, cùm eas præviderit, et *vult*, quia summe bonus est et benefactor eximius.

Ergo homini cuique gravis incumbit obligatio religionem profitendi, i. e., Deum agnoscendi tanquam principium a quo pendet, eique cultum exhibendi. Proinde non solùm utilissima homini dicenda est Religio ut impleantur aspirationes suæ naturæ, sed *obligatoria* sensu stricto ita ut Deus jus habeat ut ab unoquoque homine colatur.

37. **Corollarium.** *Deo debetur cultus non solum internus*, *sed etiam externus et publicus seu socialis.*

1° Cultus *externus* Deo debetur : **a**) *ratione sui.* Corpus sicut et anima a Deo venit et ideo Deus glorificandus est quatenus auctor corporis, quod fit maxime in cultu externo.

---

[1] *Syn. maj.*, n. 166-174.
[2] Quod philosophi exponunt ubi de fundamento obligationis moralis.

b) *ratione cultûs interni*, — quia cultus internus, si sincerus sit, necessario exprimendus est gestu, verbis, variisque actibus externis, — ac multum augetur exterioribus signis et ceremoniis, ut constat experientiâ.

38. 2° Deo debetur cultus *socialis*. a) Deus enim est conditor et benefactor societatis humanæ sicut et cujusvis individui : societas ergo, qua talis, Deum ut supremum Dominum agnoscere debet eique cultum præbere.

b) Societas ipsa religionem publice promovere debet, quia hoc est optimum medium quo apud populum commendetur religio, sine quâ tollitur Dei metus, despicitur principum auctoritas, moxque omnia evertuntur.

39. **Conclusio hujus primi Articuli.** Hinc homo non potest indifferenter religionem profiteri aut non, prout ei placuerit, sed *tenetur*, et quidem sub gravi, religionem aliquam amplecti. *Quænam vero inter varias Religiones sit vera* et ab omnibus amplectenda? Id sane investigare maximi est momenti.

Jamvero multæ religiones profitentur se a Deo *revelatas* esse. Si una sit re ipsa revelata, est certe vera. Itaque nobis inquirendum est de religione revelatâ.

Art. II. De Religione revelatâ.

De Religione revelatâ quærimus : 1° *quid* sit; 2° num sit *possibilis;* 3° num *necessaria;* 4° num *obligatoria;* 5° quibusnam *criteriis* dignoscenda.

§ I. De Conceptu Revelationis divinæ[1].

40. 1° **Notio.** a) Revelatio (amotio veli) est manifestatio rei ignotæ. Hic agitur tantum de Revelatione a Deo factâ, modoque supernaturali, i. e., de Revelatione divinâ proprie dictâ. — Definiri[2] potest : *Manifestatio alicujus veritatis a Deo nobis facta per supernaturalem mentis nostræ illuminationem.*

b) Veritas quæ manifestatur a Deo in Revelatione est *convenientia inter duos conceptus* jam naturaliter cognitos.

---

[1] *Syn. maj.*, n. 191-198.
[2] Cf. Gardeil, *Le donné révélé et la théologie*, p. 41.

Hujus autem convenientiæ cognitio vel ex se superat rationem humanam; vel, si ratione percipitur, nobis manifestatur præter naturales sciendi modos, quatenus nempe *Deus* ipse eam nobis *testatur* illuminatione positivâ mentis concursum ordinarium longe superante. — Hinc apparet Revelationem supernaturalem esse donum omnino gratuitum quod, sive ex se, sive ex parte modi, transcendit exigentias et vires naturæ humanæ.

c) Accurate servanda est hæc notio Revelationis, ut detegantur *errores* Protestantium Liberalium et Modernistarum qui vocem retinent, sed cum sensu prorsus alieno. — Ita Loisy dicit revelationem esse acquisitam ab homine suæ ad Deum relationis conscientiam[1].

41. 2° Species. Revelatio supernaturalis est *immediata* quando Deus veritatem manifestat per se vel per Angelum sine interventu hominis, — secus est *mediata*.

Revelatio immediata fit *externe* vel *interne*, prout veritas manifestatur actione præternaturali Dei in sensibus externis, vel in imaginatione et intellectu tantum.

Revelatio supernaturalis est *publica*, si primario et per se ob utilitatem generis humani editur, aut magnæ societatis, — secus *privata* dicitur.

§ II. De possibilitate divinæ Revelationis[2].

Hanc possibilitatem triplici modo impugnatam in triplici thesi demonstramus.

42. Thesis I[a]: *Revelatio supernaturalis in se nullam involvit repugnantiam, sed plane convenit.* — Philosophice certum, theologice de fide[3].

1[a] pars. *Non repugnat:* **A**) *ex parte Dei*, — qui revelare potest (**a**) *potentiâ absolutâ*, cum sit omnipotens, et con-

---

[1] Cf. Decretum *Lamentabili*, prop. 20 : Revelatio nihil esse potuit quam acquisita ab homine suæ ad Deum relationis conscientia. — Prop. 22 : Dogmata quæ Ecclesia perhibet tanquam revelata, non sunt veritates e cælo delapsæ, sed sunt interpretatio quædam factorum religiosorum quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit. — Prop. 26 : Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo juxta sensum practicum, i. e., tanquam norma præceptiva agendi, non vero tanquam norma credendi. — DENZINGER-BANNWART, n. 2020, 2022, 2026. — Cf. *Encyc. Pascendi*, DENZINGER-BANNWART, n. 2075.

[2] *Syn. maj.*, n. 199-210.

[3] CONC. VATIC., sess. III, can. 2. de Revelat.

ceptus Revelationis supernaturalis non sit contradictorius; (b) *potentiâ relativâ*, quia Revelatio supernaturalis nec majestati, nec sapientiæ, nec alicui attributo divino opponitur.

B) *ex parte hominis*, — qui potest percipere convenientiam inter conceptus jam naturaliter acquisitos, cùm hæc actione illuminativâ Dei extrinsece evidens appareat non minus clare quam humanâ locutione, — simulque certior fieri hanc convenientiam a Deo doceri.

Immerito objicitur *autonomia* rationis humanæ, quæ ideas ab extrinseco immissas accipere nequit : nam si hæc autonomia non impedit quin homo ab homine aliquid discat, ut experientiâ constat, a fortiori prohibere nequit ne homo aliquid a Deo sive immediate sive mediate recipiat[1].

2ª pars. *Convenit*, quia in Revelatione attributa divina amplius manifestantur, et homo, multis obnoxius erroribus, securius docetur.

43. **Thesis IIª** : *Revelatio mediata, nedum repugnet, plane convenit.*

Convenit *Deo*, qui, nedum miracula multiplicet sine necessitate, solet mundum gubernare juxta leges unitatis et simplicitatis : voluit enim in ordine naturali vitam, scientiam et virtutem a parentibus filiis communicari, et ita cunctos in societate multiplici vinculo inter se connecti. Decet pariter ut in ordine supernaturali doctrina revelata paucis manifestetur qui eam ceteris tuto transmittant. — Convenit *homini*, cui naturale est ab alio doceri, quin pereat certitudo, aut æqualitas inter homines servanda.

44. **Thesis IIIª** : *Revelatio mysteriorum, nedum repugnet, valde expedit.* Philosophice certum, theologice de fide[2].

Mysterium hìc theologicum proprie dictum intelligendum est, — scilicet veritas quam *ratio per se invenire nequit*, nec *revelatam intelligere* aut *intrinsece demonstrare*, v. g., Mysterium SS. Trinitatis, quod ratione inveniri nequit, nec divinitus revelatum ratione intelligi.

---

[1] Cf. PORTALIÉ, *Le dogme et l'Histoire*, in *Bulletin ecclés. de Toulouse*, 1904, p. 70-80.

[2] CONC. VATICAN, sess. III, can. 1, de Fide et Ratione.

1[a] pars. *Non repugnat*, ex parte *Dei*, qui multa novit rationi humanæ impervia, et potest ea sicut alia nobis manifestare, — ex parte *hominis*, qui intelligere potest convenientiam inter duos conceptus jam habitos sibi a Deo affirmari, licet hanc convenientiam nec detegere, nec demonstrare intrinsece, nec videre possit. Credere quidem possumus *rem sic esse*, quamvis non percipiamus *quomodo* ita sit.

2[a] pars. *Expedit*, quia mysterium est veritas quæ intellectum ditat, nobisque occasionem præbet plures exercendi virtutes, scilicet humilitatem, fidem, et religionem : v. g., Incarnatio est objectum fidei et exemplar humilitatis.

45. *Corollarium.* Deus potest revelare *præcepta positiva;* nam : 1° cum sit supremus hominum Dominus, jus habet multa eis præcipiendi quibus dirigantur in vitâ præsenti quin opprimatur eorum libertas; 2° voluntatem suam iisdem modis manifestare potest ac veritates speculativas.

§ III. De Necessitate divinæ Revelationis[1].

46. 1° **Status quæstionis.** Quæstio hæc duplici sensu intelligi potest :

1) de necessitate divinæ revelationis *quoad mysteria supernaturalia et præcepta positiva :* tunc necessitas Revelationis est *absoluta*, nam nemo potest medio naturali aliquid supernaturale invenire. — Ita omnes.

2) de necessitate divinæ Revelationis *quoad veritates et præcepta legis naturalis :* hìc errant : **a**) *Traditionalistæ et Fideistæ* qui docent revelationem esse absolute necessariam etiam quoad has veritates, quia ratio humana eas attingere nullo modo valet; **b**) *Rationalistæ*, qui negant necessitatem revelationis, quia ratio humana potest physice et moraliter cognoscere certo quæ ad religionem naturalem pertinent.

Inter hos excessus, stat thesis nostra :

47. 2° **Thesis :** *Genus humanum, in præsenti conditione non potest moraliter propriis viribus (seu absque speciali auxilio Dei, qualis est revelatio), cognoscere expedite, firmâ certitudine et nullo admixto errore, summam veritatum religiosarum quæ ad rectam vitæ institutionem desideratur*[2].

---

[1] *Syn. maj.*, n. 211-228.
[2] Cf. CONCIL. VATICAN., sess. III, cap. 2.

Thesis explicatur : a) agitur de *genere humano* collective sumpto, *quale nunc* existit in præsenti rerum ordine.

b) agitur de *impotentiâ morali*, quæ supponit physicam potentiam actum ponendi, sed tot obstaculis impeditam ut, attentis moribus hominum, difficile in actum transire possit. — Minime negamus homini inesse potentiam physicam cognoscendi veritates et præcepta Religionis naturalis, et sic a Fideistis et Traditionalistis dissentimur.

c) ... *absque speciali Dei auxilio*, seu *interventu indebito*, qualiscumque sit ille interventus. Alius concipi potest ac revelatio, sed si de facto Deus eligit revelationem ut medium quo homini succurrat, hæc fit necessaria.

d) ... *cognoscere expedite*... nam genus humanum indiget hâc cognitione facili, certâ, et tutâ Religionis naturalis quâ finem suum prosequatur.

e) ... *summam veritatum*... quæ sunt : cognitio Dei unius et providi, creatoris et remuneratoris, immortalitatis animæ, præcipuorumque officiorum legis naturalis.

48. *Thesis probatur* duplici argumento, uno historico, altero psychologico.

A) *Historice*[1]. Genus humanum vere in impotentiâ morali jacet cognoscendi expedite, certo, et tuto veritates Religionis naturalis si populi omnes, extra revelationem positi, in pessimos errores circa religionem et mores lapsi sunt quibus ratio sola mederi nequivit. — Siquidem potentia quæ numquam actum elicit merito dicitur impotens moraliter ad hunc actum eliciendum.

Atqui constat historiâ populos omnes, extra revelationem positos, in pessimos errores circa religionem et mores lapsos esse, quibus ratio sola mederi nequivit. — Ergo stat thesis.

49. *Minor probatur expositione factorum.* a) Historiâ constat populos omnes extra revelationem positos in pessimos errores lapsos esse :

1) *circa religionem.* Notio divinitatis adulterata fuit polytheismo, dualismo, idololatriâ, — dii fato subjiciebantur, vitiis et cupiditatibus indulgebant, cultus sæpius licentiam fovebat,

[1] Cf. ABBÉ DE BROGLIE, *Les fondements intellectuels de la foi chrétienne*, p. 83-96

— immortalitas animæ aut negabatur aut dubitanter affirmabatur, — vita futura etiam bonis satis injucunda putabatur.

2) *circa mores.* Multa prava, nedum vetarentur, potius ut licita permittebantur: ita, fornicatio, peccata contra naturam, expositio infantium...

b) His erroribus ratio sola mederi non potuit. Ipsi *philosophi* illustrissimi non collegerunt summam veritatem necessariam ad rectam vitæ institutionem, pessimos errores professi sunt : *non potuerunt* ergo alios veritatem integram docere, — imo *noluerunt* quia plerique profanum vulgus despiciebant, — et *si voluissent*, *numquam auctoritatem necessariam habuissent.*

Nec dicatur *philosophos modernos* majori gaudere auctoritate quam antiquos : scepticismum, subjectivismum, pantheismum, — positivismum, materialismum, agnosticismum docuerunt, ipsam Ethicam naturalem everterunt, imo sensum religiosum ut infirmitatem habuerunt.

Nec *disciplinæ naturales* veritatem religiosam nobis præbere possunt, ut constat ex peritorum affirmationibus.

Ergo merito concluditur aliquod auxilium divinum esse moraliter necessarium. Confirmatur conclusio ex eo quod omnes fere religiones tanquam divinitus revelatas sese exhibuerunt.

50. B) *Psychologice*, idem constat *ex debilitate humanæ naturæ* in præsenti ordine.

Ut genus humanum possit moraliter cognoscere facile, certo et tuto veritates ad rectam vitæ institutionem necessarias, requiritur : a) ut sint *omnium* etiam rudium captui accommodatæ; b) ut *sine morâ*, et c) *sine errore gravi* ab omnibus acquirantur.

Atqui desunt conditiones requisitæ. Siquidem : a) nedum sint omnium captui accommodatæ, *a multis ignorantur* defectu ingenii, vel temporis, vel industriæ; b) tam altæ sunt ut nonnisi *post longum tempus*, et præsertim post juventutem, a viris maturæ ætatis attingantur; c) denique propter debilitatem intellectûs nostri, necnon phantasmatum permixtionem *sæpe non percipiuntur* et ideo multi in errorem labuntur aut in dubio remanent[1]. — Nec dicatur indoctos a doctioribus præfatas veritates discere posse. Docti enim et ipsi, experientâ teste, in pessimos errores lapsi sunt et hodie etiam labuntur, et insuper auctoritate carent ad plebem docendam.

---

[1] Cf. S. THOMAS, *C. Gent.*, l. I, c. 4.

Ergo longe abest quin possit moraliter genus humanum in statu præsenti religionem naturalem propriis viribus sufficienter cognoscere. — Necesse est ergo *necessitate morali* ut Deus humanitati succurrat *aliquo medio*, qualis est Revelatio supernaturalis.

Hæc est methodus traditionalis quâ demonstratur necessitas Revelationis. — Quidam Moderni aliter procedunt : v. g., Card. *Dechamps* arguit ex duplici facto, facto interno, conscientiâ quam habemus indigentiæ nostræ, et facto externo Ecclesiæ; *Blondel* necessitatem auxilii supernaturalis pro quovis homine demonstrare conatus est methodo immanentiæ, ut supra dictum est, n. 10.

51. **Conclusio.** Ex dictis, concludere licet Deum generi humano *auxilium aliquod valde probabiliter præstitisse* quo Religio naturalis possit cognosci ab omnibus expedite, certo, et tuto : Deus enim summe sapiens et bonus in necessariis non deficit. — Nunc igitur nobis agendum est de *obligatione inquirendi quale sit illud auxilium*, num Revelatio proprie dicta, et quæ *methodus sequenda sit in investigatione Revelationis.*

§ IV. De morali obligatione inquirendi quale sit auxilium humano generi præstitum ad cognoscendam Religionem naturalem[1].

52. 1° Contra *Rationalistas* qui negant obligationem inquirendi et amplectendi Revelationem, primam thesim statuimus.

Thesis : *Positâ morali necessitate alicujus auxilii ad cognoscendam Religionem naturalem, gravis cuique obligatio incumbit inquirendi num illud auxilium sit reapse revelatio proprie dicta.*

Etenim ex dictis in thesi præcedenti, aliquod auxilium speciale ex parte Dei est medium necessarium ad acquirendam cognitionem expeditam, certam et tutam veritatum quæ ad Religionem naturalem pertinent.

Atqui, sicut gravis cuique incumbit obligatio Religionem profitendi, ita et mediis utendi necessariis ad acquirendam cognitionem veritatum veræ Religionis, nam finis

[1] *Syn. maj.*, n. 229-234.

imponi nequit quin simul et media ad finem necessaria imperentur.

Ergo gravis cuique incumbit obligatio utendi auxilio speciali a Deo dato, et proinde inquirendi quodnam sit, nam eo uti nequimus nisi prius illud cognoscamus. Hominibus autem semper persuasum fuit hujusmodi auxilium esse Revelationem proprie dictam, nec desunt argumenta ad factum Revelationis stabiliendum allata. — Ergo homo inquirere debet num illud auxilium sit reapse Revelatio, cùm hæc sit hypothesis a priori minime spernenda.

Nec dicatur Revelationem esse *donum Dei gratuitum*, et ideo respui posse. — Hæc enim est gratuita quidem eo sensu quod Deus non tenetur aliquid nobis revelare, — sed *obligatoria* tamen, si Deus velit, quippe qui jus habeat præcepta positiva homini imponendi. — Porro, de facto voluit, ut valde probabiliter constat ex eo quod genus humanum hâc Revelatione indiget ad rectam vitæ suæ ordinationem. — Insuper, positâ elevatione hominis ad statum supernaturalem, absolute necessaria est revelatio ad finem cognoscendum [1].

53. 2° Contra *Indifferentistas* qui putant omnes religiones esse æqualiter bonas, et cuique licere ei adhærere in quâ natus est, vel aliam sibi magis accommodatam amplecti, sit secunda thesis :

Thesis : *Homo non potest indifferenter quamlibet religionem quæ se dicit revelatam profiteri, sed veram Religionem inquirere et amplecti tenetur* [2].

Probatur : 1° *ex unitate religiosæ veritatis.* — Si Deus aliquam Religionem hominibus revelavit, hæc religio certo una est, sicut veritas. — Ergo una, et quidem sola est ab omnibus inquirenda et amplectenda.

2° *ex ipsâ Dei naturâ.* — Deus non potest æqualiter coli veritate et errore. Porro Religiones inter se discrepantes, non possunt esse simul veræ, ergo non sunt æqualiter bonæ, ac proinde non licet quamlibet amplecti.



[1] Cf. Mgr Pie, *Instruction Synodale du 7 Juillet 1855.*
[2] Cf. Lamennais, *Essai sur l'Indifférence.*

§ V. De Methodo in investigatione Revelationis sequendâ[1].

54. 1° **Status quæstionis.** A) Revelatio debet rationabiliter recipi, i. e., propter *motiva credibilitatis* quæ evidenter probent Deum revera locutum fuisse. — Sunt ergo notæ, seu criteria quibus divina Revelatio a falsis revelationibus secerni possit.

55. B) Quæ criteria sumuntur ex doctrinâ revelatâ, et dicuntur *interna*, — vel ex factis quæ Revelationem comitantur, et dicuntur *externa*.

a) *Criteria interna* sunt *negativa* vel *positiva*. 1) Ex *negativis* nihil concludi potest nisi possibilitas Revelationis divinæ : his enim ostenditur nihil obstare quominus illa Revelatio sit divina. Hujusmodi sunt *immunitas ab errore, ab omni contradictione, a fraude*. Si simul adsunt hæ notæ negativæ, exurgit præsumptio de divinitate hujus Revelationis. 2) *Positivæ* notæ cum majori vel minori certitudine ostendunt religionem, in cujus gratiam dantur, esse a Deo revelatam. Hujusmodi sunt *perfecta conformitas doctrinæ cum ratione, ejusque excellentia* tum in se, tum in suis effectibus, quæ tanta sit ut humanæ naturæ aptissime conveniat, nihilque omittat quod ad vitæ honestatem sit necessarium. Argumentum validius erit si, comparatione institutâ inter præcipuas religiones, una ex eis omnino *transcendens* appareat, præsertim si hæc præstantia tanta sit ut sine speciali divino interventu explicari nequeat.

b) *Externa criteria* sunt *negativa*, v. g., *honestas et sanctitas præconis;* — vel *positiva*, qualia sunt *miracula et vaticinia*, de quibus infra, n. 98.

56. 2° **Errores.** De *naturâ criteriorum Revelationis duplex error* vitandus est :

a) *Rationalistarum* qui docent *unicum Revelationis criterium* esse ejus *conformitatem cum principiis rationis*. — Hoc criterium probare quidem potest doctrinam esse veram, non autem revelatam; nam factum historicum revelationis diligenti historicâ inquisitione investigari debet, non solâ consideratione speculativâ.

---

[1] *Syn. maj.*, n. 235-244.

b) *Modernistarum*, qui, rejectis miraculis et prophetiis, docent *experientiam intimam* esse solam notam Revelationis, ac proinde Apologeticam eo tendere ut *unusquisque experiatur in se veritatem Christianismi.* — Experientia religiosa cujusque credentis merito respuitur a Pio X, nam ad subjectivismum ducit, et, si accipitur, omnes religiones erunt æqualiter bonæ ac revelatæ quia quisque experiri credit veritatem religionis quam profitetur[1].

57. 3° **Vera methodus.** Omnes *catholici* agnoscunt veritatem revelationis ex notis tum intrinsecis, tum extrinsecis investigandam esse, — *dissentiunt vero* de *methodo anteponendâ :* alii methodum *historicam* quæ notis extrinsecis innititur fere exclusive adhibendam volunt, alii methodum *philosophicam* quæ intrinsecis fundatur argumentis[2].

Dicendum videtur methodum historicam esse breviorem, faciliorem ac tutiorem, — methodum philosophicam ex se insufficientem, utilem tamen ad removenda præjudicia. Cavendum est ne methodus philosophica nimis extollatur utpote ætati nostræ magis accommodata, et despiciatur methodus historica et traditionalis : experientiâ enim constat non paucos, nostris etiam diebus, ad fidem catholicam duci studiis historicis.

58. 4° **Conclusiones practicæ.** A) Si agitur de *aliquo incredulo ad fidem convertendo*, sapiens apologeta ejus mentem detegere sataget ut inter motiva credibilitatis ea proponat quæ aptiora videntur ad eum movendum. Nec unum tantum argumentum exponat, sed, si necesse sit, plura, quæ vim cumulativam præ se ferent et mutuam vim sibi invicem præstabunt.

B) Si autem quæritur *methodus integra* ex se sufficiens ad suadendos hodiernorum animos, putamus *argumenta intrinseca et extrinseca socianda esse.* a) *Via paratur* argumento intrinseco quo apparet religionem naturæ humanæ apprime consonare; b) *demonstratio efficitur* argumentis historicis quibus interventus divinus in luce ponitur; c) *confirmatur* tandem argumentatio comparatione institutâ inter varias religiones.

[1] Cf. *Encyc. Pascendi*, DENZINGER-BANNWART, n. 2101.
[2] LE BACHELET, *De l'Apologétique traditionnelle et de l'Apologétique moderne;* DE POULPIQUET, *L'Objet intégral de l'Apologétique*, p. 425-465.

Quam methodum sequemur in secundâ parte Tractatûs.

SCHOLION. DOCTRINA CATHOLICA DE REVELATIONE.

Docet Ecclesia 1) Revelationem supernaturalem non esse etiam in statu præsenti generis humani *absolute necessariam* ad cognoscendas veritates religionis *naturalis*, *sed valde utilem*[1].

2) *Revelationem mysteriorum esse utilem*, licet sint supra intellectum humanum[2].

De fide est ex *Vaticano* : 1) *Revelationem supernaturalem quoad modum* esse *possibilem*, — imo *expedire*, licet Deus ratione humanâ certo cognosci possit; 2) *Revelationem supernaturalem quoad substantiam esse possibilem;* 3) in *Revelatione* de facto *contineri vera et propria Mysteria;* 4) Revelationem divinam *externis signis credibilem fieri posse*[3].

[1] "Huic divinæ revelationi tribuendum quidem est ut ea quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti quoque generis humani conditione, ab omnibus expedite, firmâ certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hâc tamen de causâ revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinitâ bonitate suâ ordinavit hominem ad finem supernaturalem..." DENZINGER-BANNWART, 1786. CONC. VATIC., sess. III, cap. 2.

[2] "Ac ratio quidem fide illustrata, cùm sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum quæ naturaliter cognoscit analogiâ, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; numquam tamen redditur idonea ad ea perspicienda instar veritatum quæ proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suâpte naturâ intellectum creatum sic excedunt ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta, et quâdam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiù in hâc vitâ mortali peregrinamur..." CONC. VATIC., sess. III, cap. 4. — DENZINGER-BANNWART, 1796.

[3] "Si quis dixerit Deum unum et verum, creatorem et Dominum nostrum per ea quæ facta sunt naturali rationis humanæ lumine certo cognosci non posse, anathema sit.

Si quis dixerit, fieri non posse aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo doceatur, anathema sit.

Si quis dixerit hominem ad cognitionem et perfectionem quæ naturalem superet divinitus evehi non posse..., anathema sit.

Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse..., anathema sit.

Si quis dixerit in revelatione divinâ nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, anathema sit." (CONCIL. VATIC., sess. III. — DENZINGER-BANNWART, 1806, 1807, 1808, 1812, 1816).

CAPUT II.

De Religione Christianâ.

Prænotanda[1].

59. **Status quæstionis.** Ex dictis in priori parte, gravis cuique incumbit *obligatio inquirendi* num et quænam sit vera religio divinitus revelata. Porro tres præcipuæ sunt in mundo religiones de quibus investigatio fieri possit, *Christianismus*, *Islamismus* et *Brahmanismus.*

60. *A religione christianâ incipimus* tum quia nobis magis nota est, tum quia inter ceteras ita eminet, ut, si quæ sit Revelatio, primum in Christianismo inquiri debeat.

61. Christianismus tria veluti stadia historice complectitur :

1) Religionem *primævam*, protoparentibus et patriarchis revelatam, ad totum genus humanum destinatam, quæ mox corrupta est. Docebat Deum esse unum, creatorem, providum et remuneratorem; hominem esse immortalem; continebat præcepta naturalia, paucis additis præceptis positivis.

2) Religionem *mosaïcam*, divinitus per Moysen soli populo Israelitico impositam, quæ instauravit religionem primævam, et christianam revelationem præparavit. Monotheismum prædicabat, cultumque minutissime determinabat. Illa religio complenda et abroganda erat per Christum seu Messiam.

3) Religionem *christianam proprie dictam*, per Christum Jesum prædicatam, ad omnes populos directam, et usque ad consummationem sæculi duraturam. De hâc solâ hic agemus.

62. **Divisio.** In triplici articulo ostendemus eam esse divinitus revelatam, et ideo ab omnibus amplectendam : 1° argumento *philosophico* exponemus Religionem christianam legitimis aspirationibus animæ humanæ optime respondere; 2° argumentis *historicis* probabimus eam esse

[1] *Syn. maj.*, n. 245-253.

certo revelatam; 3° quod confirmabimus *comparatione* institutâ inter hanc præcipuasque alias religiones.

ART. I. DIVINITAS CHRISTIANÆ RELIGIONIS EX EJUS EXCELLENTIÂ SUADETUR.[1]

63. Hoc argumentum primum exponimus, licet *magnam* tantum *probabilitatem* afferat, quia *viam parat historicæ demonstrationi :* remotis enim præjudiciis quæ in mentibus multorum existunt de ipso Christianismo, melius apprehendetur vis argumentorum quæ ex historiâ desumuntur.

Doctrinam christianam exponimus qualis in Ecclesiâ catholicâ proponitur, quia ibi invenimus christianismum completum, methodice et authentice a magisterio vivo propositum.

Sic *argumentum*[2] enuntiari potest :

Religio Christiano-catholica in se spectata, apprime respondet legitimis aspirationibus facultatum nostrarum.

Atqui religio quæ tam apprime respondet legitimis aspirationibus facultatum nostrarum merito supernaturalis dicitur.

Ergo religio Christiano-catholica merito dicitur supernaturalis.

64. 1° *Religio Christiano-catholica in se spectata apprime respondet aspirationibus legitimis facultatum nostrarum.*[3]

Explicatur. Jam diximus homini inesse nobilissimas aspirationes, scilicet ad verum detegendum, ad bonum honestum faciendum, ad beatitudinem obtinendam : quæ quidem omnino *legitimæ* sunt quia ex ipsâ naturâ rationali hominis oriuntur, et eo vividius percipiuntur quo quisque magis secundum rationem vivere nititur. De his solis hic agitur, non de inordinatis aspirationibus mentis nostræ quæ nonnisi perversam naturam denuntiant.

Affirmamus has legitimas aspirationes naturæ humanæ apprime satiari religione christianâ, non negatis tamen difficultatibus quæ ex mysteriis et præceptis oriuntur.

---

[1] *Syn. maj.*, n. 254-286.

[2] Syllogismo utimur in exponendis argumentis quo facilius percipiatur vis ratiocinii apologetici.

[3] Cf. LACORDAIRE, *Conférences*, 14-37.

65. *Probatur*, per partes :

A) *Religio Christiano-catholica legitimis* **intellectûs** *humani aspirationibus optime respondet*, — non exigitur quidem, nec stricte postulatur ab intellectu nostro, sed intellectum mirabiliter quietat.

a) *Etenim intellectus humanus anxius quærit doctrinam :*

1) *completam*, de origine mundi, de existentiâ et naturâ Entis Supremi, de hominis origine et naturâ, de fine ultimo et mediis ad illum attingendum necessariis. Quæ cupit mens humana cognoscere saltem tam clarè ut vita modo rationabili ordinari possit.

2) *nulli certæ veritati adversam*, etiam in ordine scientifico, quia veritas veritati contradicere nequit;

3) *harmonice unam*, i. e., doctrinam cujus partes inter se coadunantur.

4) *omnium ingenio accommodatam*, quia omnes rationis usum habentes religionem profiteri debent.

66. b) *Atqui religio Christiano-catholica his aspirationibus intellectûs humani respondet.* Nam præbet doctrinam :

1) *completam :* mundum esse ex nihilo creatum docet, — de naturâ Entis Supremi mira exponit, — naturam hominis, existentiam mali physici explicat, — finem nostrum ultimum dicit esse visionem beatificam; — quibus cognitis non mysteria omnia tolluntur, sed sufficienter edocemur quanti sit vita præsens, et quænam sint nobis facienda ut ad Deum perducamur.

2) *nulli certæ veritati adversam :* nam multis abhinc sæculis nullus error inveniri unquam potuit in doctrinâ christianâ. Inanis autem hujus contradictionis (inter scientiam et doctrinam catholicam) *species* inde potissimum oritur quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur.

3) *harmonice unam :* nam omnia dogmata ita inter se connectuntur ut unum ex altero fluat, nec unum negari possit quin alia labefactentur. Præterea ethica christiana absque dogmatibus stare nequit.

4) *omnium ingenio accommodatam :* quia, ut constat experientiâ, suâ profunditate materiam subministrat investigationibus doctorum, et suâ simplicitate tam paucis verbis exponi potest, ut pueri et rudes sciant de necessariis ad salutem ea omnia quæ requiruntur.

67. B) *Religio Christiano-catholica legitimis* **voluntatis** *aspirationibus respondet.*

a) *Etenim voluntas requirit et quidem legitime :*

1) *regulam agendi tutam* et *completam*, quia homo bonum non potest adimplere nisi prius illud cognoscat : singula sua

officia quisque cognoscere desiderat, simul et tutam obligationis normam.

2) *sanctionem sufficientem* quâ ad bonum trahatur, et a malo dimoveatur.

3) *stimulos efficaces* ad legem servandam et eo efficaciores quo lex difficilior est.

68. b) *Atqui religio Christiano-catholica has legitimas voluntatis aspirationes adimplet.* — Nam præbet :

1) *regulam agendi tutam*, cujus honestatem simul et nobilitatem omnes confitentur, — *completam*, quæ complectitur omnia officia hominis erga seipsum, proximum et Deum, simulque rationem dat obligationis, scilicet voluntatem Dei creantis et ad ordinem supernaturalem elevantis.

Hæc regula morum licet praxi difficilis, dici nequit naturæ humanæ destructiva, nec vitæ præsenti nociva, quia omnes virtutes naturales et supernaturales quibus perfectionem divinam imitemur prædicat, mortificationem non ut finem sed ut medium ad vitam moralem augendam præcipit, et vitam æternam nonnisi omnibus officiis in præsenti impletis obtinendam monet.

2) *sanctionem sufficientem* : vitam æternam in cælis justis promittit, supplicia æterna in inferno malis minatur.

Nec dicatur christianas virtutes exinde esse opus mercenarium; nam propter honestatem simul et præmium coluntur, — et præmium ipsum nihil aliud est quam amor Dei quo nihil honestius excogitari potest.

3) *stimulos efficaces* ad legem servandam, nempe exempla Christi et sanctorum omnium, — necnon gratias actuales quibus Deus adjuvat nos ut semper officium explere valeamus.

69. C) *Religio Christiano-catholica legitimis* **aliarum facultatum** *aspirationibus respondet.*

a) *Siquidem indiget homo :*

1) ut e rebus sensibilibus et exterioribus ad divina manuducatur, nam animâ et corpore constat;

2) ut solatium in ærumnis vitæ præsentis ei præstetur;

3) ut exercitium suæ activitatis excitetur et sanctificetur.

70. b) *Atqui religio Christiano-catholica his propensionibus satisfacit.*

1) *exteriori cultûs exercitio*, sacrificio Missæ, et totâ Liturgiâ quæ cantibus, precibus, cæremoniis, concionibus absolvitur, hominem ad divina ducit, ut patet experientiâ.

2) *solatium* præbet, docendo miserias hujus vitæ pœnam esse peccati, utilem probationem, virtutis et præmii incrementum, viamque tutissimam ad æternam beatitudinem.

3) *activitatem* humanam excitat, inculcando laboris legem omnibus impositam, et ita directe fovet scientias et artes,

commercium et industriam tuetur, — indirecte etiam progressum materialem promovet studio progressûs spiritualis.

Ergo stat major, scilicet Religio Christiano-catholica in se spectata apprime respondet aspirationibus facultatum nostrarum. Hoc argumentum confirmari posset effectibus religionis christianæ, de quibus infra, n. 146.

71. 2° *Religio, quæ tam apprime respondet aspirationibus facultatum nostrarum, merito supernaturalis dicitur.*

Hæc propositio, licet non omnino certa, valde probabilis dici debet. — Nam, ex dictis supra n. 47, homines non possunt moraliter propriis viribus, absque auxilio divino indebito, summam veritatum invenire quæ ad rectam vitæ institutionem sufficiant : ergo, *a fortiori*, non possunt, sine Dei interventu, invenire doctrinam religiosam quæ omnibus legitimis aspirationibus naturæ rationalis tam perfecte satisfaciat.

Nec dicatur merum hominem præclaro ingenio præditum potuisse forsan talem doctrinam invenire. Nam, experientiâ teste, præclarum ingenium, nisi circumstantiæ loci, temporis et educationis faveant, vix ultra mediocritatem assurgit; porro Jesus Nazarenus qui religionem Christiano-catholicam prædicavit, numquam in scholis scientiæ studio vacavit. — Ergo stat thesis.

Confirmari potest duplici facto :

72. A) **Solus** *Christianismus aspirationibus animæ humanæ tali gradu satisfacit* [1]. Transcendit ergo cetera systemata philosophica et religiosa : quomodo explicari possit illa transcendentia? — Admissâ hypothesi revelationis divinæ, illud singulare factum intelligitur : nam idem Deus qui mentem humanam condidit doctrinam humanæ naturæ accommodatam revelavit; — hâc hypothesi remotâ, habemus inscrutabile mysterium : doctrina, cui inveniendæ impares fuerunt philosophi omnes etiam maximi, prædicata est in Judæâ ab opifice scientiarum ignaro et a piscatoribus et publicanis turbas alloquentibus.

73. B) *Doctrina christiana non fuit mutuata ab aliis religionibus, aut a philosophis.*

[1] De Broglie, *Problèmes et conclusions de l'histoire des Religions*, ch. IX et X.

a) *Non fuit mutuata a* **Judæis** *doctoribus.*

Licet multa sint communia in utrâque doctrinâ, et Christianismus sit complementum mosaïsmi, — tamen *tot sunt discrimina* ut ille non potuerit ex hoc naturaliter evolvi sine *speciali et novo interventu Dei.*

Ita, mosaïsmus est religio uni populo propria, Christianismus est universalis; — Messias a Judæis exspectatus, erat Rex temporalis, Jesus fuit Messias spiritualis. — Quoad dogmata, Trinitas, Incarnatio, Redemptio per crucem, justificatio per fidem et bona opera, ignota erant Judæis; — quoad ethicam, valde differunt præcepta Christi a traditionibus Seniorum et Pharisæorum.

74. b) *Non fuit mutuata a* **Græcis** *aut* **Latinis.**

Fatemur multa apud paganos reperiri quæ doctrinæ christianæ consonant, nam ratio humana quasdam veritates in re morali aut religiosâ adipisci potest. — Sed *tot et tanta sunt discrimina* inter religionem Christi et philosophorum placita, ut moraliter impossibile sit illam ab his evolûtam fuisse *sine speciali Dei interventu.*

Nam, quoad dogmata, pagani ignorant Trinitatem, Redemptionem, sanctificationem per gratiam, imo multi inter præstantiores dubitant de immortalitate animæ, de Providentiâ. Quoad ethicam, nonnulla sunt præcepta fere identica quoad verba, sed motiva quibus innituntur longe diversa apparent.

75. c) *Non fuit mutuata a* **religionibus orientalibus.**

Non a *mithriacismo*, nam licet sint ritus forsan similes, dogmata et præcepta valde diversa sunt; nec a *buddhismo*, — de quo infra dicemus.

76. d) Nec est *synthesis* (*syncretismus*[1]) cultuum orientalium simul et hellenicæ sapientiæ. Nam 1) Christianismus jam ab initio apparet omnino unus, et transcendens omnia systemata philosophica. Si syncretismus et ipse religionem *universalem* simul et *individualem* promovit, non sane eodem *sensu*, nec eodem *spiritu* ac christianismus. 2) Aliunde Ecclesia, jam a tempore S. Pauli, iis semper obstitit qui, ut Gnostici, christiana dogmata cum extraneis religionibus miscere tentârunt, eosque, quando pertinaces, e sinu suo expulit.

77. **Conclusio.** Ergo concludere licet Religionem Christianam esse doctrinam vere novam, non ab aliis mutuatam, sed a Jesu Nazareno conceptam. Quod

[1] ALLO, *L'Evangile en face du syncrétisme païen.*

explicandum manet. Si Jesus a Deo missus est ad docendos homines veram religionem, omnia intelliguntur : *Christiana religio sola, licet vere originalis, naturæ humanæ apprime consonat*, quia ejus auctor *suprahumano lumine* adjutus est; secus autem, incomprehensibile habetur mysterium, nempe effectus sine causâ sufficienti.

Ratio igitur vehementer *suadet*[1] religionem Christianam esse divinam. Nobis proinde incumbit obligatio *historice* investigandi, cum sincero veritatis amore, num *de facto* sit divinitus revelata.

ART. II. DIVINITAS CHRISTIANÆ RELIGIONIS HISTORICE DEMONSTRATUR[2].

78. Factum Divinæ Revelationis historicis argumentis probatur quæ *quatuor* numerantur : 1) ipsum *testimonium Jesu Nazareni* de seipso, 2) *miracula* ab ipso patrata, et præcipue ejus resurrectio, 3) mirabilis *Christianismi propagatio*, 4) *vaticinia messianica* in Christo adimpleta.

Fontes e quibus præcipua testimonia depromuntur sunt libri Novi Testamenti, præsertim *Evangelia*, *Actus Apostolorum* et *Epistolæ S. Pauli*. — Genuinitas et historica auctoritas præcipuarum Epistolarum, et Actuum Apostolorum ab ipsis acatholicis criticis agnoscuntur[3]; — de Evangeliis solis pauca dicemus.

§ I. De Credibilitate Evangeliorum[4].

79. Credibilitas Evangeliorum est eorum *auctoritas humana* : quæritur num referant facta quibus plena fides humana dari possit. Ut plena fides iis libris dari possit

---

[1] Dicimus "*suadet*", nam hoc argumentum nonnisi probabilitatem magnam Revelationis adstruere potest. — Nec nimis exaggerendæ sunt convenientiæ christianismi cum naturâ humanâ, quia si multi his convenientiis trahuntur, non desunt alii qui christianismi mysteriis et austeris præceptis repellantur.

[2] *Syn. maj.*, n. 287.

[3] Cf. PRAT, *La Théologie de St Paul*, I, p. 9-16; BRASSAC, *Manuel biblique*, N. Testamenti; *Commissio de Re biblicâ*, 12 jun. 1913.

[4] *Syn. maj.*, n. 288-340. De auctore, tempore compositionis et historicâ veritate Evangeliorum secundum Matthæum, secundum Marcum et secundum Lucam, necnon de relationibus mutuis inter tria priora Evangelia, responsa dedit *Commissio de Re biblicâ*, 19 junii 1911 et 26 junii 1912.

N.B. Mutationes in editione 1923.

Artic. II. Divinitas ....

78. Factum Divinae Revelationis historicis argumentis probatur, quae quatuor numerantur: 1) praeparatio prophetica viam parans Christo eumque annuntians; 2) ipsum testimonium Jesu Nazareni de seipso; 3) miracula ab ipso patrata et praecipue ejus resurrectio; 4) mirabilis Christianismi propagatio.

§ I. De praeparatione prophetica Christianae religionis.[1]

79. Status quaestionis. A). Deus, qui omnia suaviter disponit, viam paravit Christianae religioni seligendo et specialiter instruendo populum judaicum, cui revelationis depositum commisit. Quia verò populus electus, non obstante revelationis luce, ad idololatriam et injustitiam pronus erat, Deus multifariam multisque modis eum ad monotheismum et divinae legis observantiam revocare non desiit longâ Prophetarum serie qui viam Christianismo paraverunt non solum praedicando

1- ~~Hanc~~ notam invenies infrà p. 59

veritates fundamentales quibus Christianismus innititur, sed etiam prædicando adventum regni messianici quod nihil aliud est nisi christiana religio.

B). vide infrà, p. 59 n. 158.

et sic nn. 159-170 respondent numeris 80-91.

requiritur ut sint 1) *genuini*, 2) *integri* saltem substantialiter, 3) et *revera historici*[1].

1° De Genuinitate Evangeliorum.

80. *Argumentis extrinsecis probatur* quatuor Evangelia : a) circa finem II[i] sæculi communiter tribui auctoribus quorum nomine vulgata sunt, ut constat ex testimoniis *Irenæi* † 202, *Tertulliani*, *Tatiani*, et ex *fragmento Muratoriano;* — b) jam nota fuisse inter Christianos in priori parte secundi sæculi : allegantur enim a *Justino*, *Papia*, *Herma*, in *epistolâ Polycarpi*, in *epistolis Ignatii*, *Clementis Romani*, et *Barnabæ;* — c) ab hæreticis ipsis et paganis genuina haberi. — Quomodo hæc Evangelia sola, exclusis apocryphis, ab Ecclesiis diversis et dissitis ut genuina recipi, in cœtibus liturgicis legi potuerint, nisi tempore Apostolorum fuerint conscripta?

Confirmatur genuitas Evangeliorum *criteriis internis*, nam minutissimas referunt circumstantias (eâ fulgentes veritate quam coævi soli obtinere possunt in descriptione locorum, morum, rerum et personarum) quæ brevi, Jerusalem captâ dirutoque templo, omnino mutatæ sunt.

2° De Integritate Evangeliorum.

81. Agitur de solâ *integritate substantiali* quoad doctrinam præcipuaque facta vitæ Christi, cùm hæc tantum requiratur ad demonstrandam divinitatem ejus missionis.

Porro fatentur ipsi Acatholici nos hodie invenire in quatuor Evangeliis, præsertim in Synopticis, quæ Christiani circa finem primi sæculi de vitâ et doctrinâ Christi credebant. — Utrum necne ea quæ ibi narrantur sint historice vera expendere sufficit : pauca siquidem loca, de quorum genuinitate dubitatur, ad demonstrandam veritatem Christianismi necessaria non sunt.

3° De Historicitate Evangeliorum.

82. A) *Evangelistarum sinceritatem* critici plerique agnoscunt, sed putant gesta et verba Jesu Nazareni paulatim *transfigurata fuisse fide discipulorum* inter tempus quo Magister obiit et tempus quo Evangelia scripta sunt[2].

Contendimus hanc idealisationem : a) *verisimilem non esse*, quia Synoptici veram historiam narrare intendunt, et historice vera narrant de statu politico, morali et religioso Judæorum ; — b) *moraliter impossibilem*, nam quomodo doctrina chris-

[1] Brassac, *Manuel biblique;* Lepin, *Dictionnaire Apologétique* (*A. d'Alès*), voce *Evangiles*, t. I, c. 1598. — [2] Cf. Lepin, l. c., c. 1684.

tiana qualis a Synopticis exponitur inveniri potuerit aut substantialiter immutari? et quinam adulterare potuerint facta quorum testes multi supererant? — c) *factis contrariam :* si gesta et dicta Christi paulatim transfigurata fuissent eo fine ut Magister primum purus homo, dein Messias a Deo delegatus, verusque Deus incarnatus successive crederetur, Evangelia non infirmitates, dolores, tristitiam et anxietates Jesu narrassent, sed clare et explicite divinitatem ejus et vim satisfactoriam mortis exposuissent, cùm hæc dogmata jam fide reciperentur tempore quo libri nostri scripti sunt.

Ergo *Synopticis tanquam documentis historicis*[1] uti possumus, præsertim si non unum aut alterum textum tantummodo allegamus, sed plura testimonia ad unum et idem probandum concordantia.

83. B) Dicunt critici liberales facta narrata *in Quarto Evangelio* esse conficta, *allegorias vel symbola* ad aliquam doctrinam inculcandam, sermones ibi Christo ascriptos non esse ipsius Domini sermones, sed compositiones theologicas scriptoris[2]. — Non diffitemur quartum Evangelium esse dogmaticum simul ac historicum : ex quo inferri potest auctorem selegisse ea facta et dicta quæ divinitatem Christi efficacius demonstrarent, negamus autem eventus relatos meras esse allegorias et sermones Christo adscriptos non esse saltem quoad substantiam a Domino prolatos[3].

Nihil igitur prohibet quin fidem adhibeamus quarto Evangelio sicut et ceteris. Attamen in Apologeticâ, Synopticis frequentius utemur ut argumenta majorem vim habeant apud incredulos.

§ II. Divinitas Religionis Christianæ ex testimonio Christi de seipso probatur[4].

84. **Argumentum generale.** Primum argumentum historicum quo probatur Jesum Nazarenum a Deo missum esse ad docendos homines veram religionem, ex ejus testimonio de seipso desumitur, quippe qui ipse optime noverit quis esset.

Sic enuntiari potest :

Jesus Nazarenus *testatus est* se esse a Deo missum ad docendos homines veram religionem.

---

1 E. Levesque, *Nos Quatre Evangiles*, Paris, 1917.

2 Cf. Lepin, *Valeur historique du 4e Evangile.*

3 *Commissio de Re biblicâ* docet retinendam esse veritatem historicam quarti Evangelii in decisione die 29 maii 1907 datâ.

4 *Syn. maj.*, n. 340-363.

Atqui testimonium Jesu Nazareni de seipso est omni *fide dignum.*

Ergo Jesus Nazarenus vere fuit a Deo missus ad docendos homines veram religionem, — et ideo religio quam Jesus prædicavit est vere divina et ab omnibus amplectenda.

I. *Testimonium Jesu Nazareni de seipso exponitur.*

85. 1° **Status quæstionis.** *Catholici* affirmant Jesum Nazarenum suam missionem divinam toto decursu vitæ publicæ docuisse, sed gradatim explicasse, ut mentes Judæorum sensim disponeret ad suum regnum spirituale recipiendum.

Rationalistæ vero negant Jesum dixisse se esse Messiam, affirmant declarationes messianicas in Evangeliis relatas ex idealisatione primæ generationis christianæ provenire. — Quidam *Liberales et Modernistæ* putant Jesum dixisse se *fore* tantum Messiam regni eschatologici proxime futuri, quod reapse non advenit. Erravit ipse, et discipuli, frustra parousiâ exspectatâ, Ecclesiam constituerunt.

86. 2° **Thesis :** *Jesus Nazarenus sæpissime testatus est se esse Messiam a Deo specialiter missum ad docendos homines veram religionem*[1].

Messias (i. e., unctus, vocabulum idem sonat ac Christus) a prophetis nuntiatus, triplicem missionem habere debebat regis, sacerdotis et prophetæ. Jesus hunc titulum usurpavit, et specialiter missionem doctrinalem Messiæ adimplevit. Probatur *historice, ex Evangeliis.* Quo melius appareat testimonium Jesu de seipso, quatuor stadia chronologice distinguemus in publicâ ipsius vitâ.

87. A) *Initio vitæ publicæ*, Christus missionem suam messianicam et doctrinalem declaravit :

a) *agendi ratione*, nam vices egit Messiæ, et docuit religionem tanquam a Deo missus. — Prædicavit regnum messianicum a prophetis annuntiatum appropinquasse[2], — et doctrinam suam in vicis, plateis et synagogis tanquam potestatem habens sparsit[3]. — Discipulos elegit et instruxit quos misit ad prædicandum adventum regni messianici, cum potestate dæ-

[1] Cf. LEPIN, *Jésus, Messie et Fils de Dieu.*
[2] *Marc.*, I, 15. — [3] *Marc.*, I, 22.

mones ejiciendi et morbos curandi[1]. — Legem mosaïcam a traditionibus expurgavit, ac proprio nomine complevit, dicens "Dictum est antiquis... Ego autem dico vobis...[2]" Simulque miracula patravit ad suam divinam missionem confirmandam.

b) *æquivalentibus verbis*, — quando asseruit se esse Dominum sabbati[3], majorem David, Jona et Salomone[4], — Eum qui venturus est[5], — et super quem requiescit Spiritus Domini[6]. Tunc enim prophetias messianicas in se adimpletas esse affirmavit.

c) *apertis verbis*, — jam, quando locutus est cum Nicodemo[7], — cum muliere Samaritana[8], — post curationem paralytici ad probaticam piscinam in Jerusalem[9].

88. B) *Ultimo anno vitæ suæ* explicite locutus est :

a) *Discipulis.* Cæsareæ Philippi, ab eis quæsivit "Quem me esse dicitis?" Respondit Simon Petrus "Tu es Christus", et Jesus hanc declarationem approbavit[10].

b) *Populo.* Legantur capita Joannis VII, VIII, X et apparebit Jesum non potuisse suam missionem messianicam et religiosam disertius affirmare.

Item, Jesus ingressus est sicut Rex Messias in Jerusalem, clamantibus pueris "Hosanna filio David", et Pharisæis minantibus respondit ita impleri Prophetias. Diebus sequentibus docebat in templo sicut Messias, ut aperte dixit magistratibus interrogantibus in quâ potestate hoc faceret[11].

89. C) *Tempore passionis suæ*, quando surgens Princeps Sacerdotum ait illi : "Adjuro te per Deum vivum ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei vivi?" — respondit illi Jesus "Tu dixisti"[12]. Sciebat Jesus hanc declarationem condemnationis causam fore, sed tamen explicite locutus est, et postea libenter mortem accipiendo testimonium proprio sanguine sigillavit.

90. D) Tandem, *post resurrectionem suam*, discipulis de divinâ ipsius missione dubitantibus apparuit, ut eos in fide confirmaret. "Nonne oportuit ita pati Christum et ita intrare in gloriam suam"[13].

Ergo constat historice Jesum Nazarenum affirmâsse se esse Messiam a Deo specialiter missum ad docendos homines veram religionem[14].

---

[1] *Matth.*, IV, 18-22. — [2] *Matth.*, V, 21-22. — [3] *Matth.*, XII, 8. — [4] *Marc.*, XII, 35-37. — [5] *Matt.*, XI, 4-5. — [6] *Luc.*, IV, 21-25. — [7] *Joan.*, III, 13-18. — [8] *Joan.*, IV, 26. — [9] *Joan.*, V, 19-46. — [10] *Matth.*, XVI, 13-19. — [11] *Matth.*, XXI, 23. — [12] *Matth.*, XXVI, 62-66. — [13] *Luc.*, XXIV, 13-53.

[14] Damnata est propositio sequens : "Jesus cum ministerium suum exercebat, non in eum finem loquebatur ut doceret se esse Messiam,

91. **Conclusiones.** A) Admitti nequit has declarationes non esse verba genuina Jesu, sed primæ Christianorum generationis inventa, nam : a) ita cum integrâ narratione connectuntur ut illis sublatis tota Evangelii tela descissa maneret, — et pauca quæ superessent fragmenta inintelligibilia omnino forent : ita mors Jesu non posset historice explicari; b) insuper, certum est Apostolos jam a die Pentecostes docuisse Jesum esse vere Messiam [1], et ita deficit tempus ad idealisationem vitæ Jesu necessarium. Paulus etiam prædicat in synagogis Judæorum Jesum esse Messiam a prophetis prænuntiatum [2].

92. B) Neque dici potest, cum *Loisy*, Jesum affirmâsse *se fore tantum* Messiam *sensu eschatologico.* — Messianicum regnum quasi duplex stadium habere debebat, prius in terra, posterius in cælis post ultimum adventum Messiæ. Jesus dixit se jam esse Messiam in primo sensu, jam vices agere Messiæ, ut constat ex superius dictis; et fore Messiam in secundo sensu quando omnia consummabuntur [3].

II. *Testimonium Jesu Nazareni de seipso fide dignum est.*

93. **Thesis** : *Spectatis Jesu Nazareni ingenio et indole, testimonium quod de suâ divinâ missione messianicâ et doctrinali reddidit est omni fide dignum* [4].

Ut testimonium Jesu Nazareni de seipso sit fide dignum, duo requiruntur et sufficiunt, scilicet ut Jesus neque deceptor, neque deceptus fuerit.

Atqui hæc duo constant. — Ergo...

94. *Prob. minor :* — A) *Jesus non fuit deceptor.* — Omnes hoc concedunt. Jesus ergo vere persuasus fuit sese a Deo missum esse tanquam Messiam ad docendos homines veram religionem.

B) *Jesus non fuit deceptus.* — Quidam Rationalistæ cum Renan contendunt Jesum fuisse aliquatenus deceptum, et hanc persuasionem nihil aliud esse nisi vividam suæ cum Deo unionis conscientiam.

Id prorsus rejiciendum est. Nam Jesus ab initio suæ vitæ publicæ affirmavit se a Deo missum esse ad docendos

---

neque ejus miracula eo spectabant ut id demonstrarent." Decret. *Lamentabili*, prop. 28. DENZINGER-BANNWART, 2028.

[1] *Cf. Act., II, 36.* — [2] *Act.*, XIII, 27.

[3] Cf. DE LA BRIÈRE, in *Diction. Apologétique* (*A. d'Alès*), voce *Eglise*, t. I, c. 1230. — [4] Cf. PICARD, *La Transcendance de J.-C.*, I.

homines doctrinam saluti necessariam, et proclamavit *hanc divinam missionem* tanquam *dogma præcipuum* quod credere necesse est sub pœnâ damnationis æternæ. Porro talis affirmatio, si falsa esset, supponeret Jesum fuisse *vere hallucinatum* et quidem *perpetuo*, quod oriri nequiret nisi *ex statu pathologico* mentis aut voluntatis. Atqui hallucinatio perpetua in Christo admitti nequit ut patet ex ejus sapientiâ et eximiâ sanctitate.

95. a) Etenim *sapientiam* Jesu mirati sunt doctores in templo, turbæ quæ eum publice docentem audierunt, imo et satellites missi ut eum caperent in sermone; — ejus mentis acuitatem, rectitudinem judicii et æquanimitatem continuam semper agnoverunt discipuli necnon inimici ; quæ omnia non sunt hallucinati hominis.

b) A *peccatis et defectibus immunis* apparet Jesus, simul et *virtutibus omnibus præditus* gradu heroïco, præsertim pietate erga Patrem, caritate erga homines, perfectâ sui abnegatione; — ita ut dici debeat perfectissimum exemplar sanctitatis, in quo pura ac simplex virtus percipitur sine ullo nævo ac defectu, in summo gradu. Porro hæc non sunt insani aut amentis viri.

Ergo non fuit deceptus. Revera fuit, sicut credidit et dixit, verus Messias a Prophetis prænuntiatus.

96. Testimonium igitur Jesu nec deceptoris, nec decepti, est omni fide dignum, — et ideo Jesus Nazarenus vere fuit Messias a Deo missus ad docendos homines veram religionem, ac proinde Religio christiana quam prædicavit est vere divina et ab omnibus amplectenda [1].

§ III. Divinitas Religionis Christianæ ex miraculis Christi probatur.

97. Jesus Nazarenus non solum *dictis*, *sed factis*, præsertim *miraculis*, divinitatem suæ missionis doctrinalis probavit.

Unde dicemu 1) de *miraculis in genere*, 2) de miraculis *a Jesu factis in ordine physico*, 3) in *ordine intellectuali*, 4) de ejus *resurrectione*.

---

[1] Multi divinitatem missionis Christi stabilire conantur ex ejus eximiâ *sanctitate :* hoc argumentum per se non est demonstrativum, cùm quis sanctus esse possit sanctitate etiam suprahumanâ, quin sit divinus legatus. Sanctitas Christi simul sumi debet cum testimonio quod de seipso reddidit ut habeatur validum argumentum.

I. *De Miraculis in genere.*

1° De Miraculi natura[1].

98. **A) Notio.** Miraculum, venit a *mirando*, ideoque etymologice id omne designat quod ad excitandam admirationem aptum est.

Sensu stricto, miraculum est *factum sensibile, extraordinarium, divinum.* Dicitur :

a) *factum*, i. e., phænomenon, non autem doctrina;

b) *sensibile*, i. e., quod aliquo modo *sensibus externis* manifestari potest, secus non esset signum divinæ Revelationis;

c) *extraordinarium*, i. e., quod extra ordinem, seu *præter aut supra leges naturæ* patratur.

Deus enim duplici modo creaturas gubernat : a) statuendo leges generales quibus in conditionibus determinatis phænomena modo constanti et uniformi producuntur; b) directe interveniendo, in casu particulari, ad aliquem effectum extra has leges operandum, — et tunc habetur miraculum, seu *interventus liber Dei* in effectu producendo independenter a legibus consuetis. Miraculum *non est violatio* aut *suspensio* legum naturæ, nam leges sunt hypothetice immutabiles, scilicet posito quod omnes et solæ agunt causæ naturales, in debitis conditionibus; in miraculo additur causa præternaturalis, scilicet Deus.

d) *divinum*, i. e., quod Deo soli, inspectis omnibus circumstantiis facti concreti, tribui possit.

Deus agere potest immediate per se, — aut mediate per angelos aut homines sibi subservientes : dummodo effectus Deo, deficientibus causis naturalibus proportionatis, tribui debeat, vere miraculum erit.

99. **B) Species.** Miraculum est *physicum*, — *intellectuale*, — *morale*, prout fit præter leges ordinis physici, intellectualis aut moralis.

100. **C) Errores.** *Protestantes liberales* sæpe nomen servant miraculi, rem vero rejiciunt : miraculum enim mirum exercitium divinæ Providentiæ vocant.

Rejicienda est et *Modernistarum* notio qui dicunt miraculum ex fide oriri, et nonnisi fide cognosci posse.

---

[1] *Syn. maj.*, n. 365-371; cf. De Bonniot, *Le Miracle et ses contrefaçons;* Sortais, *La Providence et le Miracle.*

2° De Miraculi possibilitate[1].

101. Negant possibilitatem miraculi : 1) athei, pantheistæque omnes, — 2) theistæ quidam, falso putantes miraculum esse violationem legum naturæ.

102. Thesis. *Admissâ Dei existentiâ, miracula nullo modo repugnant, sed potius multipliciter conveniunt.* Philosophice certum, theologice de fide.

Probatur. Si repugnarent miracula, vel ex parte legum naturæ, vel ex parte Dei, vel ex parte conscientiæ humanæ. — Ita omnes.

Atqui, miraculum repugnat nec ex parte legum naturæ, nec ex parte Dei, nec ex parte conscientiæ humanæ. — Ergo...

103. *Ad minorem.* **A)** Non repugnat miraculum *ex parte legum naturæ.* — Res *philosophice* spectari debet, nam philosophiâ solâ investigari potest num interventus Dei in mundo extra ordinem legum naturæ sit ex se impossibilis. — Ille interventus Dei præter leges repugnaret, si leges essent ex se omnino necessariæ. Atqui ex Philosophiâ, constat eas esse *contingentes*, etiam post creationem. Nam Deus manet Dominus et quidem omnipotens entium quæ fecit; ea conservat et ad actionem applicat. Ergo agere potest vel sequendo leges quas ipse posuit, vel independenter ab his legibus, effectum producendo modo quo libuerit.

104. *Scientia* impossibilitatem miraculi demonstrare nequit quia de causis non curat præternaturalibus, — sed ex notione verâ immutabilitatis legum naturæ apparet *locum esse in mundo interventui libero ex parte Dei.* Etenim lex naturæ exigit ut, datis omnibus et solis causis naturalibus in circumstantiis requisitis, sequatur effectus; non impedit autem quin agens liber interveniat ad apponendas novas causas aut removendas eas quæ existunt, ad mutandas circumstantias...: quod quotidie ab hominibus fit.

Porro si homo intervenire potest ad aliquem effectum impediendum, aut obtinendum, quando vult, — a fortiori, Deus. Hic interventus liber hominis non est miraculum

[1] *Syn. maj.*, n. 372-380. Cf. Sortais, l. c.

quia homo leges quidem naturæ, sed alias, applicat, cùm dependens sit semper a naturâ cui præest obediendo; interventus autem Dei est miraculum quia Deus effectum operatur independenter a legibus, cùm Dominus sit omnium entium quibus imperat producendo totam earum realitatem, activitatem et efficaciam.

Objiciunt miraculo *ordinem naturæ perturbari;* immerito tamen : non enim leges mutantur, sed tantum circumstantiæ in quibus entia naturalia agunt aliquantulum modificantur.

105. B) Non repugnat miraculum *ex parte Dei.* — Illæsa manet : **a**) ejus *immutabilitas*, quia Deus ab æterno simul cum lege miraculum prævidit et decrevit; — **b**) *sapientia*, quia non arbitrariâ voluntate impellitur ad miracula facienda, aut desiderio defectus mundi emendandi, sed intendit manifestationem suæ potentiæ, suæ bonitatis, et confirmationem veritatis alicujus, sive naturalis, sive præternaturalis.

106. C) Non repugnat *ex parte humanæ conscientiæ*, — quæ etiam apud modernos potest humiliter accipere veritates a Deo revelatas et miraculo signatas quin pereat *legitima* rationis *autonomia*.

3° De Miraculi discernibilitate[1].

107. Negant discernibilitatem miraculi : 1) positivistæ, 2) multique rationalistæ.

Ut secernatur miraculum, *tria* sunt ostendenda : 1) realitas seu *historicitas* facti, 2) ejus *præternaturalitas*, et 3) *divinitas*.

A) *Historicitas facti miraculosi constare potest.*

108. Etenim **a**) ex definitione miraculum est *factum sensibile*, ac proinde observari potest sicut quodlibet aliud, — **b**) *testimonio* scripto vel orali servari et tradi potest, sicut aliud, ita v. g. sanatio cæci.

Nec obstat *præternaturalitas* facti miraculosi; — nam miraculum non est præternaturale in se, quatenus factum, sed in causâ solum, quatenus ab agente suprahumano procedit. — Et ideo, sine Academiâ observari potest, ita, v. g., resurrectio mortui.

[1] *Syn. maj.*, n. 381-389.

Hume dicit mille testes insurgere contra unum testem qui miraculum affirmat. Quod quidem merum sophisma est : mille enim testes affirmant legem quæ ordinarie applicatur, testis autem miraculi affirmat factum unum extraordinarium quod interventu Dei speciali productum est, ergo non testantur de uno eodemque objecto.

B) *Præternaturalitas facti miraculosi dignosci potest.*

109. Ut constet præternaturalitas facti miraculosi, requiritur et sufficit ut, attentis naturâ rei et circumstantiis concretis omnibus, clare appareat *nullam esse proportionem* inter *media* naturalia adhibita, et *effectus* productos. Atqui hoc in nonnullis saltem casibus constare potest[1], ut facile videre est in inquisitionibus canonicis quæ recenter ab Episcopis Galliæ de miraculis in oppido " Lourdes " peractis institutæ sunt.

Ergo...

110. *Objicitur :* a) *vires naturæ non omnes cognosci*, ac proinde numquam possibilem esse certitudinem de præternaturalitate alicujus facti. — Respondemus : Ut certi simus de præternaturalitate facti concreti, non requiritur ut cognoscamus omnes vires naturæ, et dicere valeamus quousque earum efficacia sese extendere valeat, sed sufficit ut practice dijudicare possimus quid in determinatis circumstantiis operari nequeant. Jamvero leges naturæ in iisdem adjunctis determinantur ad *unum* effectum producendum, dum, in casu miraculi, effectus producitur ab agente quod in iisdem circumstantiis *diversos* omnino operatur effectus, quasi esset libertate præditum.

111. b) Multa tanquam miracula haberi quæ *imaginationi aut hypnotismo* tribui possunt. — Respondemus : 1) notam esse vim imaginationis Doctoribus catholicis, — et pariter somnambulismi, magnetismi et hypnotismi, — sed, juxta medicos, morbi qui ex cujusdam organi læsione procedunt his modis sanari nequeunt, et ideo omnes sanationes miræ vi phantasiæ explicari non possunt.

2) quando his causis naturalibus obtinetur sanatio, observantur leges naturales a peritis notæ, — in miraculo præter has leges sanatio efficitur.

3) denique, non omnia facta miraculosa sunt morbi sanationes, alia multa narrantur, v. g., in Evangeliis, resurrectio mortuorum.

[1] Cf. Bertrin, *Histoire critique des événements de Lourdes.*

N.B. mutationes in editione 1923

126. Concludendum est igitur nonnulla opera ut miraculosa certo cognosci posse, modo attente inspiciantur tum effectus productus, tum causæ naturales cum omnibus adjunctis, tum circumstantiæ morales et religiosæ. Hæc certitudo major minorve habetur pro diversis operibus, sed semper moralis dici debet, quippe quæ acquiratur sub influxu dispositionum moralium cum concursu voluntatis.[1]

1. De Tonquédec, op. cit. p. 228; De Poulpiquet: Le miracle et ses suppléances, ch. IV.

C) *Divinitas facti miraculosi dignosci potest.*

112. *A priori* debent esse signa quibus secernantur opera Dei *a prodigiis diabolicis.* Hæc signa oriuntur :

a) ex *naturâ operis*, quod quandoque a Deo solo perfici potest, ita, v. g., resurrectio mortui, prædictio futurorum contingentium;

b) ex *moralibus characteribus* operis, scilicet 1) ex personâ *thaumaturgi;* 2) ex *modo* quo fit miraculum; 3) præsertim ex *effectibus ;* 4) ex *doctrinâ* cum quâ connectitur.

Ita *plerumque* secernuntur miracula divina a prodigiis diabolicis, et ideo intelligitur Deum permittere mirabilia a diabolis perfici.

D) *De vi demonstrativâ miraculorum*[1].

113. Miracula *quando in confirmationem alicujus doctrinæ revelatæ peraguntur*, signa sunt revelationis *certissima* et *omnium intelligentiæ accommodata.*

A) Etenim, impossibile est Deum mentiri. — Porro mendacium æquivalenter proferret Deus, si miracula patraret ad demonstrandum aliquam doctrinam falsam, aut mere humanam, esse ab ipso revelatam. — Ergo...

Confirmatur argumentum comparatione sigilli regii quo non signantur nisi scripta vere authentica.

Cùm vis demonstrativa miraculi sit ex se omnino decretoria, miraculum intelligentiæ etiam modernorum accommodatur : quod si non intelligant coævi quidam nostri, sibimetipsis, scilicet præjudiciis suis, non miraculo culpa adscribatur.

114. **B**) Sed ut sit signum revelationis certissimum, *requiritur absolute* ut miraculum *peragatur in confirmationem doctrinæ quæ ut revelata perhibetur :* nam, deficiente omni vinculo inter miraculum et doctrinam, miraculum esset quidem interventus extraordinarius Dei, non autem sigillum Dei doctrinæ appositum. — Ideo quando divinitatem religionis christianæ ex miraculis probabimus, duo erunt stabilienda : 1) factum allegatum esse vere miraculum, i. e. factum historice certum, præternaturale et divinum; 2) hoc miraculum peractum fuisse a Deo ad confirmandam divinam originem religionis christianæ.

---

[1] De Poulpiquet, *L'objet intégral de l'Apologétique*, p. 69-75; *Le Miracle et ses suppléances*, 1914, p. 188 sq.

Duplici modo aliquod miraculum fieri potest in confirmationem alicujus doctrinæ : a) *directe*, si quis explicite aut æquivalenter asserit aliquod miraculum secuturum esse ut ita manifestetur veritas talis doctrinæ; b) *indirecte*, si quis, legatum divinum sese declarans, ad miracula a se antea patrata provocat.

Sæpe *objicitur* miracula in omnibus religionibus inveniri, et propterea nullam esse vim demonstrativam miraculorum. — Non negat S. Thomas miracula forsan a Deo produci in falsis religionibus, — sed si vera sint, quod probandum esset, numquam in confirmationem doctrinæ falsæ patrata sunt.

Scholion : Doctrina catholica de miraculis.

115. *Ex Vaticano, certum est :* a) miracula esse facta *externa* et *divina*, *revelationis signa* et *argumenta*, b) quæ *Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrant.*

De fide : a) miracula quædam *fieri posse*, et aliquando *certo cognosci posse*, iisque *divinam religionis christianæ originem rite probari*, — b) revelationem divinam *externis signis credibilem fieri posse*, ideoque non solâ internâ experientiâ cujusque, aut inspiratione privatâ, homines ad fidem moveri debere[1].

II. *Divinitas Religionis Christianæ probatur ex miraculis a Jesu patratis in ordine physico*[2].

116. Argumentum generale. In Evangeliis multa referuntur miracula a Jesu Nazareno in ordine physico

---

[1] "Ut nihilominus fidei nostræ obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata...

Can. 3. Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque solâ internâ cujusque experientiâ aut inspiratione privatâ homines ad fidem moveri debere; anathema sit.

Can. 4. Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacrâ Scripturâ contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci numquam posse, nec iis divinam religionis christianæ originem rite probari; anathema sit. (Conc. Vatic., sess. III, cap. 3, can. 3-4, Denzinger-Bannwart, 1790, 1812, 1813.

In *formula Jurisjurandi a Pio X* præscripti, dicitur "Secundo externa revelationis argumenta, imprimisque miracula et prophetias admitto et agnosco tanquam *signa certissima divinitus ortæ christianæ religionis*, eademque teneo ætatum *omnium* atque hominum, etiam *hujus temporis*, intelligentiæ esse maxime accommodata."

[2] *Syn. maj.*, n. 394-410.

patrata. Illa miracula spectari possunt sive *singillatim*, sive *collective*, ut ex eis probetur divinitas Christianismi. Posteriorem methodum ut breviorem simul et efficaciorem amplectimur [1].

117. Sic confici potest *argumentum :*

Si Jesus Nazarenus vera peregit miracula ad confirmandam divinitatem suæ missionis religiosæ, credere debemus eum vere fuisse a Deo missum ad docendum nos veram Religionem ab omnibus hominibus amplectendam.

Atqui constat Jesum Nazarenum vera peregisse miracula ad confirmandam divinitatem suæ missionis religiosæ.

Ergo credere debemus eum vere fuisse a Deo missum ad docendum nos veram Religionem ab omnibus hominibus amplectendam.

Major patet ex dictis, n. 113.

Minor probatur per partes, scilicet : 1) constat Jesum Nazarenum vera peregisse miracula, 2) ad confirmandam divinitatem suæ missionis religiosæ.

1° Jesus vera peregit miracula.

118. Ut constet Jesum vera peregisse miracula, tria requiruntur et sufficiunt, scilicet ut miracula Christi sint 1) *historice certa*, 2) vere *præternaturalia* et 3) *divina.* — Atqui hæc tria constant. — Ergo.

A) *Miracula Christi sunt historice certa.*

119. Hoc jam colligitur ex historicitate Evangeliorum. — Sed multi admittunt historicitatem Evangeliorum et nihilominus rejiciunt miracula : contra quos argumenta specialia subjungere opportunum est :

a) *Iidem sunt testes* qui vitam Christi referunt et miracula : æquâ fide digni sunt in factis utriusque generis narrandis, cum miracula sint facta sensibilia, extraordinaria et publica.

b) De nonnullis miraculis *juridica instituta est inquisitio* ab ipsis inimicis Christi, v. g., de curatione cæci nati.

c) Insuper miracula *cum telâ evangelicæ narrationis ita contexta sunt* ut negari nequeant quin simul tota Christi historia rejiciatur.

---

[1] Cf. Fillion, *Les Miracles de N.-S. Jésus-Christ.*

d) Denique ad miracula Christi ut ad facta notissima fidenter provocant tum *Apostoli*, tum *Patres*[1].

B) *Miracula Christi sunt præternaturalia.*

120. Dicunt multi hæc facta ut præternaturalia a coævis Christi agnita fuisse, quia Judæi proni erant ad miracula facile admittenda propter ignorantiam legum naturæ.

a) Non omnes coævi Christi, non Pharisæi, nec inimici Christi, proni erant ad multiplicanda miracula ab eo facta.

b) Dato etiam quod coævi decepti sunt propter ignorantiam legum naturæ, sane potuerunt facta ipsa recte videre et referre, nostraque refert dijudicare num sint vere præternaturalia. Porro certum est multa a Christo patrata leges naturæ superare, inspectis tum eorum *naturâ*, tum *modo* quo peracta sunt, qualia sunt, v. g., subita paralytici curatio (*Joan.*, V, 5-9), leprosi solo tactu perfecta curatio (*Matt.*, VIII, 3), mortui resurrectio jam fœtidi (*Joan.*, XI).

c) Nec explicari possunt facta miraculosa suggestione aut hypnotismo. Nam : 1) curationes sunt nimis variæ, 2) Christus curationes perfecit instantanee, sine adminiculis, solo nutu vel tactu, imo aliquoties in distans[2].

C) *Miracula Christi sunt divina, non diabolica.*

121. Patet : 1) sæpe ex *naturâ* operis, quod a Deo solo perfici potest, v. g., resurrectio mortui; 2) ex *personâ thaumaturgi*, qui omnibus virtutibus erat præditus; 3) ex *circumstantiis* miraculorum et in primis ex eorum fructibus.

2° Miracula Christi in confirmationem suæ divinæ missionis peracta sunt.

122. Ipse enim ad opera, i. e., ad miracula sua, sæpius provocat, quando discipulos aut plebem vult convincere de divinitate suæ missionis.[3] Antequam Lazarum ad

---

[1] De testimonio Flavii Josephi, cf. *Syn. maj.*, n. 403 nota.
[2] Cf. *Matt.*, VIII, 5, XV, 22-28.
[3] *Matt.*, XI, 4-5; *Luc.*, VII, 21; *Joan.*, V, 36, X, 24, XIV, 10, XV, 92.

vitam revocet, finem suum aperte declarat "ut credant quia tu me misisti[1]".

Itaque discipuli propter miracula divinam auctoritatem Jesu agnoverunt, et ex miraculis divinam ejus missionem probaverunt.

Ergo stat utraque pars minoris.

123. Conclusio. Ergo credere debemus Jesum Nazarenum vere esse a Deo missum ad docendum nos veram religionem quam omnes amplecti debemus. Si error est, a Deo decepti sumus.

Modernistæ hanc eludunt conclusionem **a**) retinendo ex miraculis in Evangeliis relatis illas solas curationes quas hodie medicus perficere potest; **b**) explicando, per *idealisationem* a fide decursu primi sæculi operatam, prodigia circa creaturas inanimatas[2]. Hæc asserta pseudo-criticorum confutat *Encycl.* PASCENDI[3].

III. *Divinitas religionis christianæ probatur ex vaticiniis a Jesu Nazareno editis*[4].

124. 1° **Prænotanda. A**) *Notio vaticinii.* Vaticinium (seu prophetia) est *certa prædictio futuri eventûs qui naturaliter prævideri nequit.* — Est 1) prædictio futuri eventûs, non cognitio rei occultæ anteactæ aut præsentis, neque doctrinæ; — 2) certa, ut sic distinguatur a conjecturâ; — 3) qui naturaliter prævideri nequit, utpote in causis naturalibus minime determinatus, sed undequaque a liberâ voluntate Dei vel hominum pendens[5].

B) *Possibilitas.* Vaticinii possibilitas patet ex eo quod ex unâ parte Deus futura contingentia novit, et ex alterâ ea manifestare hominibus potest, ut dictum est supra, n. 42.

125. C) *Discernibilitas.* Tria sunt stabilienda ut certo habeatur prophetia: 1) ejus *historicitas*, i. e., prædictio debet eventum prævenire et facto compleri, 2) *præternaturalitas*, i. e., impossibilitas naturaliter acquirendi hanc cognitionem. Hoc nonnumquam demonstrari potest, scilicet quando prædicuntur cum certitudine res comple-

---

[1] *Joan.*, XI, 42. — [2] Cf. LEPIN, *Les Théories de M. Loisy.*
[3] DENZ.-BANNWART, n. 2076.
[4] *Syn. maj.*, n. 411-423.
[5] Cf. S. THOMAS, 2a, 2æ, q. 172, art. 1.

xæ, tempore remotæ, cum adjunctis quæ hic et nunc nondum sunt in causis determinata, sed undequaque a liberâ voluntate hominum vel Dei pendent, 3) *divinitas*, quæ cognoscitur ut supra dictum est de miraculo, n. 112.

D) *Vis demonstrativa.* Vaticinium supponit interventum Dei præternaturalem, et ideo est verum miraculum in ordine intellectuali : est ergo signum decretorium revelationis *quando cum eâ connectitur.* (Cf. supra, n. 114, de vi demonstrativâ miraculi.)

126. 2° **Argumentum.** Si Jesus Nazarenus vera edidit vaticinia ad confirmandam fidem discipulorum in suam missionem divinam, credere debemus eum vere esse a Deo missum ad docendum nos veram Religionem.

Atqui constat Jesum vera edidisse vaticinia ad confirmandam fidem discipulorum in suam missionem divinam.

Major constat ex dictis.

127. *Minor probatur* per partes. **A**) Constat Jesum Nazarenum *vera edidisse vaticinia*[1].

Nam : **a**) fecit *prædictiones* quæ eventu completæ sunt :

1) circa passionem et resurrectionem suam[2],

2) circa discipulos suos et Ecclesiæ fata[3],

3) circa Judæos seu excidium Jerusalem[4].

b) *Hæ prævisiones naturaliter obtineri nequibant :* siquidem annuntiabant clare et certe facta determinata cum minutis adjunctis, et quidem tempore quo hæc omnia a liberâ voluntate hominum et Dei pendebant.

c) Denique hæ prædictiones sunt *divinæ*, ut patet ex supradictis de divinitate miraculorum Christi. — Ergo prædictiones a Jesu factæ, sunt vaticinia vere divina.

128. **B**) Jesus edidit vaticinia ad *confirmandam fidem* suorum discipulorum in suam missionem divinam, ad roborandos animos Apostolorum ne forte scandalizentur morte suâ, ut patet ex *Joan.*, XIV, XV, XVI.

Ergo, si falsa sit doctrina a Jesu prædicata, Deus ipse hujus falsitatis patronum sese exhibuit : si error est, a Deo decepti sumus.

---

[1] Cf. BATIFFOL, *L'enseignement de Jésus*, p. 251.
[2] *Matt.*, XVI, 20-23; XVII, 21-22; XX, 17-19.
[3] *Matt.*, XXVI, 31, 34, 21-25; X, 17-18.
[4] *Matt.*, XXIV, 7, 11, 15-18; *Luc.*, XXI, 20-24.

129. *Objiciunt* Modernistæ Christum errâsse quia credidit finem mundi suumque gloriosum adventum jam imminere [1]. — *Respondemus* Christum aperte declarasse diem judicii esse omnibus ignotum, solo Deo excepto, et Evangelium prædicandum esse in universo mundo antequam veniat dies Domini. Si quædam Christi verba difficile explicantur, vitandum tamen est ne contradictio ei imputetur, ideoque aliter intelligenda sunt ea quæ proximitatem ultimi adventûs Messianici primo intuitu annuntiare videntur.

IV. *Divinitas Religionis Christianæ ex resurrectione Jesu Nazareni probatur* [2].

130. Argumentum generale sic enuntiari potest :

Si Jesus Nazarenus vere a mortuis surrexit, credere debemus eum vere esse a Deo missum ad docendum nos veram Religionem.

Atqui historice constat Jesum a mortuis vere surrexisse.

131. *Major* est certa; nam 1) resurrectio est miraculum soli Deo possibile; 2) sæpe Jesus *prædixerat* mortem ac resurrectionem suam, et dederat resurrectionem propriam tamquam *sigillum miraculorum* suorum et argumentum suæ divinæ missionis.

Ad minorem demonstrandam, duo probabimus 1) Jesum vere *mortuum* fuisse, 2) eumdem vere *surrexisse.*

1° Jesus vere mortuus est.

132. Certum est Jesum in cruce mortuum esse. — Patet 1) ex *testibus* qui juxta crucem stabant, amicis qui narrant eum clamantem voce magnâ exspirasse, inimicis qui sedulo invigilaverunt ut sententia mortis executioni mandaretur, — 2) ex testimonio *centurionis* quem accersivit Pilatus priusquam corpus donaret discipulis, necnon *militum* qui invenerunt eum jam mortuum et ideo non fregerunt ejus crura, — 3) ex eo quod *publice* Apostoli, nullis contradicentibus, prædicaverunt Jesum mortuum esse in cruce.

---

[1] Cf. *Decret. Lamentabili* prop. 33ª "Evidens est cuique qui præconceptis non ducitur opinionibus, Jesum aut errorem de proximo Messianico adventu fuisse professum, aut majorem partem ipsius doctrinæ in Evangeliis synopticis contentæ authenticitate carere." DENZINGER-BANNWART, n. 2033. Cf. LEMONNYER, in *Diction. Apologétique (A. d'Alès)*, voce *Fin du Monde.*

[2] *Syn. maj. n.* 424-448. Cf. MANGENOT, *La résurrection de Jésus;* LADEUZE, *La résurrection du Christ.*

2° JESUS VERE A MORTUIS SURREXIT.

133. Errores. Nullus est qui hodie dicat *Apostolos fuisse deceptores*; — sed putant *Liberales* et *Modernistæ* eos *deceptos fuisse* 1) aliquâ hallucinatione, aut 2) visione spirituali; vel dicunt fidem resurrectionis non esse primitivam, sed ex fide immortalitatis Christi sensim derivâsse (Loisy).

134. Thesis : *Christus in propriâ carne, quamvis gloriosâ, vere a mortuis surrexit.* — Historice certum, theologice de fide [1].

Dicitur : 1) vere surrexit, in *propriâ carne*, nam caro Christi eadem quæ in cruce pependerat et in monumento posita erat, hæc iterum vitam habuit, 2) quamvis *gloriosâ*, quia caro Christi post resurrectionem impassibilitate, subtilitate, claritate, agilitate et omnibus dotibus corporum glorificatorum gaudebat [2].

Duo sunt testimonia afferenda, Sancti Pauli, et Evangelistarum.

135. A) *Testimonium Sancti Pauli* [3]: — Asserit S. Paulus, in *I Ep. ad Cor.*, resurrectionem tanquam factum inconcussum, omnibus notum, per traditionem transmissum : " Tradidi enim vobis in primis quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas, et quia visus est Cephæ, et post hoc undecim. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul..., deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus; novissime autem omnium tanquam abortivo, visus est et mihi [4] ".

Docet Paulus Christum surrexisse, et factum resurrectionis probat sex apparitionibus quas commemorat.

136. Frustra objiciunt Rationalistæ 1) Paulum non referre apparitiones Jerosolymitanas; nam Apostolus non intendebat *omnes* apparitiones Christi resurgentis enumerare; — 2) Paulum apparitiones ut mere spirituales exhibere; nam contextus postulat apparitiones *corporeas*, quia idem qui mortuus est et sepultus secundum carnem, resurrexit et visus

[1] Ex symbolis, ex magisterio ordinario et praxi liturgicâ Ecclesiæ universalis.
[2] Cf. DD. CHOLLET, *Diction. de Théologie Catholique (Vacant-Mangenot)*, voce *Corps glorieux*.
[3] Cf. MANGENOT, l. c., p. 74. — [4] *I Cor.*, XV, 3

est pariter secundum carnem, — et Christus resurgens secundum carnem est *exemplar* resurrectionis nostræ secundum carnem.

Testatur ergo Paulus Jesum vere a mortuis surrexisse, et quidem in carne propriâ, licet gloriosâ, ut patet ex versiculis sequentibus ejusdem cap. XV, 42-44 *I^æ ad Cor.*

137. B) *Testimonium Evangelistarum* [1]. Duo testantur Evangelistæ : 1) sepulcrum inventum esse vacuum die tertiâ, — et 2) Christum vivum post mortem multoties apparuisse.

a) *Sepulcrum vacuum.* Secundum Evangelistas, corpus Christi e cruce depositum in sindone involutum fuit et in monumento novo de petrâ excisâ sepultum. Saxum magnum advolutum est ad ostium monumenti; lapis signatus est et appositi custodes. — Porro primâ die post sabbatum, sepulcrum vacuum inventum est : ubinam corpus Christi?

Non a terrâ absorptum, — nec a discipulis sublatum qui numquam sicut sepulcri violatores damnati sunt, — nec a Judæis, qui cadaver Apostolis resurrectionem Christi prædicantibus opposuissent. — Ergo una manet explicatio, nempe vera Domini resurrectio, prout ab Apostolis refertur.

138. Recenter *Loisy* asseruit corpus Christi non in monumento positum fuisse, sed in fossam communem projectum secundum legem. — Sed lex permittebat Pilatum corpora eorum qui capite damnati erant amicis remittere ut sepelirentur. Et ita factum esse constat ex Evangeliis. — Præterea traditio, a Paulo (*Rom.* VI,4) et Petro (*Act.* II, 24-32) servata, asserebat sepulturam honorificam in monumento Christo fuisse datam.

139. b) *Apparitiones Christi.*

Duplex *objicitur* esse traditio de apparitionibus Christi, altera Galilæa, altera Jerosolymitana quæ inter se opponuntur. Exinde inferunt Rationalistæ apparitiones a primâ generatione Christianâ excogitatas esse ad facilius convincendos animos de resurrectione Christi. — Conclusio non ex præmissis sequitur. Nam apparitiones Galilææ Jerosolymitanis apparitionibus *non excluduntur*, Christus resurgens Jerosolymis primum, deinde in Galilæâ apparuit apostolis et disci-

[1] Cf. MANGENOT, l. c., p. 177.

pulis : præbuit enim seipsum vivum in multis argumentis, cum eis loquens, ambulans, manducans, corpus redivivum cum fixurâ clavium in manibus ac pedibus ostendens, et latus vulneratum palpari jubens [1]. Quare apostoli multoties affirmârunt se testes esse resurrectionis Christi in carne, quæ, licet supernaturalibus dotibus induta, modo sensibili ipsis manifestata est [2].

140. *Testes* apparitionum Christi resurgentis : **a)** *non decepti sunt;* nam multi sunt, ac Christum pluries, et pluribus in locis per quadraginta dies apparentem viderunt, eum tetigerunt, cum eo locuti sunt, et vixerunt;

b) non *sunt deceptores*, nam resurrectioni credere primum noluerunt, mulieres resurrectionem annuntiantes deriserunt, nonnisi evidentiâ victi fidem tandem Christo resurgenti dederunt. — Ergo fide sunt digni, et ex eorum testimonio certi sumus Christum vere resurrexisse.

141. Dicit nequit Apostolos fuisse *hallucinatos :* nam hallucinatio non est tam diuturna apud homines sanæ mentis; nec apparitiones esse *mere spirituales*, nam Apostoli non tantum viderunt, sed palparunt et tetigerunt corpus Domini; nec fidem discipulorum primum fuisse de *Christo immortali*, nam jam ab initio et Petrus in Actibus, et Paulus in prædicationibus et in Epistolis factum ipsum resurrectionis testantur.

142. **C)** *Confirmatur* factum resurrectionis Christi ex *mirabili immutatione Apostolorum* quæ resurrectionem secuta est. — Post resurrectionem Apostoli Spiritu Sancto roborati, impavidi, audaces, animo constantes apparent; publice resurrectionem prædicant, non obstantibus minis, carceribus, verberibus, et mox sanguinis effusione fidem suam signaverunt. Atque hæc mutatio inintelligibilis omnibus est si Christus crucifixus remansit in monumento; solâ resurrectione corporali Christi explicatur.

Ergo historice [3] constat Jesum Nazarenum vere a mortuis surrexisse.

---

[1] *Matth.*, XXVIII; *Mc.*, XVI; *Lc.* XXIV; *Joan.*, XX, XXI.

[2] *Act.*, I, 22; II, 32; III, 15; IV, 33; V, 32.

[3] Decreto *Lamentabili* hæ propositiones damnatæ sunt :

36. Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis, nec demonstratum, nec demonstrabile, quod conscientia christiana sensim ex aliis derivavit.

37. Fides in resurrectionem Christi ab initio fuit non tam de facto ipso resurrectionis, quam de vitâ Christi immortali apud Deum.

§ IV. Divinitas Christianæ Religionis probatur ex ejus mirâ propagatione[1].

143. Quia multi hodie docent naturalem fuisse propagationem Christianismi, opportunum videtur, quo validius conficiatur argumentum, duo facta simul jungere scilicet *propagationem* celerrimam religionis christianæ, et ejus *efficaciam* ad mores instaurandos. Demonstratio postea confirmabitur ex *constantiâ martyrum*[2].

144. **Thesis I[a]:** *Celerrima christianæ religionis per orbem terrarum propagatio, ejusque efficacia ad mores instaurandos, omnibus consideratis adjunctis, est miraculum ordinis moralis ejus divinitatem demonstrans.*

Facta 1° exponenda sunt, ac 2° explicanda.

I. Facta exponuntur[3].

145. 1° *Celerrima Christianismi propagatio.*

a) *Quoad numerum*, viventibus Apostolis, jam multi erant Christiani ut patet ex Actibus, necnon Epistolis. — Post mortem Apostolorum, multitudinem ingentem efformare Christianos affirmant S. Clemens, similiter S. Justinus, S. Irenæus, Tertullianus, — Tacitus, Suetonius, Plinius Junior.

b) *Quoad geographicam extensionem*, circa initium quarti sæculi prævalebat Christianismus in Asiâ Minori, Thraciâ, Cypro, Edessæ territorio, — diffundebatur in Cœle-Syriâ, in Ægypto, in Italiâ meridionali et mediâ, in Africâ proconsulari et Numidiâ, in Hispaniâ, Græciâ, et Galliâ meridionali.

c) *Quoad diffusionem socialem*, omnes ordines societatis mox pervasit, et ita differt Christianismus a mithriacismo qui fere exclusive inter milites sparsus est.

Ex his inferre licet Christianismum per tria priora sæcula celerrime in toto Imperio Romano diffusum esse, imo et extra limites Imperii.

146. 2° *Efficacia Christianismi ad instaurandos mores.*

a) *Privatos homines* instauravit, quia veritatem religiosam omnibus et singulis prædicavit, etiam rudibus, pauperibus et

---

[1] *Syn. maj.*, n. 449-494.
[2] Cf. De Poulpiquet, *l'Objet intégral de l'Apologétique*, p. 121-187.
[3] Cf. Allard, *Dix leçons sur le Martyre*, p. 17; Rivière, *La Propagation du Christianisme dans les 3 premiers siècles.*

servis, — damnavit luxuriam, ebrietatem ceteraque crimina contra naturam a philosophis agnita et tolerata, atque virtutes, fatentibus paganis ipsis, promovit modo mirabili.

b) *Familiam* instauravit, protegendo filios, uxorem, et servos : 1) *Uxorum* dignitatem vindicavit, quia unitatem et indissolubilitatem matrimonii imperavit, virginitatem laudavit, et cultum B. Mariæ promovit.

2) *Filiorum* vitam servavit, quia prohibuit et gravissimis pœnis punivit abortum, infantium expositionem, venditionem aut necationem.

3) *Servorum*[1] conditionem paulatim temperavit, quia fraternitatem omnium hominum prædicavit, omnes æquâ reverentiâ et caritate habuit, manumissionem tamquam eximium caritatis opus commendavit, laborem nobilitavit.

147. C) *Societatem civilem ipsam renovavit :* 1) *Libertatem* promovit docendo potestatem omnem esse a Deo, et exercendam esse ad civium bonum commune, non ad utilitatem propriam principis.

2) *Justitiam* inter homines instauravit, dignitatem cujusque hominis sanguine Christi redempti æternæque vitæ candidati annuntiando, — ac *caritatis* instituta ubique fundavit pro orphanis, pro infantibus expositis, pro infirmis et senibus, ut libenter fatentur adversarii nostri [2].

c) *Humanitatem* in relationibus inter diversos populos introduxit: hinc bellorum horror paulatim imminutus, inermes mitius tractati, bellantes post partam victoriam jam non occisi; fides in pactis melius servata, lites inter varias nationes sæpe arbitrio Episcoporum compositæ[3].

Igitur religio christiana vere fuit vitæ magistra. vitiorum expultrix, virtutum fecunda parens, et ita alias religiones longe transcendit[4].

II. Factorum explicatio.

148. Dicimus hæc facta esse *miraculum ordinis moralis*, scilicet non explicari nisi interventu Dei omnino extraordinario. — Quod apparebit si conferuntur impedimenta quæ Christianismo obstabant cum mediis naturalibus quæ adhibita sunt.

---

[1] Cf. P. Allard, *Les Esclaves chrétiens*, in *Diction. apologétique* (*A. d'Alès*), voce *Esclavage.*
[2] Cf. Lallemand, *Histoire de la Charité*, t. ii.
[3] Cf. Hourcade, *Abrégé de théologie sociale;* Lallemand, *Histoire de la Charité*, t. ii.
[4] Cf. Abbé de Broglie, *Religion et Critique*, p. 131-139.

149. 1° *Impedimenta erant maxima :* —

A) *Extrinseca :* **a**) tum ex parte *Judæorum* qui tenacissime adhærebant ritibus et cæremoniis a Moyse præscriptis, et traditionibus a Pharisæis disseminatis, — Messiam alium expectabant, et nolebant adorare hunc Jesum quem crucifixerant;

b) tum ex parte *Gentilium* quorum multi indifferentes erant circa religionem, alii, præjudiciis multis in populo sparsis decepti, aut superbiâ et ambitione necnon rationibus politicis ducti, Christianismo omnimodo obstiterunt.

B) *Intrinseca,* — tum ex parte *doctrinæ* quæ mysteria continebat non ratiocinio demonstrabilia sed solâ fide tenenda, — tum ex parte *ethicæ* quæ corde mundis consentiens corruptæ societati nimis odiosa apparebat.

Quanta fuerint hæc obstacula, intelligere poterit qui cognoscit difficultates quæ hodie post viginti sæcula conversionem coævorum nostrorum sæpe retardant, imo quandoque impossibilem faciunt.

150. 2° *Media naturalia adhibita fuerunt debilia.*

Siquidem *pauci* erant Evangelii primi prædicatores, *Judæi* genere, illitterati, pauperes, philosophiæ et artis disputandi ignari. — Nec *violentiâ* aut *vi armorum* usi sunt, nam libere quisque Christianus factus est, et violentiâ potius deterrebantur animi a Christianismo. — Nec blandimentis *voluptatis,* quia religio nova vitiis omnibus bellum aperte indicebat. — Nec *eloquentiâ,* quia Apostoli persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis non innitebantur.

151. Conclusio. Ergo media naturalia adhibita ex se non possunt explicare propagationem Evangelii tam celerem apud Romanos ac Barbaros et in omnibus civium ordinibus, non obstantibus supradictis impedimentis; — attentâ præsertim mundi innovatione tam altâ quæ supponit mentem immutatam, simulque voluntatem mirabiliter roboratam ut vitia antiqua eradicarentur, virtutesque nobiliores ac paganis fere ignotæ apud multos florerent. Talis igitur effectus nonnisi ex interventu Dei præternaturali provenit. — Unde sic brevius :

Si Religionis Christianæ mira propagatio et efficacia explicari nequeunt sine extraordinario interventu Provi-

dentiæ, credere debemus eam esse veram et ab omnibus amplectendam[1], quia Deus non potest actione speciali diffundere errorem, maxime in re religiosâ.

Atqui constat Religionis Christianæ miram propagationem et efficaciam explicari non posse sine extraordinario interventu Providentiæ. — Ergo.

152. **Thesis IIª** : *Heroicâ Martyrum constantiâ confirmatur divinitas Religionis Christianæ*[2].

1° *Facta breviter recensentur.*

A) Innumeros fuisse Martyres, i. e. eos qui cruciatus lethales in odium fidei, vel ob virtutis christianæ exercitium patienter toleraverunt, tota docuit antiquitas; hodie ipsi Rationalistæ fatentur numerum Martyrum maximum fuisse, licet impossibile sit eum determinare. Plura millia Martyrum pro Christo occisi sunt in Imperio Romano et apud Persas; postea, apud Mahumetanos, recentius apud Japonenses, Sinenses, nostris diebus in Africâ, permulti passi sunt tormenta, ita ut in Ecclesiâ numquam defuerit sanguinis testimonium[3].

B) Hi Martyres erant *cujuscumque conditionis*, *ætatis*, *ac sexûs;* aliunde *tormenta exquisitissima*, physica et moralia, tam fortiter pro Christo toleraverunt, ut *heroicam patientiam* manifestaverint.

153. 2° *Ex hâc constantiâ eruitur argumentum.*

Religio christiana est certe vera et ab omnibus amplectenda si *constantia heroica* Martyrum, omnibus attentis circumstantiis, est miraculum ordinis moralis[4]; nam Deus non potest interventu speciali innumeros homines in errore ita confirmare, maxime in re religiosâ, ut mors potius eligatur quam negatio erroris.

Atqui constantia Martyrum est miraculum ordinis moralis. Ergo...

154. a) *Minor probatur.* Id sane est miraculum ordinis moralis quod naturalibus viribus humanæ voluntatis explicari nequit. — Atqui constantia Martyrum, omnibus rite spectatis, solis viribus naturalibus voluntatis explicari

---

[1] Hic nexus inter miraculum et Religionem christianam ex *ipso fine interventûs divini* elucet.

[2] Cf. P. ALLARD, *Dix Leçons sur le Martyre.*

[3] Cf. LECLERCQ, *Les Martyrs.*

[4] Hic nexus inter miraculum et Religionem christianam ex *ipso fine interventûs extraordinarii* Providentiæ elucet.

N.B. mutationes in editione 1923.

166. Frustrà objicitur alias religiones fauste propagatas fuisse ; — nam miraculosum non est doctrinam quamlibet a multis recipi, sed religionem, mysteriis plenam et voluptati adversam, absque auxiliis humanis celeriter diffundi ac virtutum segetem uberem ferre in societate vitiis deditâ ; quod certè non invenitur nisi in historia Christianismi .

nequit; nam si *quidam* homines per aliquod tempus *heroes* esse possunt, non ita est de *immensâ multitudine* cujusvis ætatis, conditionis et sexûs : *paucorum est enim heroicos actus naturaliter perficere*, præsertim quando nullo humano motivo juvantur, non spe laudis, nec obstinatione cæcâ, nec vesano enthusiasmo.

155. b) *Confirmatur minor :* 1) Martyribus persuasum erat se divino auxilio juvari, nec nisi omnipotentis Dei gratiâ se posse tormenta superare. 2) Miraculis multis quæ animum martyrum roborabant, et aliquando persecutores convertebant, manifestabatur hoc divinum auxilium. 3) Semen Christianorum fuit sanguis Martyrum ; porro naturaliter Christianismus tot tantisque persecutionibus minui aut destrui, non autem augeri, debebat.

Ergo Martyres vere a Deo confortabantur ne fidem negarent, et ideo dicere debemus : *Digitus Dei est hic!*

156. *Scholion.* Nonnulli apologetæ aliter arguunt, nempe ex *testimonio* martyrum de miraculis Christi, Apostolorum et Christianorum[1]. — Dicendum videtur : a) hoc argumentum valorem suum tenere ex miraculis jam antea patratis, non ex martyribus qui sunt tantum testes factorum aliâ viâ jam cognitorum; b) non constat Martyres testes esse factorum; multi, verius forsan, putant Martyres esse *testes doctrinæ*, et tunc eorum constantia persuasionem invictam demonstrat, non autem religionis christianæ veritatem.

157. Si opponitur alias religiones suos martyres habere, notandum est martyrium, ut probet divinitatem alicujus religionis, talibus vestiendum esse adjunctis, ut cum veritate hujus religionis indivulse connectatur, simulque non humanis viribus, etiam fanatismo auctis, sed divinæ virtuti tribuendum sit. Cujus principii ope, facta ab adversariis allegata haud ægre explicabuntur.

§ V. Confirmatur Divinitas Religionis Christianæ prophetiis messianicis[2].

158. Prævia de prophetis[3]. Prophetæ apud Hebræos dicuntur *Videntes*, — seu *Dei interpretes* aut

[1] Cf. P. ALLARD, l. c., p. 309; RIVIÈRE, *Autour de la question du Martyre*, in *Revue pr. d'Apolog.*, IV, p. 625-643.
[2] *Syn. maj.*, n. 495-537.
[3] Cf. MANGENOT, *Diction. de la Bible* (Vigouroux), voce *Prophètes*; PELT, *Histoire de l'Anc. Testament;* ABBÉ DE BROGLIE, *Questions bibliques;* TOUZARD, *in Rev. p. d'Apolog.*, t. VI et VII.

legati. — Ex usu loquendi biblico prophetæ sunt *Interpretes Dei ab eo impulsi ut divina placita sibi revelata circa res præteritas, præsentes aut futuras ceteris hominibus manifestent.*

Prophetia supponit igitur 1) *revelationem* supernaturalem, et 2) *missionem* a Deo. — Differt ab inspiratione quia non omnis propheta ad scribendum movetur.

Prophetæ fuerunt simul *prædicatores* et *prædicentes* : de eorum prædicatione et vaticiniis successive dicemus.

I. De prædicatione propheticâ quatenus viam paravit Christianismo.

159. **Argumentum.** Historice constat prophetas *viam mirabiliter parâsse Christianismo*, suâ *prædicatione* religiosâ et morali.

Atqui illa prædicatio non potest causis naturalibus explicari.

Ergo dicendum est Deum interventu extraordinario viam parâsse Christianismo ac proinde hanc religionem tanquam veram commendâsse.

1° Prophetæ prædicationibus suis viam paraverunt Christianismo.

160. A) *Alii factis prædicaverunt.* — Ita : a) *Moyses* monotheismum docuit legemque moralem et civilem nomine Dei promulgavit; b) interventu *Judicum*, Deus Israelitas a cultu Baal et Astarte avertit; c) tempore Regum, prophetas misit, sicut *Nathan*, qui legem moralem regibus ipsis inculcarent; d) post schisma Israeliticum, in regno Israel, *Elias* et *Elisæus* cultum soli Yahweh reddendum ostenderunt.

161. B) *Alii scriptis prædicationem suam consignaverunt.* a) *In regno Israel*, *Amos* purum monotheismum et religionem internam prædicavit; *Osee* peccata populi vivide descripsit, et annuntiavit castigationem jam imminere.

b) *In regno Juda :* 1) *Isaias* sanctitatem Dei docuit, necnon puritatem cordis, justitiam, misericordiam erga pauperes, veramque pænitentiam; 2) *Jeremias* ruinam Judæorum prædixit, simul et instaurationem : tunc fœdus novum habendum non inter Deum et populum suum, sed

inter Deum et animam fidelem; 3) *Ezechiel* affirmavit peccata cuique esse propria; novum regnum instaurandum cujus fundamentum est justitia, et antiquarum legum observatio.

162. Ita, per undecim sæcula, Prophetæ fidem in Deum unum, infinitum, sanctum, misericordem, providum et remuneratorem, cultum religiosum, externum simul et internum, puritatem morum, justitiam et caritatem, prædicaverunt, — et ita *viam paraverunt* ordini rerum perfectiori quem annuntiabant tanquam *complementum* antiquæ religionis. Ille ordo, in quo genuinus Dei cultus necnon justitia et caritas per totum orbem spargerentur, est Christianismus, qui non differt quoad essentialia a Mosaismo : nam Jesus non venit solvere, sed adimplere legem.

Apparet ergo Prophetas prædicationibus suis viam parâsse Christianismo.

2° PRÆDICATIO PROPHETARUM NON POTEST CAUSIS NATURALIBUS EXPLICARI[1].

163. Nam : **A**) prophetæ aperte et explicite *asserunt* se doctrinam divinitus revelatam exponere : eorum testimonium est omnino fide dignum, nam honesti et sui compotes certo sunt.

B) Non potest haberi eorum prædicatio sicut *expressio mentis coævorum*, nam sæpe doctrinam prædicant contrariam præjudiciis concivium, propterеaque persecutiones patiuntur, — imo a falsis prophetis distinguuntur quia non ea quæ regibus populoque placerent annuntiabant.

C) Neque dici potest prophetas suam doctrinam *e vatibus et legislatoribus finitimarum gentium* deprompsisse, quia hæ gentes monotheismum purum ignorabant, et ethicam naturalem multis erroribus fœdatam docebant.

Unde ergo Prophetis sapientia tanta? — A Deo ipso qui hanc doctrinam religiosam et moralem ab ipsis prædicandam revelabat.

---

[1] Cf. CRUVEILHIER, *Revue pratique d'Apologétique*, VI, p. 814; TOUZARD, ibid., p. 916.

II. De prædictionibus prophetarum.

164. Status quæstionis. Omissis prædictionibus prophetarum circa Judæos et gentes finitimas, de *vaticiniis messianicis* solis agemus.

Aliæ prophetiæ *sensu litterali*, aliæ *sensu typico* seu spirituali Messiæ applicantur. Hæ sunt veræ prophetiæ quæ inter Christianos argumentum apodicticum præbent, sed rejiciuntur a Rationalistis : expedit ergo ut iis utamur quæ tantummodo *sensu litterali* Christo applicantur. — Et non omnes prophetias litterales exponere intendimus, *præcipuas tantum* referemus, eas quas Rationalistæ bonâ fide præditi rejicere nequeunt.

165. Argumentum. Si Jesus Nazarenus adimplevit prophetias messianicas, credere debemus religionem christianam esse veram et ab omnibus amplectendam.

Atqui constat Jesum Nazarenum adimplevisse prophetias messianicas.

Ergo.

166. 1° *Major probatur*, ostendendo prædictiones prophetarum de Messiâ ejusque regno esse vaticinia vere divina, — et cum religione christianâ intime connexa.

A) *Prædictiones prophetarum*[1]. 1) Prophetæ omnes certâ cum fiduciâ prædixerunt *monotheismum* apud omnes gentes prævaliturum esse, Yahweh regnaturum super universam faciem terræ.

2) Regnum universale solius veri Dei per Israelem constituendum et prædicandum.

3) Regnum Dei fore non tantum externum, sed internum, cùm sit unio intima Dei cum animâ cujusque fidelis.

4) Regem Messiam oriundum esse ex progenie David, et in civitate Bethleem nasciturum,

5) qui vocabitur filius Dei, Deus fortis, et donis Spiritûs Sancti replebitur;

6) judicabit populum suum in justitiâ et æquitate, legem scribet in cordibus discipulorum;

---

[1] Quæ prædictiones fusius indicantur in *Syn. maj.*, n. 519 et seq.

7) impugnabitur, sed vincet inimicos suos,

8) post varia certamina ultimam reportabit victoriam quando, confracto orbe terrarum, omnes populos judicabit, justosque gloriâ et honore coronabit.

9) Denique Messias opus suum peraget et populum suum salvabit humili obedientiâ, passione et morte gloriosâ.

167. B) *Hæ prædictiones sunt vaticinia vere divina.* 1) Nam *eventum præcesserunt*, et tam multæ sunt, tam certæ, tam extraordinariæ, ut *humanâ sagacitate* inventæ dici non possint. — Multæ exspectationibus et desideriis Judæorum contrariæ erant, præsertim vaticinia de passione Messiæ et conversione Gentium.

2) *Non diabolicæ, sed divinæ* dicendæ sunt, ex eorum objecto, necnon ex fine, ex circumstantiis, ex fructibus.

168. C) *Hæ prædictiones cum Religione Christianâ intime connectuntur.* — Nam si Jesus vere adimplevit Prophetias, hoc regnum messianicum est ipsa Religio a Christo Rege Messiâ prædicata : porro regnum messianicum a prophetis celebratur ut opus Deo beneplacens; ergo Religio christiana et ipsa est a Deo approbata.

169. 2° *Minor demonstratur*[1]. Nam : 1) Religio a Jesu Nazareno prædicata est monotheismus purus Judaicæ gentis; 2) a Judæis per totum orbem diffusa est; 3) exigit cultum in spiritu et veritate. — 4) Jesus autem natus est ex familiâ David, in Bethleem; 5) ut filius Dei agnitus est et Spiritu Sancto plenus; 6) æquitatem et justitiam verbis et exemplis docuit; 7) regnum instituit mere spirituale, pacificum et universale; 8) multis persecutionibus obnoxius fuit, sed invictus manet; 9) populum suum salvavit non terreno triumpho, sed humiliationibus ac tormentis patienter toleratis.

Ergo vere adimplevit vaticinia messianica, ac proinde Religio christiana est vera.

170. *Objicitur* prophetias minime impletas fuisse quia prænuntiabatur felicitas temporalis et instauratio regni Israelitici. — *Resp.:* felicitas temporalis et instauratio regni Israelitici erat elementum omnino secundarium in prophetiis, quod in

[1] Cf. TOUZARD, *Revue p. d'Apologétique*, VII, p 114.

quibusdam vaticiniis deerat, imo quibusdam excludebatur. Intelligendi sunt ergo illi textus tanquam figuræ spiritualis Jerusalem, scilicet Ecclesiæ Christi.

Quidquid igitur spirituale erat in prophetiis impletum est ac quotidie impletur in Christianâ religione. Christus a Prophetis præparatus ac prædictus, doctrinas in Vetere Testamento quasi in germine contentas ampliavit et perfecit, simulque vaticinia a Prophetis edita adimplevit, ideoque *divinus est legatus primarius* ac *principalis*, cujus doctrinam utpote divinitus revelatam toto corde amplecti debemus.

Hoc argumentum minime spernendum est etiam nostris diebus, eo uti debemus sicut mos fuit semper apologetis jam ab initiis Ecclesiæ, ut videre est apud S. Justinum, *non paucos tantum textus* allegando, sed *factum integrum præparatæ Religionis christianæ* tum prædicationibus, tum prædictionibus virorum specialiter a Deo missorum.

Art. III. Divinitas Religionis Christianæ confirmatur ex comparatione cum aliis [1].

Duæ sunt doctrinæ religiosæ quæ a quibusdam æquiparantur vel anteponuntur Christianismo, nempe *Buddhismus* et *Mahumetismus*, de quibus pauca dicenda nobis manent.

I. De Buddhismo [2].

171. *Buddhismus* in Indiâ floruit *sæculo sexto* ante Christum, et usque nunc viget in insulâ Ceylan, in Siam, in populo Sinensi, Thibetanâ regione et Japonensi imperio; habet sectatores permultos (circiter 120.000.000).

1° **Historia.** Vita fundatoris difficile cognoscitur. Videtur Siddharta, qui postea *Budha* seu sapiens dictus est, natum fuisse circa annum 557 ante Christum ex regiâ stirpe; patriam domum, uxorem et filios deseruisse ut sapientiæ studeret cum Brahmanistis; postea in solitudinem secessisse in quâ assiduis meditationibus viam salutis invenit. Hanc doctrinam prædicavit ordinemque monachorum instituit qui magistri vestigiis inhærentes cum illo prædicaverunt.

---

[1] *Syn. maj.*, n. 538-547. Cf. Abbé de Broglie, *Problèmes et conclusions de l'Histoire des Religions*.

[2] Cf. Huby, *Christus*, p. 138, 258; Bricout, *Où en est l'Histoire des Religions*, I, p. 267; de la Vallée-Poussin, *Bouddhisme*.

1/ additio

174 – Demonstrata divinitate religionis christianæ argumentis intrinsecis et extrinsecis, nihil aliud manet nisi eamdem confirmemus comparatione cum aliis religionibus.

172. 2° **Doctrina.** A) *De Deo* nil docet Buddhismus; omnia entia essentialiter æqualia sunt; *omnia mutantur perpetuo*, exceptâ solâ Lege vi cujus bonæ actiones mercedem, malæ castigationem secum afferunt; homo ergo ab aliis entibus essentialiter non differt, *Metempsychosi* subjicitur donec perfectionem in *nirvana* acquirat.

B) Summa perfectio est *exstinctio quorumlibet desideriorum* in animâ, — quæ obtinetur meditationibus, confessione culparum; *sympathiam universalem* commendat Siddharta, et jubet fideles eleemosynam religiosis præbere.

Fidelibus prohibentur furtum, mendacium, ebrietas, homicidium, adulterium; *religiosis* præscribitur cœlibatus et paupertas.

Hodie *multæ sunt sectæ* apud Buddhistas, — et apud populum non doctrina atheistica servatur, sed polytheismus cum idolis multis et obscenis.

173. 3° **Critica.** Hinc si primo intuitu quædam similia apparent in Buddhismo et Christianismo, similitudo est in quibusdam ritibus aut praxibus, non in doctrinis quæ toto cælo differunt, cùm Christianismus ad vitam perfectam, Buddhismus ad annihilationem ducat.

Istæ similitudines facile explicantur absque mutuo influxu, ex communibus aspirationibus quæ apud homines vigent, et quibus satisfacere tendunt omnes religiones.

174. *Sed tam multa dissimilia* in Buddhismo et Christianismo inveniuntur, ut æquiparari nequeant :

A) *Miracula* a Christo patrata sunt ad confirmandam divinitatem suæ doctrinæ : desunt in Buddhismo, — et si adessent, divinitatem missionis Siddharta non probarent quia ipse nil de Deo dicit.

B) *Excellentia* christianæ *doctrinæ* ejus originem divinam suadet : dogma Buddhismi valde deficiens invenitur, ut patet ex dictis; ethica, licet dogmate perfectior, tamen superbiæ et amori suiipsius plus æquo favet.

C) *Propagatio* Christianismi est miraculum ordinis moralis : non autem propagatio Buddhismi quæ sufficienter explicatur qualitatibus et defectibus hujus religionis.

Unde apparet Buddhismum esse humani ingenii fœtum, — et Christianismo longe inferiorem.

II. De Mahumetismo [1].

175. Mahumetismus ortum habuit *in Arabiâ*, sæculo *septimo post Christum*, et propagatus est in Asiam, Africam et partem Europæ.

1° **Historia.** Mahumes natus circa annum 570, pavit greges, postea mercaturam exercuit, Angelum Gabrielem sibi apparuisse dixit, et prædicavit doctrinam novam. Anno 622, e Mekka in Medinam migravit; postea dies quâ fugerat fuit initium æræ mahumetanæ. Vi armorum religionem multis imposuit et mortuus est 8 junii 632.

176. 2° **Doctrina.** Sex sunt præcipua dogmata a Mahumete data : 1) existentia Dei unius, exclusâ trinitate personarum, 2) existentia angelorum, 3) missio divina prophetarum quorum ipse est maximus, 4) revelatio libri sacri qui dicitur Coran, 5) immortalitas animæ et resurrectio corporum, 6) fatalismus.

Prohibentur ludi aleatorii, vinum, caro suilla, imagines, — imperantur preces, ablutiones, jejunia, piæ peregrinationes, eleemosynæ, circumcisio, — et super omnia commendatur bellum sanctum. Polygamia et divortium permittuntur, necnon servitus infidelium.

177. 3° **Critica.** **A**) Multa sunt vera in Mahumetismo quæ facile explicantur quia mutuata sunt a Judaïsmo et Christianismo. Sed non potest haberi ut instauratio antiquæ revelationis et Christianismi, quia dogmata essentialia a Christo prædicata negata sunt a Mahumete.

178. **B**) Insuper, nil probat Mahumetem fuisse a Deo missum ad instaurandam veram religionem : **a**) ipse missionem suam affirmavit, sed ejus testimonium non est fide dignum, cùm nullo miraculo confirmetur; **b**) ejus affirmatio est falsa : nam Deus libidinem permittere nequit; **c**) propagatio Mahumetismi vi armorum explicatur, **d**) fructus hujus religionis veritatum *fragmentis* (præsertim monotheismo) quæ servavit, tribui debent.

Ergo Mahumetismus est et ipse opus humanum quod longe transcendit Christianismus.

[1] *Syn. maj.*, n. 548-553; HUBY, *Christus*, p. 541; BRICOUT, *Où en est l'Histoire des Religions*, I, p. 424; CARRA DE VAUX, *Le Mahométisme.*

179. Conclusio. Ex hâc comparatione Christianismi cum aliis religionibus sequitur *Christianismum* et *quidem solum esse omnino transcendentem*[1]. Ex quo inferre licet valde probabiliter eum esse divinum, cùm sine speciali Providentiæ interventu hæc transcendentia explicari nequeat. Hæc conclusio certa evadit quando accedit argumentum historicum supra expositum, ex quo colligitur Christi testimonium de suâ missione religiosâ et doctrinali, sanctitate et variis miraculis firmatum, esse omnino fide dignum.

CONCLUSIO TRACTATÛS.

Religio Christiana est ab omnibus amplectenda.

180. Probavimus : 1) religionem aliquam esse a quolibet homine colendam; 2) aliquam revelationem esse humano generi moraliter necessariam; et 3) Christianismum esse hodie solam religionem revelatam; ergo unicuique gravis incumbit obligatio christianam fidem amplectendi.

181. Hanc conclusionem *directe probare* possumus ex verbis Christi et Apostolorum : **a**) " Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit jam judicatus est quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei[2] "; — " Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur[3] ".

b) Item Petrus : " Non est in alio aliquo salus. Non enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri[4] ". — Et Paulus : " Non

[1] Hoc argumentum egregie evolvit ABBÉ DE BROGLIE, *Problèmes et conclusions de l'Histoire des Religions.* Integre legantur cap. VIII, IX, X, XI. Hinc apparet Catholicos non timere ne historia Religionum divulgetur, sed e contra multum sperare ex hac comparatione institutâ inter Christianismum et ceteras Religiones; nam nulla inveniri potest quæ tam evidentia præ se ferat signa interventûs divini tum in fundatore, tum in institutione, propagatione ac conservatione, tum in efficaciâ morali, tum in præparatione, ideoque religio catholica non solum alias religiones transcendit, sed in seipsâ considerata omnino transcendens est, ita ut *opus Dei* ab omnibus haberi debeat.

[2] *Joan.*, III 18. — [3] *Marc.*, XVI, 15-66. — [4] *Act.*, IV, 12.

justificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Jesu Christi[1]".

Ergo Deus hanc obligationem aperte promulgavit.

Responsum igitur habemus quæstioni quam initio hujus Tractatûs solvendam ponebamus : num et quamnam religionem homines amplecti teneantur? — Debemus omnes religionem christianam profiteri.



[1] *Galat.*, II, 16.

TRACTATUS II.

DE ECCLESIÂ CHRISTI.

182. Jesus Christus missus est a Deo ad docendam veram Religionem ab omnibus hominibus amplectendam. — Sed *quisnam sit verus Christianismus?* De facto plures sunt hodie societates quæ christiano nomine gloriantur, licet omnino diversæ sint : *Protestantes* negant Christum instituisse auctoritatem supremam et infallibilem quæ revelationem tuto servaret et propagaret; *Græci schismatici* admittunt auctoritatem infallibilem quam in corpore Episcoporum collegialiter agente ponunt ; — *Catholici* tenent auctoritatem supremam corpori Episcoporum competere, sed etiam hujus corporis Capiti, nempe Pontifici Romano, qui vices Christi gerit in terrâ. — Quæritur ergo *quisnam ex his tribus conceptibus sit verus, seu menti divinæ consentaneus?*

183. *Duplex* erit *pars* in Tractatu : *prior*, *apologetica*, de inventione veræ Christi Ecclesiæ; *posterior*, *dogmatica*, de organicâ Ecclesiæ catholicæ constitutione. Ecclesiam initio hujus tractatûs vocamus sensu generali *cœtum hominum viatorum Christi doctrinam profitentium;* accuratiorem vero definitionem in fine trademus.

CAPUT I.

De inventione veræ Ecclesiæ Christi.

Prænotanda.

I. *De variis modis quibus Ecclesia a variis Christianorum societatibus concipitur*[1].

1° De Ecclesiis Græcis a Romanâ sede separatis.

184. Græci, qui Orthodoxos sese vocant, docent Ecclesiam visibilem esse a Christo constitutam, eamdemque privilegio

---

[1] *Synop. maj.*, n. 562-576.

infallibiliter docendi, ac leges ferendi fuisse præditam, quod in *corpore Episcoporum* residet. Contendunt primatum Pontificis Romani non esse juris divini, sed juris ecclesiastici, ob urbis Romæ dignitatem Romanis Pontificibus primitus concessum, posteaque primatum Archiepiscopis Constantinopolitanis merito translatum fuisse, saltem quoad orientales Ecclesias. Agnoscunt auctoritatem septem priorum Conciliorum Œcumenicorum. Juxta eos ergo Ecclesia est societas *aristocratica*, ab Episcoporum collegio regenda.

2° De variis sectis Protestantium.

185. Omnes rejiciunt primatum Romani Pontificis, et unam agnoscunt fidei regulam, nempe Scripturam Sacram. — *Lutherani* dicunt veram Ecclesiam Christi esse invisibilem, sed fideles in terrâ uniri vinculis baptismatis, cœnæ, et Evangelii prædicationis. Hæc societas visibilis non fuit constituta a Christo, — et ideo multi ad *Cæsarismum* confugiunt.

Calvinistæ admittunt Ecclesiam visibilem in quâ presbyteris a populo delegatis, jure divino episcopis æqualibus, competit ecclesiæ administratio : quod systema dicitur *Presbyterianismus.*

Anglicani saltem plerique admittunt societatem visibilem a Christo institutam, et ab episcopis regendam, — ideoque dicuntur *Episcopalistæ.*

Denique sectæ permultæ contendunt Ecclesias esse sui juris, et potestatem habere sibi constituendi leges ac ministros, prout sibi magis placuerit : hic est error *Multitudinistarum.*

3° De Liberalibus et Modernistis.

186. A) *Protestantes Liberales* a) negant Christum instituisse Ecclesiam ut societatem, cùm ei persuasum fuerit regnum cæli una cum fine mundi mox venturum esse ; b) et explicant naturali processu Ecclesiæ efformationem. Fideles qui primum æquales erant, elegerunt *seniores* qui cœtibus religiosis præsiderent. Grassante Montanismo, potestas Episcoporum qui ecclesiis præerant paulatim crevit, et mox habiti sunt ut successores Apostolorum; orto Gnosticismo, instituta fuit regula fidei, scilicet traditio ab Apostolis per successionem Episcoporum usque ad nostra tempora perveniens. Postea, auctoritas Romani Pontificis invaluit et omnino suprema evasit. Cùm hæc potestas ecclesiastica tum Summi Pontificis, tum Episcoporum, sit mere humana, et sæpe tyrannica, quilibet jus habet directe Deum adeundi et cum eo intimam unionem ineundi.

B) *Modernistæ* eamdem admittunt evolutionem in constituendâ Ecclesiâ, putant privatum conscientiæ judicium ante-

ponendum esse ejus auctoritati, sed rejiciunt individualismum religiosum, et dicunt Ecclesiam esse necessariam ad veram fidem servandam ac propagandam, eique tanquam sociali auctoritati obediendum esse.

4° Doctrina Catholica.

187. Catholici de Ecclesiâ tria præsertim tenent : **a**) Christum instituisse Ecclesiam ad modum *societatis proprie dictæ;* **b**) in eâdem constituisse *Episcopos* qui supremâ potestate docendi et regendi pollerent; **c**) primatum jurisdictionis in omnes fideles et pastores contulisse *Romanis Pontificibus.*

II. *De naturâ et vi argumentorum quæ in hâc primâ parte adhibentur*[1].

188. Ad detegendam veram sententiam Christi de Ecclesiâ suâ, utemur :

1° *Scripturâ sacrâ*, et præcipue 1) *Evangeliis* quorum auctoritatem jam demonstravimus; 2) *Actibus Apostolorum*, necnon *Epistolis*, quæ continent doctrinam Christi genuinam, cùm Apostoli se a Jesu edoctos et missos dicant, ac miraculis confirment.

Scriptura sacra, — ut liber *humanus* cum Rationalistis habebitur, ut liber *divinus* cum Protestantibus orthodoxis.

Objicitur ea quæ in Evangeliis referuntur forsan adulterata fuisse quâdam *progressivâ idealisatione.* Quod systema jam confutavimus supra, n. 82. Sed præterea : **a**) Textus quos proferemus sunt multi, maximi momenti, cum substantiâ Evangelii arcte connexi, ita ut negari nequeant quin totum Evangelium tollatur; **b**) si formam ipsam verborum attendamus, videntur verba ab ipso Jesu prolata et traditione accurate servata ; **c**) denique præ oculis habendum est Providentiam divinam, quæ Jesum pluribus sæculis prædicatione propheticâ præparavit et miraculis multis commendavit, permittere non potuisse religionem veram substantialiter adulterari a coævis Christi.

189. *Notandum est minime quærendam esse in Scripturâ scientificam et completam Ecclesiæ delineationem.*

[1] *Syn. maj.*, n. 578-581.

Ecclesia sicut bonum semen crevit et facta est arbor magna cujus rami universam faciem terræ obumbrant. Tempore Christi et Apostolorum, nondum apparuerant omnia ejus organa, sed quæcumque essentialia sunt jam existebant a Christo explicite designata : scilicet Christus revera jecit fundamenta Ecclesiæ cùm Collegium Apostolorum instituit cui præfecit Petrum, ac supremam docendi, regendi et sanctificandi potestatem ei explicite commisit.

190. 2° *Traditionibus Apostolicis.* Nam non omnia quæ fecit et dixit Jesus in libris sacris scripta sunt, et Apostoli non solum ad scripta, sed etiam ad ea quæ ore tradiderant sæpe provocant. Sunt ergo, præter Scripturas, Traditiones orales quæ mentem Christi fideliter servant : nam Apostoli Christo proximi fuerant, et doctrinas ab eo traditas tenacissime custodiebant.

Utemur non tantum *dictis* Apostolorum, sed et eorum *gestis*, quæ ostendunt quomodo reapse conceptus Christi de regno suo intellectus fuerit ab ejus discipulis. Providentia divina certiores nos facit Apostolos non adulterâsse mentem Christi de opere suo in mundo.

Argumenti causâ, his traditionibus prout *humanis*, in parte apologeticâ, utemur.

3° *Ratione naturali*, in quantum nobis manifestare valet quæ aptiora sunt ad consequendum finem a Deo intentum in instituendâ societate ecclesiasticâ; argumenta autem hujusmodi non sunt *ex se* apodictica, sed viam parant demonstrationi aut eam complent.

Divisio. Pars apologetica ita dividitur : divina institutio Ecclesiæ, id est, alicujus magisterii vivi et infallibilis, 1° *ratione* suadetur; 2° *historice* probatur; 3° *notis visibilibus* confirmatur[1].



[1] Hunc ordinem amplectimur utpote præsenti et generali controversiæ statui magis accommodatum. Quia vero argumenta apologetica diversis mentibus adaptari debent, Apologetæ ordinem invertere possunt secundum psychologicas auditorum aut lectorum dispositiones.

ART. I. DIVINA INSTITUTIO ECCLESIÆ RATIONE SUADETUR[1].

191. *Status quæstionis.* Primaria quæstio solvenda est : num *Christus instituerit magisterium vivum et infallibile ad suam doctrinam tuendam et propagandam.* — Res *historice* expendi debet : attamen præmitti potest argumentum *a priori*, quo præparentur animi ad percipiendam demonstrationem historicam.

Inter Protestantes 1) alii, *Liberales* dicti, quamlibet auctoritatem respuunt etiam Scripturæ, 2) alii tenent unam esse auctoritatem, non quidem *vivam*, sed scriptam, scilicet Scripturam Sacram. Duo probare intendimus : 1° quamdam *auctoritatem infallibilem* esse necessariam; 2° Scripturam esse insufficientem, sed desiderari magisterium *vivum et infallibile.*

§ I. Moralis necessitas alicujus auctoritatis infallibilis suadetur.

192. *Auctoritas* hìc dicitur *regula fidei*, seu *norma quâ cognoscuntur quæ sunt credenda et facienda ad vitam æternam consequendam;* — *infallibilis*, i. e., cui *tuto fidere possimus*[2].

Thesis : *Si res a priori consideratur, valde probabile est Christum instituisse auctoritatem infallibilem ad suam doctrinam conservandam et propagandam.*

Probatur : **a**) ex *naturâ sociali religionis.* Societas vim maximam confert hominibus in rebus politicis, industrialibus, scientificis; item in re religiosâ : siquidem in societate religio facilius servatur, velocius propagatur, et felicius defenditur ab hostibus. Itaque variæ religiones formam socialem induerunt, ut constat ex historiâ religionum.

Atqui societas religiosa, sicut omnis societas, stare nequit sine auctoritate supremâ. — Ergo...

193. **b**) Ex *naturâ revelationis christianæ.* Religio christiana divinus revelata, ex dictis in Tractatu præce-

---

[1] *Syn. maj.*, n. 582-604.
[2] Infallibilitas hìc non sumitur sensu stricte theologico, de quo infra.

dente, complectitur dogmata, præcepta et ritus, quæ servari nequeunt integra et incorrupta absque auctoritate. — Constat ex eo quod dogmata sunt intellectu difficilia, et mysteriis plena, ideoque facile adulterantur; præcepta austera et omnibus vitiis opposita, proindeque benigniori interpretationi obnoxia; ritus autem facile in varias superstitiones prolabuntur.

Confirmatur experientiâ populorum, qui, repudiatâ omni auctoritate, Christianismum profiteri voluerunt : ita, inter Liberales, quot dissensus de rebus maximis, v. g., de ipsius Christi divinitate et existentiâ!

Ergo, dicendum videtur a priori Christum, magno ingenio præditum, prævidisse fore necessariam, ac proinde instituisse auctoritatem infallibilem quâ religio sua servaretur et propagaretur.

§ II. Moralis necessitas magisterii vivi et infallibilis suadetur.

194. Status quæstionis. Positâ necessitate alicujus auctoritatis infallibilis in religione a Christo institutâ, quæritur *quænam sit illa auctoritas*, utrum *liber inspiratus* tantum, an *magisterium vivum* et infallibile.

Protestantes omnes, Liberalibus exceptis, agnoscunt auctoritatem Scripturæ sacræ, et docent eam esse solam fidei regulam. Si oriantur difficultates, solvi debent privato examine juxta plerosque Lutheranos et Calvinistas, privatâ inspiratione juxta sectas mysticas, ope historiæ et traditionis humanæ juxta Anglicanos.

Catholici vero tenent regulam fidei proximam esse *Magisterium vivum* et *infallibile* Ecclesiæ quod proponit et authentice explicat fidelibus verbum Dei contentum in Scripturâ Sacrâ et in Traditione.

195. Thesis : *Si res a priori spectatur, valde probabile est Christum instituisse magisterium vivum et infallibile quo doctrina sua conservaretur et propagaretur.*

Probatur ex *dotibus regulæ fidei*. Regula fidei necessaria ad conservandam et propagandam doctrinam revelatam debet esse : a) *tuta et completa*, b) *omnibus obvia*, c) *apta ad dirimendas controversias.* — Secus enim ex eâ multis impossibile foret cognoscere quæ sunt credenda et facienda ad salutem consequendam.

Atqui liber inspiratus absque magisterio vivo, ac præsertim Scriptura Sacra quocumque modo proponitur, his non fulget dotibus, sed solum Magisterium vivum et infallibile. Ergo.

196. *Prob. minoris prima pars.* Liber inspiratus, ac præsertim *Scriptura Sacra*, quocumque modo proponitur, *non est regula fidei tuta et completa*, *nec omnibus obvia*, nec *apta ad dirimendas controversias* : **a**) *non est regula tuta et completa*, quia non præbet criterium certum quo discernantur libri inspirati, nec demonstrare potest omnia revelata in Scripturâ contineri; **b**) non *est omnibus obvia*, nam Scripturam Sacram præ manibus habere non omnes Christiani omni tempore potuerunt, — nec sufficienter intelligere ut ex eâ symbolum fidei sibi conficiant, propter difficultates innumeras quæ veniunt ex idiomatibus quibus scripti sunt hi libri, ex mendis translationum, ex modo quo doctrina recensetur, ex obscuritate prophetiarum, ex profunditate dogmatum, ex multiplici sensu qui in Scripturis usurpatur, etc...; **c**) *non apta ad dirimendas controversias*, quia, ut constat ex multiplicitate sectarum, privata inspiratio, etiamsi existeret, authentice discerni nequit; ex altero capite, privato examine sæpius nulla certitudo de vero sensu textûs haberi potest.

197. *Secunda pars.* Magisterium autem vivum et infallibile est regula : **a**) *tuta et completa*, quia omnes veritates revelatas tum in Scripturâ tum in Traditione contentas fideliter exponit; **b**) *omnibus obvia*, quia facile omnibus præbet et explicat verbum Dei; **c**) *apta ad dirimendas controversias*, quia magistri vivunt et dictis et scriptis mentem suam aperire, genuinumque dogmatis sensum exponere possunt.

Conclusio. — Ergo *verisimiliter* credendum est Christum, qui volebat Evangelium prædicari omni creaturæ, elegisse tanquam auctoritatem religiosam magisterium vivum et infallibile, — quod jam historice demonstrandum est.

ART. II. DIVINA INSTITUTIO ECCLESIÆ HISTORICE PROBATUR[1].

198. *Status quæstionis.* Omnes concedunt Jesum instituisse Ecclesiam implicite et mediate; sed *quæritur num Ipse determinaverit elementa essentialia societatis ecclesiasticæ.*

Negant plerique Protestantes Jesum ipsum instituisse societatem hierarchicam; negant Græci Schismatici, et Episcopalistæ Jesum supremam auctoritatem Pontifici maximo tradidisse.

Contra quos probandum est : 1° Jesum instituisse Ecclesiam ut *societatem hierarchicam* in quâ jure divino corpus Episcoporum pollet auctoritate docendi et regendi, 2° Jesum huic *corpori Pastorum præfecisse Summum Pontificem*, qui jure divino in ipsos Episcopos habet jurisdictionem.

§ I. Jesus instituit Ecclesiam ut societatem hierarchicam.

199. *Societas* est cœtus plurium ad communem finem conjunctis viribus tendentium. Dicitur *democratica* quando potestas a populo exercetur sive per se, sive per delegatos; *hierarchica,* quando prælati auctoritatem exercent quam a Deo, non autem a populo receperunt.

Ecclesia est societas hierarchica, quia in eâ Episcopi auctoritatem a Deo tenent, quæ ita Ecclesiæ essentialis est ut sine episcopatu jam non esset Ecclesia Christi. — Ad demonstrandam hanc veritatem, triplex erit thesis : 1 de potestate *Apostolis collatâ;* 2° de potestate *successoribus Apostolorum* competente; 3° de *infallibilitate magisterii* apostolis eorumque successoribus dati.

200. **Thesis Iª** : *Christus Ecclesiam ut societatem hierarchicam instituit Apostolis conferendo triplicem potestatem docendi, regendi, et sanctificandi fideles.* — Historice certum, theologice de fide[2].

---

[1] *Syn. maj.*, n. 605.

[2] Hæc propositio, etsi propriis terminis non definita, implicite traditur a Concilio Vaticano, sess. IV, Procem., DENZINGER-BANNWART, 1821, et explicite docetur magisterio ordinario Ecclesiæ.

Ad quod probandum Scripturâ historice consideratâ ostendemus Ecclesiam 1) *præparatam*, 2) *fundatam* fuisse a Christo, et 3) post Pentecosten in societatem vere hierarchicam a Christo constitutam *crevisse*.

201. 1° *Christus viam paravit institutioni Ecclesiæ prædicando regnum Dei.*

Prophetæ regnum messianicum, nationale simul et universale, spirituale, et eschatologicum annuntiaverant; tempore Christi, Judæi exspectabant præsertim regnum temporale et nationale.

Jam initio suæ prædicationis Jesus annuntiat regnum Dei. Sed quid sit illud regnum Dei? De hoc dissentiunt Liberales et Catholici.

Alii cum *Loisy* putant regnum Dei a Christo annuntiatum esse mere *eschatologicum*, et sane multa verba Christi de vitâ æternâ justorum in cælo intelligenda sunt; — alii cum *Harnack* et *Sabatier* docent regnum Dei esse *internum*, et merito quidem, nam Christus enuntiat dispositiones animæ ad ingrediendum in hoc regnum, pænitentiam, fidem, etc.

202. Sed regnum Dei *non est tantum futurum : jam enim advenit*, jam præsens est tempore Christi[1]; — *nec est tantum internum*, animæ fideli immanens, sed simul *externum et sociale*, ut patet ex parabolis apud *Matt.*, c. XIII.

Si conferuntur omnes Evangelici textus de regno Dei, *triplex veluti stadium* distinguitur : ultimum et perfectum quod est regnum *eschatologicum;* hoc autem præparari debet regno *interno* Dei in cujusque animâ; et hoc regnum internum prædicari dilatarique debet regno *sociali et externo* jam existente tempore Christi.

Prædicando regnum Dei, Jesus paravit viam institutioni ecclesiasticæ societatis; nam : **a)** *finem* Ecclesiæ designavit, seu gloriam Dei obtinendam in regno cælorum æterno, cujus inchoatio est regnum divinæ gratiæ in justis; **b)** necnon *medium* a se electum ad hunc finem assequendum, scilicet societatem visibilem et externam, spiritualem, progressivam, universalem, seu Ecclesiam, — cujus præcipua lineamenta jam delineaverat.

[1] *Matt.*, XI, 12-15; XII, 28; *Luc.*, XVI, 16; XVII, 20, 21.

203. 2° *Christus proprie Ecclesiam instituit dum Apostolis potestatem docendi, regendi atque sanctificandi promittit et confert.*

Christus non solum annuntiavit regnum sociale et externum, sed *Ipse explicite* essentialia elementa hujus regni determinavit cùm Apostolos educavit et misit in universum mundum.

A) Christus a) *elegit* duodecim Apostolos quos nominatim vocavit; b) *educavit* tum exemplis suæ vitæ quæ quotidie videbant, tum explicationibus multis quibus eis edisserebat parabolas de regno Dei; c) *misit* eos prædicare regnum Dei filiis Israel. Nonne hæc omnia innuebant Jesum sic præparare prædicatores Evangelii?

204. B) Mentem suam aperuit explicite eis *promittendo* potestatem docendi, regendi et sanctificandi fideles in suo regno.

a) *Petrum* affirmat 1) fore fundamentum suæ Ecclesiæ, 2) tenere in manu suâ claves regni, 3) jus habere obligationes varias in ordine spirituali imponendi aut auferendi[1].

b) *Apostolis* duodecim promittit 1) potestatem ligandi atque solvendi, id est, regendi Ecclesiam[2]; 2) assistentiam specialem Spiritûs Sancti in prædicando Evangelio[3].

C) Christus redivivus *dedit* potestatem quam promiserat tum Petro[4], tum Apostolis[5]. Ita collegium Apostolorum accepit a Jesu Christo vices Dei gerente potestatem docendi Evangelium omnibus populis, leges imponendi quibus lex divina servetur, et sanctificandi animas administratione sacramentorum.

Ergo ex multis locis quatuor Evangeliorum constat Jesum ipsum explicite designasse : 1) finem Ecclesiæ, scilicet regnum internum Dei propagandum, et æternum præparandum (cf. supra, 202); 2) formam societatis ecclesiasticæ, nempe hierarchiam quæ jure divino gaudet triplici potestate docendi, regendi, et sanctificandi animas. Ergo instituit Ecclesiam immediate et explicite.

[1] *Matt.*, XVI, 18-19. Cf. infra, n. 222. — [2] *Matt.*, XVIII, 18.
[3] *Joan.*, XIV, 16-17, 26; XV, 26, 27; XVI, 13.
[4] *Joan.*, XXI, 15-18.
[5] *Joan.*, XX, 21-33; *Matt.*, XXVIII, 18-20; *Marc.*, XVI, 15-16; *Luc.*, XXIV, 44-49.

205. *Objiciunt* Protestantes 1) hos textus non esse authenticos, et imprimis verba Christi redivivi non esse historica. — Sed nulla est ratio eos ut interpolatos habendi, nisi quia adstruunt regnum Christi esse societatem hierarchicam (quam *a priori* rejiciunt adversarii). — Præterea resurrectio Christi historice probatur, ergo verba Christi resurgentis ut historica accipienda sunt, maxime cùm nil contineant nisi adimpletionem promissionum antea solemniter et multipliciter factarum. — Denique nisi missionem explicitam a Christo acceperint, intelligi nequit ratio agendi Apostolorum post Pentecosten.

2) *Instant* alios esse textus in quibus declaratur Christianos omnes esse æquales. — Ex contextu autem apparet Christum monuisse Apostolos auctoritatem exercendam esse cum benignitate et humilitate ad promovendum bonum subditorum, — et doctrinam imponendam esse non auctoritate propriâ, sed auctoritate Christi; sed exinde inferri nequit hierarchiam, cujus institutionem probavimus, non existere.

206. 3° *Apostoli, post Pentecosten, jam collegialiter agunt tanquam religiosæ societatis præsides*, seu societatem hierarchicam constituunt.

Ad quod probandum, expendamus quomodo Ecclesia constituta fuerit sive in *Palæstinâ* sive *inter Gentes*[1].

A) In *Palæstinâ*, præsertim in civitate *Hierosolymitanâ*, fidelium communitas, nedum sit quædam mystica illuminatorum secta, jam apparet ut societas *hierarchica, a Synagogâ distincta, suos speciales ritus* habens :

a) *Hierarchica*, quatenus nempe regitur a corpore Apostolorum qui triplicem potestatem docendi, gubernandi et sanctificandi exercent tanquam *divinitus acceptam*, et cui fideles sese subjiciunt[2].

b) *A synagogâ distincta :* etsi enim Apostoli primum in templo preces offerunt[3], mox aperte declarant se a judaicis auctoritatibus independentes esse[4]; posteaque a Judæis omnino secedunt, in suam societatem admittendo incircumcisos Gentiles[5].

c) *Suos proprios ritus habens*, præsertim : 1) *baptismum*, distinctum a baptismo Joannis[6], sine quo nullus novam communitatem ingredi potest[7]; 2) *impositionem*

---

[1] Yves de la Brière, in *Dict. Apologétique* (*A. d'Alès*), t. I, 1251 sq.
[2] *Act.*, I, 12-26; II, 37-43; IV, 35-37; V, 1-11; 28-41; VIII, 14-20, etc.
[3] *Act.*, II, 46; III, 1, 2, 11, etc. — [4] *Act.*, IV, 8-20; V, 27-33.
[5] *Act.*, X, 3-33. — [6] *Act.*, XI, 16; XIX, 1-5.
[7] *Act.*, II, 37-41; VIII, 5-16, 36-38.

manuum, quæ a solis Apostolis confertur, et quâ Spiritus Sanctus modo speciali datur [1]; 3) *fractionem panis,* quæ nihil aliud esse videtur nisi celebratio eucharistiæ a Christo in ultimâ cœnâ institutæ [2].

Ex quibus infertur communitatem hierosolymitanam jam ab initio fuisse veram societatem hierarchicam et independentem.

207. B) *Inter Gentes.* Post conversionem centurionis Cornelii, Evangelium late extra Palæstinam prædicatum est, et inter Gentiles christianæ communitates institutæ sunt, quæ et ipsæ *sacræ hierarchiæ* subduntur, et *unum corpus* sub Apostolis efformant :

a) *Sacræ hierarchiæ subduntur,* nempe Apostolis qui supremam auctoritatem exercent in omnes Gentilium communitates, et quidem tanquam divinitus acceptam. Quam auctoritatem sæpe sibi vindicant in epistolis suis sive *docendo* [3], sive *judicando* [4], sive *corripiendo* [5], sive *leges ferendo* [6] aut *præcepta,* non solum fidelibus, sed etiam senioribus qui curam habent fidelium. Sub Apostolis autem jam apparent inferiores ministri, nempe diaconi, presbyteri aut episcopi, qui et ipsi aliquam accipiunt potestatem in spiritualibus, simulque cum Apostolis veram hierarchiam efformant [7].

b) *Unum corpus sub Apostolis constituunt,* quod jam vocatur *Ecclesia,* cujusque unitatem S. Paulus variis comparationibus illustrat, eam nempe comparando : a) *templo,* cujus unitas est visibilis quia fundamentum ejus sunt Apostoli et Prophetæ [8]; b) *corpori,* quatenus Ecclesia est corpus Christi cujus nos membra sumus. Hoc autem corpus unum est non tantum quia unus est Spiritus, unus Deus, una fides, sed etiam unum baptisma [9], et unum magisterium, quod concurrit in ædificationem unius corporis Christi. Unitas ergo est visibilis in Ecclesiâ, et ministrorum hierarchiâ servatur [10].

Conclusio. Ex quibus concluditur *Ecclesiam tanquam societatem hierarchicam ab ipso Christo institutam*

[1] *Act.,* II, 33; VIII, 14-17; XIX, 6. — [2] *Act.,* II, 42, 46.
[3] *I Cor.,* II, 1-5; VII. — [4] *I Cor.,* V. — [5] *I Cor.,* VI.
[6] *I Cor.,* XI, XLI, XIV. — [7] *I Petr.,* II, 9, 12, 25; V.
[8] *Ephes.,* II, 20. — [9] *Ephes.,* IV, 5. — [10] *Ephes.,* IV, 14.

esse; nam, ex unâ parte, Apostoli, statim post Pentecosten, fidelium communitatem instituunt ad modum societatis hierarchicæ a synagogâ distinctæ; et, ex alterâ, ita agunt *vi ipsius potestatis* sibi a Christo collatæ, et *ad implendam missionem* sibi commissam; ergo nihil faciunt nisi mentem ipsius Magistri executioni mandare.

208. **Thesis IIa** : *Apostolorum successores jure divino sunt Episcopi, collegialiter sumpti, quoad potestatem docendi, regendi, et sanctificandi fideles.* — Thesis est historice certa, — theologice de fide utpote magisterio ordinario Ecclesiæ fidei proposita.

Dicitur : a) *jure divino*, quia Jesus ipse voluit Apostolorum officium esse in Ecclesia perpetuum, — *non jure mere ecclesiastico*, ut docent Protestantes, et Modernistæ. — b) Episcopi *collegialiter* sumpti, quia solum collegium Episcoporum hæres factum est collegii Apostolici.

Thesis probatur per partes : 1° Apostoli jure divino successores habere debebant in officio suo; 2° successores Apostolorum in triplici potestate docendi, regendi, et sanctificandi fideles sunt Episcopi.

209. 1° *Jure divino Apostoli successores habere debebant in officio.* — De fide.

A) *Innuitur ratione.* Nam Christus Apostolis officium commisit quo integritas et unitas fidei servaretur, fidelesque tutius per legum custodiam finem suum supernaturalem attingere valerent. — Atqui usque ad finem mundi, integritas et unitas fidei erunt servandæ, ac fideles tuto ducendi ad finem suum supernaturalem. — Ergo verisimile est Jesum voluisse Apostolos habituros esse successores in officio suo.

B) *Probatur Scripturâ.* Juxta *Matth.* XXVIII, 20, Jesus erit usque ad consummationem sæculi cum Apostolis docentibus, regentibus et sanctificantibus fideles omnium gentium : hoc autem munus non in propriâ personâ gerunt Apostoli, ergo per successores qui idem officium obtinebunt.

210. 2° *Successores Apostolorum in triplici potestate docendi, regendi et sanctificandi fideles, sunt Episcopi.* — De fide.

Ex dictis supra, n. 206-207, tempore Apostolorum, Ecclesia erat hierarchice constituta; sed quæstio est num Apostoli potestatem quam vi muneris sui detinebant aliquot ministris commiserint, et quibusnam. — Prætermittimus diaconos, qui, utpote inferioris ordinis ministri, successores Apostolorum dici nequeunt. Quæstio est igitur de *presbyteris* et *episcopis*.

211. A) Jamvero historice constat, quidquid in contrarium dicunt *Liberales* et *Modernistæ*[1], presbyteris et episcopis collatam fuisse *potestatem spiritualem ordinis et jurisdictionis* ad sanctificandos fideles. **a**) Ita episcopi ecclesiæ Ephesinæ, et presbyteri qui ecclesiis Asiæ Minoris præsunt, jus et officium habent *pascendi* (id est, docendi ac regendi) gregem sibi commissum[2], ita ut potestatis ipsius Petri comparticipes dicantur (συνπρεσβύτερος)[3]. **b**) Pariter S. Paulus, in epistolis pastoralibus, sæpe declarat Timotheo et Tito datam fuisse, per impositionem manuum, potestatem docendi et exhortandi, necnon quasdam ecclesias regendi, imo et potestatem aliis transmittendi, per impositionem manuum, auctoritatem sibi commissam in rebus ad cultum divinum spectantibus[4].

212. B) Quænam vero fuerit *extensio* hujus potestatis spiritualis quærendum manet. Hic distinctione opus est: non omnes quidem presbyteri aut episcopi plenitudinem auctoritatis apostolicæ accepisse videntur[5]; et aliunde nullum argumentum desumi potest ex ipso nomine *episcopi* quod initio eosdem ministros designâsse videtur sub diverso respectu spectatos[6]; sed *quidam* ex his ministris, *plenitudinem sacerdotii* cum potestate eamdem aliis communicandi simul et *munus* fideles docendi, regendi et sanctificandi *cum auctoritate apostolis vi officii sui collatâ* acceperunt, iique soli, exclusis presbyteris secundi

---

[1] Modernistæ hanc propositionem docuerant (Decret. *Lamentabili*, 50) "Seniores qui in christianorum cœtibus invigilandi munere fungebantur instituti sunt ab Apostolis episcopi aut presbyteri ad providendum necessariæ crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem Apostolicam."

[2] *Act.*, XX, 17; *I Petr.*, V, 1-4. — [3] *I Petr.*, V, 1.

[4] *I Tim.*, I, 3.4; IV, 6-11; V, 1-2, 22; VI, 20; *II Tim.*, I, 6, 13-14; II, 14; *Tit.*, I, 3.

[5] F. Prat, *La Théologie de St Paul*, t. I, p. 475-482; A. Michiels, in *Dict. Apol.*, I, 1750, sq.

[6] *Act.*, XX, 17-38; *Tit.*, I, 5-7; *I Tim.*, III, 2; V, 17, etc.

ordinis, vere sunt *Apostolorum successores*, quocumque nomine vocantur. Etenim :

a) *S. Paulus* certo hanc plenitudinem sacerdotii confert *Timotheo* et *Tito*, quos mittit ad ecclesias constituendas, et quibus committit facultatem pastores et diaconos creandi per impositionem manuum[1]; et valde probabiliter aliis discipulis, quales sunt Tychicus, Artemas, Silas, Epaphras[2], quibus officium tradit ecclesiis quibusdam invigilandi.

213. b) *S. Joannes* pariter quibusdam plenitudinem sacerdotii cum jurisdictione solis Apostolorum successoribus reservatâ contulit. Id jam probabiliter infertur ex ejus scriptis[3]; sed certum evadit e testimoniis sequioris ævi. 1) *S. Ignatius*, circa an. 107, in epistolis suis supponit episcopatum jam per aliquod tempus institutum esse : asserit enim unum esse in quâlibet ecclesiâ episcopum, cui presbyteri et diaconi obedire debeant, — episcopatum ita esse essentialem, ut sine eo communitas christiana nomen ecclesiæ non sortiatur; quod quidem tam confidenter affirmare non potuit nisi episcopatus saltem circa finem primi sæculi constitutus fuerit. Jamvero tunc adhuc Ephesi vivebat S Joannes, qui merito censetur eos episcopos instituisse quibus S. Ignatius scribit. 2) *S. Irenæus* testatur Polycarpum, cujus discipulus erat, episcopum institutum fuisse ab *Apostolis*[4] : quo nomine designat S. Joannem, cùm ceteri Apostoli aut mortui essent aut in remotas regiones dispersi. 3) Quod confirmat *Tertullianus*, asserens non solum Polycarpum, sed etiam alios episcopos a S. Joanne institutos esse[5]; *fragmentum Muratorianum*, ubi agitur de Joanne et *episcopis* suis[6], id est, episcopis ab eo institutis; *Clemens Alexandrinus*[7], cujus testimonium est magni valoris, quippe qui traditiones optime noverit.

Historice igitur constat circa finem primi sæculi quosdam esse Ecclesiæ ministros (postea episcopos dictos), qui plenitudinem sacerdotii receperant, quibus, exclusis

[1] *I Tim.*, III, 1 sq.; V, 17-22; *Tit.*, I, 5 sq.
[2] *Col.*, IV, 7-8; *Eph.*, VI, 21-22; *II Tim.*, IV, 12; *Act.*, XV, 22, 32, 40; XVI, 19, 25, 29; *II Thess.*, I, 1; *II Cor.*, I, 19; *Col.*, I, 7; IV, 12-13.
[3] *Apocal.*, I-III, III *Joan.* — [4] *Adv. Hæres.*, l. III, c. III, 4.
[5] *De præscript.*, XXXII.
[6] MURATORI, *Antiquitates italicæ Medii Ævi*, III, c. 253.
[7] *Quis dives salvetur*, 42.

diaconis et presbyteris secundi ordinis, commissum erat munus docendi, regendi et sanctificandi fideles cum auctoritate supremâ quam Apostoli, vi officii sui, a Christo acceperant, — eosque, et quidem solos, Apostolorum successores in officio suo dici posse.

214. C) Episcopatum vero *monarchicum* (id est *unum* episcopum pro quâvis ecclesiâ) jam circa finem sæculi primi constitutum esse constat : **a**) ex modo loquendi auctorum secundi sæculi, præsertim S. Ignatii, qui supponunt hujusmodi institutionem jam per aliquod tempus viguisse ; **b**) ex catalogis episcoporum quibus in variis ecclesiis delineatur series episcoporum usque ad primum sæculum aut etiam usque ad Apostolos [1].

Non diffitemur quidem in aliquot documentis agi de *episcopis pluribus* in eâdem civitate aut ecclesiâ degentibus. Sed animadvertimus : 1) minime constare ibi agi de veris episcopis plenitudine sacerdotii præditis, cùm in quibusdam civitatibus ita recensitis aliunde certum sit jam adesse episcopum monarchicum; 2) episcopatum pluralem, si alicubi primum exstiterit, mox locum dedisse episcopatui monarchico, ut ipsi adversarii fatentur.

215. Conclusio. Ex quibus inferre licet : **a**) Apostolos quibusdam e suis discipulis *plenitudinem sacerdotii* commisisse, qui ecclesias regerent; **b**) hos autem esse qui sæculo secundo et deinceps dicti sunt *episcopi;* **c**) episcopatum *monarchicum* usque ad tempora apostolica retrogradi, ideoque a Christo intentum esse, cùm Apostoli aperte dicant se mandata Magistri exsequi. — Ergo Episcopi, qua tales, sunt jure divino Apostolorum successores quoad potestatem docendi, regendi et sanctificandi.

216. Thesis IIIa : *Potestas docendi (collegio Apostolorum et Episcoporum concessa) privilegium infallibilitatis importat, ita ut Ecclesia docens sit infallibilis circa fidem et mores.* — Historice certum, theologice de fide ex magisterio ordinario.

In hâc thesi ostendimus regulam fidei catholicam non esse inventam sæculo tertio, ad hæreses tutius refellendas, sed jam a primis Ecclesiæ temporibus cognitam et explicite propositam.

[1] Cfr. *Syn. maj.*, n. 649-651; Michiels, in *Dict. Apol.*, 1769 sq.

Declaratur. Infallibilitas est privilegium a Deo concessum quo error, in rebus fidei et morum, semper tuto cavetur. Provenit ex eo quod Spiritus Sanctus specialiter adest Ecclesiæ docenti, eam servando ab errore; differt ab *inspiratione* quæ, præter inerrantiam, importat *positivam motionem* ad scribendum, et a *revelatione*, quæ supponit veritatis antea *ignotæ* manifestationem. — Illud privilegium *collegio* Apostolorum, item *collegio* Episcoporum competit, non autem singulis episcopis.

217. *Probatur* thesis ex promissis Christi, ex ratione agendi Apostolorum, et antiquitate christianâ. Hæc sunt tria argumenta non separatim spectanda, sed potius tres partes ejusdem argumenti quæ sese invicem confirmant.

1° *Ex promissis Christi.* A) Promisit Christus se daturum Apostolis Spiritum veritatis qui cum eis in perpetuo maneret, eisque suggereret quæcumque dixerat[1]. Atqui hæc promissio a) collegio Apostolorum facta est, et pro eorum successoribus; b) importat assistentiam specialem Spiritûs Sancti, quatenus est doctor veritatis; c) et quidem in doctrinâ Christi proponendâ. — Ergo promittit vere Christus infallibilitatem sensu prædicto.

B) Item Christus[2] promittit collegio Apostolorum, a) se mansurum esse omnibus diebus usque ad finem mundi, cum eis docentibus suam doctrinam, b) quo fidelius eam omnibus proponerent. Hic est enim sensus biblicus hujus incisi : *Ecce ego vobiscum sum.* Ergo...

218. 2° Ex *ratione agendi Apostolorum.* A) Apostoli ita intellexerunt promissa Christi : dicunt enim Spiritum Sanctum cum ipsis testem esse omnium quæ prædicant[3], cum ipsis condere decreta dogmatica simul et disciplinaria[4]. — Et ideo plenum assensum intellectûs exigunt[5], et anathematizant quoscumque doctores etiam Angelos diversa evangelizantes.

B) *In scriptis* affirmant Ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis[6], doctrinam quam docent esse depositum fideliter custodiendum, non miscendum cum novitatibus quæ sunt erroneæ[7]. Ergo, secundum Apos-

---

[1] *Joan.*, XIV, 16-17, 26; XV, 26, 27. — [2] *Matt.*, XXVIII, 20.
[3] *Act.*, V, 32. — [4] *Act.*, XV, 28. — [5] *II Cor.*, X, 5.
[6] *I Tim.*, III, 15. — [7] *I Tim.*, VI, 20-21; cf. *I Joan.*, IV, 5-6.

tolos, sola vera regula fidei est doctrina quam ipsi sive scriptis, sive vivâ voce tradunt[1] : hæc est sola veritas integra absque commixtione erroris, quia Spiritus Sanctus eis docentibus assistit[2].

219. 3° *Ex antiquitate christianâ.* Quando ortæ sunt hæreses, Patres, qui mentem Christi et Apostolorum noverant, non innituntur argumentis ex ratione aut Scripturâ sacrâ solâ desumptis, sed provocant ad auctoritatem Traditionis quæ magisterio infallibili Episcoporum manifestatur.

A) Regulam fidei tutam, a quâ secedere non licet, esse doctrinam ab Episcopo traditam scripsit *S. Ignatius* ad Ephesios (III, IV, V, VI, XVII), ad Trallenses, ad Smyrnæos et Philadelphenses ; — item *Polycarpus*, *Papias*, *Hegesippus* putant prædicationem seniorum, Apostolorum et Episcoporum esse orthodoxam fidem. — Testimonia hæc directe regulam fidei catholicam demonstrant, indirecte thesim nostram de infallibilitate Episcoporum : nam sine assistentiâ speciali Spiritûs Sancti prædicatio Episcoporum nequit esse tuta et semper vera.

B) *S. Irenæus*, in *Epistolâ ad Florinum*, et in opere *Adversus hæreses*, aperte docet regulam fidei esse "Traditionem quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur, et *per successiones Episcoporum pervenit usque ad nos.*" Et addit : "Qui cum episcopatûs successione *charisma veritatis certum* acceperunt[3] ". Ita explicite indicat specialem gratiam dari successioni Episcoporum quâ certo vitetur error in tradendâ Christi doctrinâ. — Cui consentit *Tertullianus*[4] affirmans Spiritum Sanctum promissum a Patre ut doctorem veritatis revera Ecclesiæ dari.

C) A fine sæculi secundi, *Concilia Episcoporum* coadunata sunt contra hæreticos, et hæc tanquam *veritatis organa authentica* habita fuere tum ab ipsis Concilii Patribus, tum a fidelibus.

Ergo stat thesis, scilicet Corpus Episcoporum, quatenus hæres et successor Collegii Apostolici, infallibilitate gau-

[1] *II Thess.*, II, 14.
[2] Hic agitur de rebus ad fidem et mores pertinentibus, non de rebus incertis aut accessoriis in quibus Apostoli errare poterant absque fidei discrimine. Cf. *Act.*, XX, 25.
[3] *Adv. Hæres.*, l. III, c. 2-4, l. IV, c. 26. — [4] *De præscript.*, c. 28.

det dum doctrinam Christi tradit. — Et ideo regula fidei christianæ est magisterium vivum et infallibile Corporis Episcoporum. — Hæc doctrina, jam recepta ab initiis Ecclesiæ, quia ab ipso Christo fuerat explicite tradita, postea explicitior evasit quando definitæ sunt conditiones infallibilitatis.

Corollaria.

220. A) *Rejiciendus est Cæsarismus.* — Nam potestatem spiritualem in Ecclesiâ non principibus sæcularibus contulit Christus, sed Corpori Episcoporum, ut constat ex dictis. — Ita, contra multos Anglicanos et Lutheranos.

B) Item rejiciendus est *Multitudinismus*, et *presbyterianismus.* — Ita contra Calvinistas, Congregationalistas, et Liberales multos qui putant ecclesiasticam potestatem multitudini collatam fuisse quæ per delegatos exerceretur[1].

§ II. Jesus instituit Ecclesiam ut societatem monarchicam[2].

221. *Status quæstionis.* Quæritur num Christus Corpori Episcoporum Caput præfecerit, seu primatum instituerit cui tum fideles, tum episcopi subjiciantur, aliis verbis num Ecclesia sit jure divino monarchica.

Negant omnes Protestantes et Græci, — affirmant autem Catholici, quorum doctrinam exponemus in triplici thesi : 1° de *primatu Petri;* 2° de *successoribus Petri;* 3° de *infallibilitate* Romani Pontificis.

222. Thesis Ia : *Christus B. Petro contulit directe et immediate primatum non solum honoris, sed etiam jurisdictionis, seu potestatem docendi, regendi, et sanctificandi universam Ecclesiam.* — Historice certum est, theologice de fide ex definitione Concilii Vaticani[3].

---

[1] Notandum quod in electionibus episcopalibus quæ in Ecclesiâ primitivâ habebantur, fideles designabant tantum candidatum sibi placitum, cui nec jurisdictionem, nec consecrationem conferre poterant.

[2] *Syn. maj.*, n. 683-763.

[3] "Si quis igitur dixerit B. Petrum Apostolum a Christo Domino constitutum non esse Apostolorum omnium principem, et totius Ecclesiæ militantis visibile Caput; vel eumdem honoris tantum, non autem veræ propriæque jurisdictionis primatum ab eodem D. N. J. C. directe et

Probatur :

1° *Ex præeminentiâ Petro concessâ.* — Nam in Evangelio Petrus ut specialis socius et amicus Christi, imo ut primus inter ceteros, ostenditur ab Evangelistis; item Christus resurgens Petro singulariter apparuit.

2° *Ex promissione primatûs*[1]. — Petro primatus promittitur; nam a) *Petro soli* loquitur Jesus ut patet ex textu et contextu. — Ergo petra super quam Christus ædificabit Ecclesiam suam non est alia ac Apostolus Petrus; b) Petrus fundamentum quo solidatur Ecclesia esse nequit nisi *supremâ polleat potestate* docendi et regendi in spiritualibus. Eadem auctoritas promittitur sequentibus verbis " Tibi dabo claves regni cælorum " et " Quodcumque ligaveris super terram..."; c) hæc jurisdictio suprema quæ promittitur a Christo est *primatus verus :* nam Christus solum Petrum ceteris exclusis alloquitur, eique soli pollicetur eamdem auctoritatem quam aliis Apostolis cum Petro unicum corpus efformantibus daturus erat. Hæc interpretatio textûs admittitur hodie a Modernistis et Liberalibus multis qui negant illius historicitatem.

Apud Lucam[2], Christus pro uno Petro orat, licet omnes a Satana impugnentur : quod sufficit quia, cùm Petrus sit aliorum caput, fidem eorum qui defecerint, firmabit.

223. 3° *Ex collatione potestatis totum pascendi gregem.* — Christus redivivus Petro contulit potestatem supremam ipsi antea promissam : " Pasce agnos meos... Pasce oves meas[3] ". Siquidem verba Christi a) ad *Petrum solum* spectant, qui vocatur nomine proprio " Simon-Joannis ", a quo exigitur dilectio omnino personalis " Diligis me plus his? "; b) *conferunt primatum*, nam verbo " Pasce " (βοσκε, ποιμαινε) designatur tum apud profanos, tum apud sacros auctores potestas in societate. Cum hæc potestas soli Petro detur, Petrus igitur verum primatum tenet quo Christi supremi Ecclesiæ pastoris vices gerit; c) *in univer-*

immediate accepisse, A. S." (Sess. IV, can. 1, DENZ.-BANNWART, 1823).

[1] " Et ego dico tibi quia tu es Petrus (kepha)et super hanc petram (kepha) ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis." (*Matt.*, XVI, 13-19).

[2] " Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. " (*Luc.*, XXII, 32). — [3] *Joan.*, XXI, 15-17.

sam Ecclesiam, nam verba "Pasce agnos, parce oves" designant omnes Christi discipulos quâcumque sint dignitate præditi.

224. 4° *Confirmatur exercitio hujus auctoritatis.* Petrus revera intellexit verum primatum sibi collatum esse[1]: nam post Ascensionem auctoritatem supremi Principis exercet in Ecclesiâ, ita, v. g., in electione Mathiæ[2], in prædicatione Evangelii[3], in conversione Gentium[4], in visitatione Ecclesiarum,[5] in Concilio Hierosolymitano[6].

Paulus ipse primatum Petri agnovit, ut patet : 1) ex eo quod Petrum nobiliori loco nominat[7], 2) Jerosolymam venit ad visendum Petrum[8]. Quando in faciem Petro restitit, non negavit ejus auctoritatem, sed timuit ne exemplo Petri multi observantias legales servarent et Gentiles tali agendi ratione a fide averterentur[9].

De argumento traditionis, cf. infra, n. 229 sq.

225. **Thesis IIa** : *Primatus jurisdictionis in universam Ecclesiam non solum Petro, sed etiam ejus successoribus, nempe Romanis Pontificibus, jure divino collatus fuit.* — Historice certum, Theologice de fide, ex definitione Concilii Vaticani[10].

Ad thesim demonstrandam, duo oportet probare : 1° Christum voluisse primatum jurisdictionis Petro collatum ad ejus successores transire; 2° successores Petri esse Romanos Pontifices, eisque igitur competere primatum.

I. Christus voluit primatum esse perpetuum, et ad Petri successores transire.

226. Probatur assertum : 1° *Scripturâ.* Ex textibus supra laudatis, Petrus constitutus est fundamentum Ecclesiæ, accepit claves regni, et potestatem ligandi atque solvendi, totumque gregem pascendi. Atqui Ecclesia, quam

---

[1] Ita contra Modernistas "Simon Petrus ne suspicatus quidem unquam est sibi a Christo demandatum esse primatum in Ecclesia." — (Prop. 55a Dec. *Lamentabili*, DENZ.-BANNWART, 2055).
[2] *Act.*, I, 15. — [3] *Act.*, II, 14, III, 6. — [4] *Act.* X. — [5] *Act.*, IX, 32.
[6] *Act.*, XV, 7, 12. — [7] *I Cor.*, I, 12; III, 22. — [8] *Galat.*, II, 18-19.
[9] *Galat.*, II.
[10] "Si quis dixerit non esse ex ipsius Christi institutione, seu jure divino, ut B. Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse B. Petri in eodem primatu successorem; A. S." (Sess. IV, c. 2, DENZ.-BANNWART, 1825).

Christus vult usque ad consummationem sæculi permanere, nequit subsistere sine fundamento, nec cælum fidelibus aperire sine clavibus, nec legibus opportunis dirigere animas sine potestate gubernandi. — Ergo.

2° *Historiâ.* Textus infra exponuntur, n. 229 sq.

3° *Ratione suadetur.* Auctoritas tuta et permanens utilis est ut Ecclesia dirigere possit fideles ad finem suum supernaturalem. Atqui hæc auctoritas facilius finem suum obtinebit si ab uno habetur quam si a collegio possidetur. — Ergo...

II. Successores B. Petri in primatu sunt Romani Pontifices, quibus proinde competit suprema docendi et regendi potestas.

231 **227.** 1° *Probari potest hæc thesis ostendendo B. Petrum Romam venisse et fuisse Episcopum hujus civitatis usque ad finem vitæ.*

De duratione hujus romani Episcopatûs Petri non concordant catholici, sed factum ipsum, quod solum ad nos refert, est certum.

Diserte probatur episcopatus Romanus Petri : 1) ex *Patribus*, inter quos citare juvat Caium, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, Irenæum, Dionysium Corinthium; item S. Ignatius et S. Clemens Papa aperte supponunt Petrum et Paulum Romam venisse; 2) ex *monumentis* quibus memoria Petri Romæ affixa remansit; 3) ex *consensu omnium ecclesiarum orientalium* quarum nulla gloriatur quod sepulchrum Petri habeat : omnes ecclesiæ in suis liturgiis concelebrant episcopatum Petri et martyrium Romæ consummatum; 4) ex *catalogis* Romanorum Episcoporum qui omnes usque ad S. Petrum retrogradiuntur, et ex quibus patet Romanam Ecclesiam statim post S. Petrum ab episcopo monarchico rectam fuisse. Hos catalogos referunt S. Irenæus, Eusebius, S. Epiphanius.

Ergo Romanus Petri episcopatus tot testibus probatus, a nullo antiquo auctore negatus, est historice certus.

232 **228.** 2° Sed, etiamsi Petrus non fuerit Episcopus urbis Romæ, quod falsum est ex dictis, manet tamen quod *Romani Pontifices sunt successores Petri in primatu*, et *quidem jure divino.*

Thesis nostra constabit si probamus Episcopos admisisse primatum Romani Pontificis quatenus successoris B. Petri; jam enim ostendimus Corpus Episcoporum esse infallibile in tradendâ Christi doctrinâ. Afferemus ergo

testimonia quæ primum implicite et obscure, licet vere, postea vero magis diserte primatum asserunt.

229. A) *Tribus prioribus sæculis, præeminentia Romanæ Ecclesiæ scriptis et factis agnoscitur.*

a) Circa finem primi sæculi (93-97), *Ecclesia Romana* censebat jus et officium sibi incumbere Corinthios ad pacem revocandi, vivente adhuc Apostolo Joanne; ejus epistola, nedum rejecta fuerit, reverenter accepta et inter divina officia per plurimos annos lecta est. Hæc autem epistola scripta fuit a Clemente Romano Episcopo, qui tanquam auctoritatem habens præcipit, — simulque declarat Christum loqui per os suum, et eos qui non obtemperaverint gravis reos esse culpæ.

b) Ineunte sæculo secundo, *Ignatius* ep. Antioch. (107) ad Romanos scribit " Ecclesiæ quæ præsidet in loco regionis Romanorum, digne casta et *cœtui caritatis præsidens* ".

c) Decurrente sæculo secundo, multi Romam venerunt, ut ejus Episcopum inviserent ejusque judicium de rebus fidei et disciplinæ exquirerent, ita, v. g., Polycarpus Smyrnensis ep., Abercius Hierapol. ep., — item hæretici, ut Marcion et Montanistæ...

230. d) Exeunte sæculo secundo, præclarum habemus testimonium *S. Irenæi.* Dicit veritatem reperiri in Ecclesiis ab Apostolis fundatis quæ traditionem fideliter servant per successionem Episcoporum. Sed quoniam longum esset omnium Ecclesiarum investigare traditiones, sufficit eas cognoscere quæ in Ecclesiâ Romanâ accipiuntur, hæc enim Ecclesia est regula fidei cui omnes aliæ Ecclesiæ consentire debent, propter præeminentiam spiritualem quam tenet ex Apostolo Petro qui eam fundavit : "Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in quâ semper ab his qui sunt undique conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio...[1] "

In *Controversiâ de Paschate*, *Victor I* (189-198) mandavit Episcopis orientalibus ut, coactis synodis, de die Paschatis disceptarent. Quidam Asiæ Episcopi usum

[1] *Adv. Hæres.*, l. III, c. 3, *P. G.*, VII, 848-849.

suum, spreto romano, tenaciter retinuerunt. Quibus Victor minatus est excommunicationem, quam exsequendam non jussit, postulante S. Irenæo. Mox tamen usus Romanus etiam in Asiâ Minori prævaluit.

231. e) *Tertio sæculo*, *Tertullianus* priusquam Montanista fieret (202) in opere *De præscriptione hæreticorum*, c. 22, 36 agnoscit primatum Petri, necnon quamdam Ecclesiæ Romanæ præeminentiam, quatenus Petri sanguine illustratæ.

S. Cyprianus, tempore schismatis Novatiani (250), scripsit librum *De Unitate Ecclesiæ*, in quo agit directe de unitate uniuscujusque Ecclesiæ sub regimine episcopi. In cap. IV, quædam sunt verba de Petri primatu, quæ non inveniuntur in omnibus codicibus, et ideo a multis rejiciuntur; sed immerito, cùm sint ab ipso Cypriano in secundâ sui libri editione conscripta. — Aliunde plane asserit Ecclesiam super Petrum fundatam esse, et Ecclesiam Romanam esse principium ex quo unitas sacerdotalis exorta est. Item in Epistolis suis affirmat Ecclesiam Romanam esse radicem ac matricem Ecclesiæ catholicæ, et ab Episcopo Romano petit ut excommunicetur Martianus ep. Arelatensis.

Sed in controversiâ de Baptismo hæreticorum putavit usum ecclesiæ Carthaginensis esse legitimum et renuit accipere mandata a Stephano Romano Antistite. — Ex hoc non sequitur Cyprianum negâsse primatum Romani Pontificis, sed putâsse hac de re practicâ usum suum retineri posse.

Eodem sæculo, multi etiam Episcopi ex variis provinciis ad Episcopum Romanum recursum habent, sive ad reddendam rationem fidei suæ, sive ad controversiam componendam, — item hæretici et schismatici.

232. B) *Quarto et quinto sæculo, Primatus Ecclesiæ Romanæ ita diserte scriptis et factis asseritur ut de ejus existentiâ dubium haberi nequeat.*

a) Episcopi Romani loquuntur et agunt tanquam plene conscii sui primatûs.

Ita 1) adversus Arianismum, *Sylvester*, qui per legatos præfecit Nicænæ synodo, — *Julius I*, qui Athanasium in sedem Alexandrinam restituit, — *Liberius* in exsilium missus, quia noluit obtemperare placitis Constantii, — *Damasus*, qui reprobato Sirmiensi concilio regulam fidei Orientalibus Episcopis imposuit.

2) Adversus Priscillianismum, *Siricius* ut judex ab omnibus habetur.

3) Adversus Pelagianismum, causa judicatur ab *Innocentio I* et *Zozimo* qui Epistolam *Tractoriam* omnibus misit Episcopis.

b) Patres quarti et quinti sæculi primatum Romani Episcopi indubitanter agnoverunt.

Ita 1) *S. Optatus Milevitanus* qui, adversus Donatistas scribens, ostendit veram Ecclesiam Christi insigniri unitate quæ venit ex cathedrâ Petri Romæ constitutâ; — 2) *S. Ambrosius* qui docet Romanam Ecclesiam esse caput totius orbis catholici, et signum veræ fidei esse communionem cum Romanâ Ecclesiâ; — 3) *S. Augustinus* qui agnoscit appellationem a sententiâ suâ dari ad Sanctam Sedem, et concilia provincialia suam præcipuam auctoritatem ex approbatione S. Pontificis desumere; — 4) *S. Hieronymus* qui scribit ad Damasum Papam : "Ego Beatitudini tuæ, i. e., Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus est... [1]".

Item inter Orientales, *S. Athanasius* qui recursum habuit ad Episcopum Romanum illiusque jus agnoscit judicandi alios episcopos; item *S. Chrysostomus*, *Eusebiani* qui an. 346 Rom. Pontifici se subjecerunt.

233. C) *Ex consensu totius Ecclesiæ in conciliis manifestato.*

a) In concilio *Ephesino* (431), 1) S. Cyrillus sententiam et definitionem rogavit a Romano Pontifice, 2) S. Pontifex Cœlestinus Cyrillum vicarium suum creavit ut Concilio præsideret, 3) legatosque misit, quorum unus Philippus presbyter coram Patribus, nemine reclamante, aperte asseruit primatum Petri ejusque successorum Romanorum Pontificum in universam Ecclesiam [2].

b) In concilio *Chalcedonensi* (451), Leonis celebris epistola, quâ Eutychetis errores damnabantur, lecta est approbantibus omnibus Patribus, qui fere omnes Orientales erant : "Petrus per Leonem locutus est!" In relatione ad Leonem postea missâ, iidem Patres aperte confitentur primatum Romani Pontificis [3].

c) In Conc. *Constantinopolit. III* (680) similia acclamarunt Patres.

d) In Conc. *Lugdunensi II*[4] (1274) et *Florentino*[5] (1438-1445) primatus Rom. Pontificis disertis verbis definitus est.

---

[1] ROUET DE JOURNEL, *Enchiridion Patristicum*, 1346. — Textus allegati inveniuntur tum in Enchiridio patristico, tum apud DENZINGER-BANNWART.
[2] DENZINGER-BANNWART, 112. — [3] DENZINGER-BANNWART, 149.
[4] DENZINGER-BANNWART, 466. — [5] DENZINGER-BANNWART, 694.

Ergo certum est Episcopos Ecclesiæ universalis agnovisse primatum jurisdictionis competere Romano Pontifici in omnes Christi fideles, in pastores et in agnos. — Atqui, ex dictis, infallibile est corpus Episcoporum in proponendâ Christi doctrinâ. Ergo...

Nec dicatur 1) *ambitione* Episcoporum Romanorum primatum Romanæ sedis constitutum fuisse, — nam omnes Pontifices Romani hanc supremam potestatem sibi vindicârunt quasi onus et officium, et approbantibus ceteris Episcopis inter quos inveniuntur viri non minus doctrinâ quam zelo et fortitudine conspicui. 2) Nec primatus adscribatur *præeminentiæ politicæ urbis Romæ*, nam et Pontifices Romani et ceteri Patres omnes asserunt primatum ortum esse ex successione B. Petri, qui ex voluntate Christi factus fuerat Caput Ecclesiæ universalis.

234. **Thesis III** : *Romanus Pontifex, cum ex Cathedrâ loquitur, infallibilitate gaudet in definiendâ doctrinâ de fide vel de moribus, ita ut ejus definitiones ex sese, non ex consensu Ecclesiæ, sint irreformabiles.* — Historice certum, theologice de fide.

Hæc thesis negatur a *Protestantibus* quoad primam partem, quoad secundam a *Gallicanis.*

Doctrina catholica a *Vaticano* sic proponitur : " Definimus Romanum Pontificem, cùm ex Cathedrâ loquitur, i. e., cùm omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens pro supremâ suâ Apostolicâ auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab universâ Ecclesiâ tenendam definit, per assistentiam divinam... eâ infallibilitate pollere quâ Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definiendâ doctrinâ de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse[1] ".

1° *Declaratur thesis.* **A**) Agitur de infallibilitate in docendo, de quâ supra, n. 216, non de impeccabilitate.

B) Exponuntur *conditiones* quæ omnes simul requiruntur ut sententia Pontificis sit infallibilis : **a**) ut Romanus Pontifex loquatur non ut doctor privatus, nec ut episcopus urbis Romæ, nec ut princeps civilis, sed ut totius Ecclesiæ Pastor et Doctor pro suâ supremâ auctoritate; **b**) ut doceat veritatem de fide vel moribus, cf. infra n. 252; **c**) ut definiat, i. e., finaliter determinet quænam sint fide

---

[1] Denzinger-Bannwart, 1839.

vere internâ tenenda; d) ut definitio universam obliget Ecclesiam.

C) Enuntiatur *causa* infallibilitatis, scilicet assistentia Spiritûs Sancti.

D) Subjectum indicatur infallibilitatis, Romanus Pontifex, cujus definitiones sunt irreformabiles ex sese, independenter a judicio Episcoporum, et a consensu totius Ecclesiæ.

235. 2° *Probatur thesis.* A) *Scripturâ.* a) Ex textu superius citato "Tu es Petrus...", Petrus ejusque successores constituti sunt a Christo fundamentum super quod ædificaretur Ecclesia et ex quo solidaretur. Atqui nisi infallibilitate gaudeat quando ex cathedrâ loquitur, Summus Pontifex non est fundamentum quo firmatur Ecclesia. Ergo...

b) *Ex oratione Christi pro Petro :* "Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus (ἐπιστρέψας) confirma fratres tuos[1]". Hic Christus solum Petrum alloquitur, ut patet ex contextu, et pro solo Petro orat; pro illo petit indefectibilitatem in fide (ut non deficiat fides tua), ut possit confirmare fidem fratrum suorum. Oratio Christi est efficax; ergo a Deo obtinuit assistentiam specialem vi cujus fides Petri inconcussa maneret.

Hoc privilegium ad Petri successores extenditur, cùm Petri successores in primatu idem officium impositum habeant confirmandi fratres in fide.

c) *ex potestate totum pascendi gregem.* Ex dictis, Petrus ejusque successores a Christo acceperunt munus totum pascendi gregem verbo veritatis, ita ut omnes teneantur huic magisterio obedire. Atqui hoc admitti nequit nisi tale magisterium sit infallibile.

236. B) *Traditione.* a) In quatuor prioribus sæculis implicite tantum traditur Romani Pontificis infallibilitas, docendo Ecclesiam Romanam esse *centrum unitatis fidei* (ita *S. Irenæus* supra[2]); simulque *tutam orthodoxiæ normam*, ad delendas hæreses, v. g., Montanismum, Sabel-

[1] *Luc.*, XXII, 31-32.
[2] Textus et facta jam exposita hic memorare sufficiat.

lianismum, et ad solvendas quæstiones ortas de fide vel moribus.

b) A sæculo quinto, magis diserte affirmatur, tum ab ipsis Pontificibus Romanis, v. g., *Innocentio I* et *Zozimo*, qui dicunt ad S. Sedem recurrendum esse in rebus fidei, quia ejus doctrina est *pura* et *irreformabilis;* tum ab Episcopis, v. g., S. Optato, Ambrosio, Augustino, aliisque asserentibus sententiâ S. Pontificis controversias vere finitas esse; tum a Conciliis, v. g., Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopol. III et IV, declarantibus Petrum per Pontificem tunc regnantem locutum esse et ita rem esse finitam[1].

c) *C. Florentinum* "plenam docendi potestatem traditam esse Romano Pontifici" definivit : quod importat infallibilitatem. Tandem explicite definita est infallibilitas Rom. Pontificis a Conc. *Vaticano.*

237. Nec dicere licet Traditionem ut irreformabiles habuisse definitiones Summi Pontificis ex consensu Ecclesiæ, nam inerrantia tribuitur auctoritati ipsius Pontificis, qui, utpote Petri successor, est unitatis centrum et fidei authenticus interpres. — Nec opponi potest famosa Gallicanorum distinctio inter Sedem et Sedentem, nam hæc distinctio 1) prorsus aliena est a mente Patrum qui regnanti Pontifici ipsi obediebant, — et 2) omnem auctoritatem auferret a Pontifice, cùm quisque dicere tunc posset sese adhærere Cathedræ Petri infallibili, non autem Pontifici nunc sedenti qui errori obnoxius est.

Objiciunt Protestantes quosdam Pontifices de facto errâsse, v. g., Liberium qui formulæ Sirmiensi subscripsit; Honorium, qui monothelismum docuit; Paulum V et Urbanum VIII qui Galilæum condemnaverunt.

De his factis adeantur historiographi. Hìc animadvertere sufficiat hos Pontifices, etiamsi forsan privatim erraverint aut obscure et incomplete doctrinam exposuerint, non docuisse errorem *ex cathedrâ* loquentes; ergo manet thesis catholica.

238. c) *Ratione confirmatur.* Omnino utilis est in Ecclesiâ infallibilitas Summi Pontificis, etiam admissâ infallibilitate corporis Episcoporum, quia Concilia œcumenica non possunt facile nec prompte congregari quotiescumque novus oritur error; — aliunde consensus totius Ecclesiæ sæpe nec exspectari, nec cognosci facile potest.

Nec dicatur : 1) Concilia generalia tunc inutilia fore; nam inserviunt ad dignoscendam traditionem ecclesiasticam et ad

[1] Testimonia allegata invenies in *Syn. maj.*, n. 754-756.

judicandam opportunitatem definitionis novæ; 2) hanc Summi Pontificis auctoritatem esse despoticam, omnemque tollere libertatem cogitandi; hæc enim auctoritas, cùm authentice interpretetur verbum Dei, nonnisi veritatem imponit et nullam tollit libertatem nisi erroris.

Conclusio. Ergo constat *historice* Christum instituisse Ecclesiam ut societatem hierarchicam, a collegio infallibili Episcoporum regendam, — et monarchicam, Romani Pontificis infallibilis auctoritate supremâ pascendam. Ergo vera Christi Ecclesia est Ecclesia cui Romanus Pontifex præest.

CONCLUSIO HUJUS ARTICULI.

Sola Romana Ecclesia est vera Ecclesia Christi.

239. Hæc conclusio clarior apparebit si ex præcedentibus thesibus quasdam proprietates Ecclesiæ Christi colligimus.

Siquidem ex demonstratione historicâ jam expositâ constat Jesum Christum instituisse Ecclesiam ut societatem 1° *visibilem*, 2° *apostolicam*, 3° *indefectibilem.* Atqui Ecclesia Romana, et quidem sola, his fulget dotibus. Ergo sola Romana Ecclesia est vera Ecclesia a Christo fundata.

240. I. Major probatur. *Christus instituit Ecclesiam suam ut societatem* 1° *visibilem.* Societas visibilis ea est in quâ *auctoritas exercetur modo visibili simulque membra nexibus socialibus visibilibus uniuntur.* Atqui Christus in Ecclesiâ instituit potestatem docendi, regendi et sanctificandi, quæ modo visibili exercetur, et voluit membra Ecclesiæ nexibus visibilibus uniri, nempe professione externâ ejusdem fidei, obedientiâ externâ iisdem pastoribus, et participatione externâ iisdem sacramentis.

2° *Apostolicam.* Societas apostolica ea est quam Apostoli cum Christo fundaverunt. Apostolicitas societatis supponit apostolicitatem missionis seu auctoritatis : nam non potest societas positiva eadem remanere, nisi ei semper *eadem præsit auctoritas, quæ per legitimam et non interruptam successionem pastorum transmittitur.* Porro Christus voluit apostolicitatem missionis in Ecclesiâ

suâ servari : nam nemini nisi Apostolis auctoritatem commisit, ac proinde nemo, nisi ab Apostolis missus, jus habet in Ecclesiâ docendi, regendi aut sanctificandi fideles.

Fons apostolicitatis est collegium Apostolorum sub Petro centro et capite. Ergo Apostolicitas missionis amittitur cum quis a Petro secedit, obtinetur autem cum quis Petro unitur, servatur ab iis qui cum Petro connectuntur.

3° *Indefectibilem.* Societas indefectibilis ea est quæ perpetua est, eadem semper manet in constitutione essentiali, munusque suum fideliter adimplet. Atqui Christus promisit Ecclesiam suam ædificandam esse super petram et portas inferni adversus eam non prævalere, — auctoritatis formam ipse constituit quam manere voluit immutatam, — et pollicitus est se esse cum Apostolis usque ad consummationem sæculi ut munere suo fideliter et feliciter fungerentur.

241. **II. Minor probatur.** 1° *Ecclesia Romana est societas visibilis, apostolica et indefectibilis.*

A) *Visibilis.* Auctoritas exercetur modo visibili, tum in proponendâ doctrinâ, tum in legibus ferendis, tum in Sacramentis ministrandis.

Similiter fideles uniuntur nexibus externis, nam eadem symbola eodem sensu a magisterio vivo explicata accipiunt, iisdem generalibus legibus obediunt, eadem sacramenta recipiunt.

B) *Apostolica;* nam fundata est a B. Petro Apostolorum principe, et gubernata a Pontificibus, qui, legitimâ et non interruptâ successione, auctoritatem, B. Petro collatam ejusque successoribus promissam a Christo, obtinent.

C) *Indefectibilis;* nam eadem semper manet, eamdem hierarchiam retinet, eadem dogmata profitetur sine admixtione erroris, eadem ministrat sacramenta.

242. 2° *Sola Romana Ecclesia his fulget dotibus,* sensu a Christo intento.

Nam A) sectæ *protestantes* non habent *visibilitatem* socialem, cùm nullo vinculo externo inter se uniantur, et in eâdem sectâ eædem fidei confessiones diverso modo intelligantur; nec *apostolicitatem* missionis, quia rejiciunt episcopatum, vel Episcopos retinent qui pertinaciter a

Petri successoribus secesserunt; nec *indefectibilitatem*, quia in essentialibus suas doctrinas mutaverunt.

B) *Græci schismatici*, nonnisi imperfecte has habent notas : nam diversæ Ecclesiæ nullo *visibili* vinculo inter se connectuntur; *apostolicam* successionem amiserunt pertinaciter a capite Ecclesiæ sese separando; dogma essentiale negaverunt primatûs Romani Pontificis, quod antiqua Concilia œcumenica proclamaverant.

Conclusio. Ergo Sola Romana Ecclesia, quæ in omnibus essentialibus una eademque est ac Ecclesia a Christo fundata, merito vera Ecclesia dicitur.

ART. III. DIVINA ECCLESIÆ INSTITUTIO NOTIS EXTERNIS CONFIRMATUR[1].

243. Concilium *Vaticanum* docet Ecclesiam Romanam ipsam esse motivum credibilitatis propter notas externas divini interventûs quas præ se fert, simulque indicat hæc signa. " Ecclesia per se ipsam ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis, et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile[2] ". Prætermissâ propagatione Christianismi, de quâ antea diximus, in duplici thesi ostendemus : 1° catholicam *unitatem* et *stabilitatem* Ecclesiæ Romanæ, 2° ejus *sanctitatem* et *fecunditatem* nonnisi *divino interventu* explicari posse[3].

244. **Thesis Iª** : *Ecclesia Romana, ob suam catholicam unitatem, invictamque stabilitatem divinæ suæ legationis præbet testimonium irrefragabile.*

I. **Exponuntur facta.** 1° *Ecclesia Romana est catholica.* A) Est *jure* catholica, seu aptitudine gaudet ad universalem inter omnes gentes extensionem. Suâ

---

[1] Cf. *Synop. maj.*, n. 788. — [2] DENZINGER-BANNWART, 1794.

[3] Alio modo proponi posset argumentum, probando nempe Ecclesiam veram ex institutione Christi quatuor notis *unitatis, apostolicitatis, sanctitatis et catholicitatis* ornari debere, posteaque ostendendo easdem *soli* Ecclesiæ Romanæ competere, non autem aliis christianis societatibus, prout in prioribus editionibus *Syn. maj.*, post multos theologos, præstitimus.

enim doctrinâ excludit individualismum quia doctrina Romana omnibus sine distinctione prædicatur, ab omnibus eadem accipienda est, et omnium legitimis mentium aspirationibus apprimè respondet; — suâ constitutione nationalismo adversatur, nam a quolibet Statu libera manet et cuilibet civilis regiminis formæ se accommodat.

B) *De facto* vere catholica est : extenditur enim ad omnes gentes, per omnes et singulas regiones diffunditur, quotidie missionarios ad paganos et schismaticos et hæreticos mittit, ac, ubicumque floret libertas prædicandi, novos fideles ad se trahit et in sinum suum recipit; omnes pariter societatis ordines pervadit, pauperes et proletarios amanter evangelizat, divites et potentes baptizat, sapientes multos et scientiis eruditos filios suos habere gloriatur.

Merito igitur Catholica ab omnibus vocatur.

245. 2° *Ecclesia Romana est una unitate perfectâ fidei, regiminis et cultûs*, quippe quæ principium auctoritatis agnoscat, et supremæ auctoritati a Christo constitutæ nempe Pontifici Romano, in rebus fidei et morum prompte obediat. Quæ unitas eo mirabilior est quo universalior Ecclesia catholica, cùm homines naturaliter suis privatis opinionibus pertinaciter adhærere soleant!

3° *Ecclesia Romana invictâ stabilitate gaudet* inter omnes rerum vicissitudines. — Non obstantibus persecutionibus quas diu passa est et hodie etiam patitur, essentialiter eadem manet, nec ulla præbet indicia futuræ dissolutionis, dum omnia humana instituta caduca esse lugendâ constat experientiâ. Hæreses sive antiquas sive recentes, ut Modernismum, e sinu suo ejecit doctrinamque suam integram servavit.

246. II. **Argumentum.** *Ex his factis legitime infertur Deum Ecclesiæ Romanæ specialiter assistere.* Probatur :

1° *Ex indole harum notarum :* A) ex *Catholicitate :* cùm hæc in solâ Romanâ Ecclesiâ inveniatur, ut transcendens haberi debet, quia *media naturalia* quibus diffunditur non sufficiunt *ex se* ad hanc extensionem explicandam, scilicet prædicatio et martyrium missionariorum, ut jam dictum est de primævo Christianismo, n. 148.

Hodie Protestantes mittunt quidem prædicatores ad paganos; hi autem mediis naturalibus maxime nituntur, non tanto zelo inflammantur, nec tam multas obtinent conversiones, fatentibus etiam acatholicis multis[1] Fructus quos proferunt explicari possunt humanis auxiliis quibus utuntur, et gratiis ordinariis quæ conceduntur iis qui extra veram Ecclesiam regnum Dei bonâ fide propagare conantur.

B) Ex *Unitate*. Unitas fidei, regiminis et cultûs, quæ in Ecclesiâ Romanâ per totum orbem dispersâ servatur, explicari nequit humano modo, attentis obstaculis quæ huic unitati opponuntur, scilicet pertinaciâ humani ingenii quod suis opinionibus firmiter adhæret, obscuritate dogmatum mysteriis plenorum, difficultate legis moralis omnibus passionibus adversæ. Quomodo sola Romana Ecclesia per tot sæcula hanc unitatem servare potuit, nisi assistentiâ speciali et supernaturali Christi et Dei?

C) Ex *Stabilitate*. Sola Romana Ecclesia manet stabilis et immutabilis multis abhinc sæculis, dum sectæ et hæreses et religiones diversæ multoties evolutæ fuerunt. Hæc firmitas eo mirabilior est quo pauciora et debiliora sunt auxilia humana quibus nititur Ecclesia : quoties inimici illius ruinam prophetaverint! Et tamen invicta semper evasit, non ab hominibus, sed a Deo ipso qui omnes eventus gubernat, mirabiliter adjuta.

247. 2° *Ex prophetiis præfatas notas annuntiantibus.* Divinus interventus haud parum confirmatur ex eo quod hujusmodi catholicitas, unitas et stabilitas ab antiquis prophetis (cf. supra, n. 166) et ab ipso Christo tanquam opus divinum prænuntiatæ fuere. — Habemus prophetiam veram, verum miraculum ordinis intellectualis cum Ecclesiâ Romanâ indivulse connexum. — Ergo Deus ipse interventu suo præternaturali Ecclesiam Romanam suam esse signat.

248. **Thesis II^a** : *Ecclesia Romana ob suam eximiam sanctitatem et inexhaustam in bonis omnibus fecunditatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis.*

I. **Facta exponuntur.** 1° *Sanctitas* Ecclesiæ Romanæ *supereminens* oritur : **a**) ex eo quod *media* sanctitatis

[1] *Syn. maj.*, n. 606.

omnibus præbet, suâ doctrinâ, suo cultu, suis legibus; b) ex eo quod *effectus* sanctitatis obtinet tum in *singulis* fidelibus, quorum nonnulli heroicas virtutes, ut Sancti et Beati, colunt; tum in *institutis*, v. g., in sacerdotio catholico, cujus membra cœlibatui perpetuo sunt addicta, in religiosis ordinibus ubi multi perfectionem secundum vitam activam aut contemplativam prosequuntur; tum in *societate*, cui virtutes naturales simul et christianas indesinenter prædicat. — Sane non omnes catholici sunt sancti; sed boni tales sunt quia mandata Ecclesiæ sequuntur, mali autem, quia præcepta ejus spernunt.

2° *Fecunditas* Ecclesiæ Romanæ apparet in omnibus socialis caritatis operibus quæ instituit et fovet : providet multis modis infantium et juniorum educationi, pauperum necessitatibus, ægrotorum curam maternam habet, et opificum miseram conditionem meliorem efficere conatur.

249. II. ARGUMENTUM. *Ex factis hucusque expositis constat Ecclesiam Romanam divinitus esse adjutam.*

Constat 1° ex *naturâ sanctitatis*. — Nam sanctitas est ardua, nonnisi multis et continuis conatibus obtinetur : auxilium ergo divinum necessarium est ut unus homo hos conatus efficiat, quanto magis requiritur pro magnâ hominum multitudine qui in Ecclesiâ Romanâ ad perfectionem tendunt? — Evidentior adhuc est hæc conclusio quando agitur de *martyrio*, necnon de actibus heroicis virtutum quos apud Sanctos reperimus. — Ergo Ecclesia quæ tot et tantos producit fructus sanctitatis a Deo ipso fecunditatem accipit. — Confirmatur *miraculis* quæ in Ecclesiâ Romanâ semper ad nostra usque tempora patrata sunt.

2° *Ex comparatione inter Ecclesiam Romanam et acatholicas societates.* Non diffitemur apud Græcos et Protestantes quosdam inveniri viros eximiâ virtute præditos. Sed paucis Sanctis a tempore peracti schismatis decorata fuit Ecclesia Græca, nullus apud Protestantes memoratur cujus sanctitas universim agnita fuerit; imo nulla habetur institutio quæ supernaturalem notam præ se ferat. Igitur apud eos paucos tantum virtutis fructus fert christianismus.

Ergo sic ratiocinari licet : Ea est vera Christi Ecclesia quæ fert fructus sanctitatis quibus manifestetur actio

Spiritûs Sancti : Christus enim Ecclesiam instituit quâ homines sanctificarentur et vitam æternam prosequerentur. Atqui alias societates christianas Ecclesia Romana supereminet eximiâ sanctitate et inexhaustâ fecunditate. Ergo Ecclesia Romana est vera Ecclesia Christi.

CONCLUSIO PARTIS APOLOGETICÆ

De Necessitate veram Ecclesiam amplectendi, seu extra Ecclesiam nulla salus.

251. Ex argumento historico, simul et ex notis Ecclesiæ Romanæ, constat Ecclesiam Romanam esse Ecclesiam quam Christus Jesus, specialiter a Deo missus ad docendos homines veram religionem, instituit. Ergo *gravis cuique incumbit obligatio ingrediendi Ecclesiam Romanam.*

1° *Probatur.* Hæc est conclusio Apologeticæ totius. Confirmatur insuper : a) ex verbis Christi, qui sub pœnâ damnationis omnibus præcepit hominibus ut doctrinam necnon leges et sacramenta a Corpore Apostolorum acciperent; b) ex totâ Traditione, quæ affirmavit salutem non esse extra corpus Ecclesiæ, nec quemquam Deum habere Patrem qui Ecclesiam non habet matrem.

2° *Corollaria.* a) Qui *culpabiliter* extra corpus Ecclesiæ usque ad finem vitæ manet salvus fieri nequit; culpabilis est autem qui, cùm serio dubitat, non quærit veritatem, et *a fortiori* qui *sciens* et *volens* Ecclesiam non ingreditur quam ut veram agnoscit. b) Qui *inculpabiliter* extra corpus Ecclesiæ manet, salvus esse potest, dummodo per fidem et caritatem, vel contritionem perfectam, ad animam Ecclesiæ pertineat[1].

---

[1] Ad rem *Pius IX :* "Tenendum quippe ex fide est extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus diluvio periturum; sed tamen pro certo pariter habendum est qui veræ religionis ignorantiâ laborent, si ea sit invincibilis, nullâ ipsos obstringi hujusce rei culpâ ante oculos Domini." Ex allocutione *Singulari quadam*, 9 dec. 1854, DENZINGER-BANNWART, 1647. — Idem Pontifex, in Encycl. *Quanto conficiamur mœrore*, 10 Aug. 1863, scribit : "Cùm Deus..., pro summâ suâ bonitate et clementiâ, minime patiatur quempiam æternis puniri suppliciis qui voluntariæ culpæ reatum non habeat." DENZINGER-BANNWART, 1677. —

CAPUT II.

De Ecclesiæ Constitutione.

In triplici articulo dicemus : 1° de Ecclesiæ *potestate;* 2° de hujus potestatis *exercitio;* 3° de *relationibus* inter Ecclesiam et Statum.

Art. I. De Ecclesiæ Potestate[1].

Ex fine Ecclesiæ apparet triplicem esse in Ecclesiâ catholicâ potestatem, docendi scilicet, regendi, et administratione sacramentorum sanctificandi fideles. In *Tr. de Ordine* dicetur de potestate ordinis, — hìc ergo agitur tantum de magisterio et de regimine Ecclesiæ.

§ I. De objecto potestatis doctrinalis Ecclesiæ.

252. 1° Ex voluntate Christi Ecclesia jus habet revelationem edocendi, ac depositum fidei custodiendi, et in hoc munere adimplendo assistentiâ Spiritûs Sancti ab errore præservatur.

A) Infallibilitatis objectum duplex est : **a**) *directum*, quod complectitur omnes veritates explicite vel implicite a Deo revelatas. Hoc est de fide, ex dictis supra, n. 216; **b**) *indirectum*, quod comprehendit omnes veritates quæ, licet revelatæ non sint, ita tamen cum revelatis connectuntur, ut necessariæ sint ad depositum fidei integre custodiendum, rite explicandum et efficaciter definiendum : hoc est certum.

B) Magnum est discrimen inter objectum infallibilitatis directum, et indirectum : si veritas formaliter revelata definitur ab auctoritate infallibili, est objectum *fidei catholicæ*, quia creditur propter auctoritatem Dei revelantis; si veritas cum revelatis connexa definitur est tantum objectum

Cf. *Syllabus*, prop. 16, 17 et 18; Denzinger-Bannwart, 1716, 1717, 1718. — Ad *corpus* Ecclesiæ pertinent qui exterius doctrinam catholicam profitentur sub Rom. Pontificis magisterio; ad *animam* vero qui internam fidem et caritatem habent.

[1] Cf. *Syn. maj.*, n. 834.

fidei ecclesiasticæ, quia creditur propter auctoritatem Ecclesiæ. In utroque casu tamen veritati definitæ firmiter adhærendum est, etsi diverso motivo.

253. 2° *Extenditur objectum indirectum* infallibilitatis Ecclesiæ :

a) ad *conclusiones theologicas.* Certum est. Conclusio theologica est conclusio quæ per proprium discursum certo et evidenter deducitur ex duabus præmissis quarum una est formaliter revelata, altera naturaliter cognita.

b) ad *censuras doctrinales* quibus notat quasdam propositiones. *De fide* est Ecclesiam esse infallibilem quando doctrina notatur ut hæretica; *certum*, quando doctrina notatur ut hæresi proxima, in fide erronea, falsa.

c) ad *facta dogmatica*, ut sunt legitimitas S. Pontificis, œcumenicitas Concilii; item, factum quod in certo libro continetur quædam doctrina orthodoxa vel heterodoxa. Communiter docent theologi Ecclesiam posse infallibiliter determinare quemnam sensum verba alicujus libri, attento contextu, præ se ferant [1], et utrum hic sensus sit orthodoxus, an non.

d) ad *leges generales* pro universâ Ecclesiâ latas. — Certum est eas non esse contrarias legi divinæ naturali aut positivæ.

e) ad *approbationem definitivam Constitutionum alicujus Ordinis religiosi.*

f) ad *canonizationem sanctorum*, non autem ad beatificationem. — Ita communis et vera sententia.

§ II. De objecto potestatis regendi.

254. **Thesis** : *Potestas regendi a Christo Ecclesiæ concessa complectitur potestatem legislativam, judiciariam, et coactivam.* Certum est.

Potestas *legislativa* est jus faciendi ordinationes ad bonum commune Ecclesiæ quæ fideles in conscientiâ obligent; *judiciaria*, est jus instituendi judicia circa actiones fidelium et de

[1] Quando damnantur propositiones *juxta sensum ab auctore intentum*, agitur non de sensu subjectivo, quem forsan auctor habuerit, sed de sensu naturali et obvio, prout eruitur ex libro ipso, omnibus rite attentis.

eis sententiam ferendi; *coactiva*, est jus adhibendi vim physicam (materialem aut spiritualem) ad urgendam executionem legum vel sententiarum.

Probatur : a) *Verbis Christi*, qui dedit Petro et Apostolis potestatem pascendi gregem, solvendi et ligandi super terram[1].

b) *Praxi Apostolorum*, qui optimi interpretes verborum Magistri, leges tulerunt[2], judicia pronuntiaverunt et potestate coactivâ usi sunt[3].

c) *Praxi Ecclesiæ*. Notum est omnibus Ecclesiam, Romanos Pontifices, et Episcopos (præsertim in Conciliis), canones seu leges edidisse quibus fidelium conscientiæ obligarentur, judiciales sententias pronuntiasse, necnon pœnas contra rebelles decrevisse.

d) Quod *confirmari* potest ex eo quod Ecclesia est societas juridica et perfecta : habet ergo in se media necessaria ad finem suum attingendum, ac proinde jure gaudet *imponendi tanquam obligatoria* media ad finem utilia, *judicandi* et *puniendi* legum violatores, ne inanis evadat potestas legifera.

Art. II. De Exercitio potestatis Ecclesiasticæ[4].

§ I. De exercitio potestatis pontificiæ.

Hìc agitur tantum de potestate docendi et regendi, prætermissâ potestate sanctificandi fideles.

I. *De potestate docendi*[5].

255. Romanus Pontifex officium propagandi doctrinam Christi apud omnes populos, eamque puram et integram conservandi, triplici præsertim modo adimplet :

1° Definitionibus *ex cathedrâ*, quæ sunt ex sese irreformabiles et quibus proinde debetur plenus fidei assensus.

---

[1] *Matt.*, XVIII, 18; XXVIII, 19; *Joan.*, XXI, 15-18.
[2] *Act.*, XV, 29; *I Timot.*, III, 2; V, 9-12.
[3] *I Tim.*, I, 20; *I Cor.*, V. 16.
[4] Cf. *Syn. maj.*, n. 854.
[5] Cf. Choupin, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du St Siège*.

2° *Ordinario magisterio*, scilicet libros commendando aut prohibendo, decreta vel Encyclicas publici juris faciendo, etc. — Ejusmodi declarationes non sunt ex sese infallibiles, sed magnâ pollent auctoritate, quia a Supremâ auctoritate emanant. His debetur assensus internus et religiosus : non sufficit ergo reverentiale silentium, non requiritur tamen assensus absolutus, qui veritati certæ soli traditur, nisi doctrina ut certa a R. Pontifice proponatur[1].

3° *Mediantibus Congregationibus* quibus partem sui magisterii commisit, scilicet *S. C. Indicis*, *S. C. Inquisitionis*, seu *Sancti Officii*, et *Pontif. Consilio de re Biblicâ*.

Decreta S. Officii approbantur : **a**) *modo solemni*, et tunc fiunt actus S. Pontificis et possunt infallibilia esse, modo adsint conditiones requisitæ (supra, n. 234); **b**) vel *modo communi*, et tunc remanent actus Congregationis, ac proinde non possunt esse infallibilia. Eis debetur assensus internus et religiosus, sed prudentialis et conditionatus, qui præbetur assertis quæ vere tuta sunt et a legitimâ auctoritate doctrinali proponuntur. *Pius X*, in Motu Proprio *Præstantiâ* 18 nov. 1907, hoc officium aperte declarat sese subjiciendi in conscientiâ decisionibus Pontificalis Consilii de re Biblicâ, eodem modo ac decretis S. Congregationum ad doctrinam pertinentibus, probatisque a Pontifice, ut vitetur nota temeritatis et detrectatæ obedientiæ[2]; additque eos qui verbis aut scriptis sententias has tales impugnarent culpâ gravi vacare non posse, idque præter scandalum quo offendant.

II. *De potestate regendi S. Pontificis.*

256. *Gallicani* non pauci, *Synodus Pistoriensis*, nostrisque diebus *Anglicani* qui se Catholicos dicunt, affirma-

[1] "Quoniam vero satis non est hæreticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt, omnes officii monemus servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravæ ejusmodi opiniones, quæ isthic diserte non enumerantur, ab hâc Sanctâ Sede proscriptæ et prohibitæ sunt." CONCIL. VATICAN., sess. III, in fine, DENZINGER-BANNWART, 1820.

[2] In decreto *Lamentabili* damnantur prop. seq. : "7ª. Ecclesia cum proscribit errores nequit a fidelibus exigere ullum internum assensum quo judicia a se edita complectantur. 8ª. Ab omni culpâ immunes existimandi sunt qui reprobationes a S. C. Indicis aliisve S. Rom. Congregationibus latas nihili pendunt." DENZ.-BANN., 2007-08.

verunt Romanum Pontificem habere tantum officium inspectionis, aut directionis, sed nil agere posse in casibus ordinariis extra diœcesim Romanam nisi mediantibus Episcopis. Contra quos sit thesis catholica :

Thesis : *Romanus Pontifex habet plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, etiam in rebus disciplinaribus, et quidem ordinariam et immediatam* — *De fide* est ex *definitione Concilii Vaticani :* "Si quis dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis, aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit [1] ".

257. Juxta disciplinam hodie vigentem, Romani Pontifices possunt : **a**) leges ferre pro totâ Ecclesiâ etiam absque consensu Episcoporum; suas, suorum prædecessorum, et Conciliorum œcumenicorum leges interpretari, mutare, abrogare; ab eis dispensare; leges episcopales abrogare et ab eis dispensare; **b**) ad suum tribunal causas ecclesiasticas evocare, majores causas sibi reservare, appellationes ex toto orbe suscipere, et definitivas sententias ferre a quibus appellare non licet; **c**) Episcopos instituere aut etiam deponere; **d**) legatos mittere in omnes orbis catholici partes.

Romanus Pontifex non potest solus efficaciter exercere suam ordinariam et immediatam jurisdictionem in universam Ecclesiam : utitur ergo auxilio Cardinalium et Prælatorum Romæ residentium quibus, in *varia Dicasteria* coadunatis, suam jurisdictionem commisit exercendam. Curia Romana, qualis in *Codice juris canonici* describitur, can. 242-259, complectitur :

a) *Congregationes* undecim, scilicet Cong. S. Officii, Cong. Consistorialem, Cong. de disciplinâ Sacramentorum, Cong.

[1] Sess. IV, cap. 3, DENZINGER-BANNWART, 1831.

Concilii, Cong. Negotiis religiosorum sodalium præpositam, Cong. de Propagandâ Fide, Cong. Sacrorum Rituum, Cong. Cæremonialis, Cong. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, Cong. Studiorum, Cong. pro Ecclesiâ orientali.

b) *Tribunalia* tria, Sacram Pænitentiariam, Sacram Romanam Rotam, et Signaturam Apostolicam.

c) *Officia* quinque, Cancellariam Apostolicam, Datariam Apostolicam, Cameram Apostolicam, Secretariam Statûs, Secretariam Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum.

§ II. De exercitio potestatis Episcopalis.

I. *De potestate Episcoporum singulatim sumptorum.*

258. A) Hìc agimus de solâ potestate *jurisdictionis*, quæ jus docendi et regendi complectitur. Episcopi diœcesim suam solam gubernant, juxta Vaticanum [1] : " Episcopi tanquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt ". Quilibet tamen potestatem *ordinariam* habet in omnes, sive fideles sive sacerdotes, intra limites suæ diœcesis commorantes.

B) Gregem suum pascunt docendo, invigilando defensioni et prædicationi christianæ doctrinæ, errores damnando, pravos libros vel ephemerides prohibendo [2]. Singuli non sunt infallibiles, sed ut authentici magistri et judices fidei haberi debent, ac præsumendi sunt veram doctrinam tradere donec contrarium probetur. Si dubia de eorum fide oriantur, a Summo Pontifice judicari debent.

C) Regunt fideles et sacerdotes sui territorii in foro interno et externo : leges ferunt circa ea quæ pertinent ad fidem, cultum, et disciplinam, judicant in primâ instantiâ, ac delinquentes plectunt pœnis canonicis. In omnibus servare debent leges generales Ecclesiæ.

II. *De potestate Episcoporum collegialiter sumptorum.*

1° Episcopi per orbem dispersi.

259. **Thesis** : *Episcopi per orbem dispersi, sed cum Romano Pontifice corpus morale efformantes, sunt infallibiles in doctrinâ Christi proponendâ.*

---

[1] Sess. IV, c. 3, Denzinger-Bannwart, 1828.

[2] De potestate doctrinali Episcopi, lege Encycl. Pii X., *Pascendi*, 8 sept. 1907, § Huic tantorum, usque ad finem, *A. S. S.*, XL, 639-650.

Prob. a) *Scripturâ*, *Matt.* XXVIII, 18-20. Promittitur assistentia divina Apostolorum collegio eorumque successoribus, scilicet Episcoporum corpori, quando per orbem universum dispersi omnes gentes docent.

b) *Traditione.* Apud Patres, signum erroris est secedere a doctrinâ quæ in universâ Ecclesiâ traditur per successionem Episcoporum; in conciliis, semper ut definitionum fundamentum habita est fides quam tenent pastores per orbem dispersi.

c) *Ratione suadetur.* Nam maximum incommodum esset pro fidelibus, si Episcoporum corpus per orbem dispersum noxios errores spargere posset : ita enim fideles, longe a Centro unitatis distantes, facile in errorem inducerentur.

2° EPISCOPI IN CONCILIO COADUNATI.

260. Concilium dicitur legitimus Pastorum Ecclesiæ conventus ad judicandum vel statuendum circa doctrinam vel disciplinam ecclesiasticam. Concilium est a) *provinciale*, quando congregantur Episcopi unius provinciæ; b) *plenarium*, quando Ordinarii plurium provinciarum conveniunt sub Legato Pontificio; c) *generale* seu *œcumenicum*, quando ibi universalis repræsentatur Ecclesia, consentiente S. Pontifice.

A) Conditiones ad Conc. œcumenicum requisitæ. Ut *Concilium sit œcumenicum ex omni parte*, requiritur :

a) Quoad *convocationem*, ut conveniant Episcopi jussu Romani Pontificis, qui solus potestatem habet in omnes alios Episcopos, ac proinde solus potest eis imperare ut congregentur. — Vocandi sunt ad Concilium in eoque jus habent *suffragii decisivi :* 1) Cardinales, etsi non episcopi; 2) Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi residentiales etiam nondum consecrati; 3) Abbates vel Prælati nullius; 4) Abbas primas, Abbates superiores congregationum monasticarum, ac supremi Moderatores Religionum exemptarum, non autem aliarum religionum, nisi aliud convocationis decretum ferat. — Episcopi titulares vocati ad Concilium suffragium obtinent *deliberativum* nisi aliud expresse in convocatione caveatur. — Theologi ac sacrorum canonum periti ad Concilium forte invitati suffragium non habent nisi *consultivum* (*Codex*, c. 223). — Parochi, quia jurisdictio eis collata non inclu-

dit potestatem ferendi leges vel judicia exercendi in foro externo, numquam ut fidei testes admissi sunt in Conciliis, sed solum ut episcopos adjuvarent vel repræsentarent.

b) Quoad *celebrationem*, ut Romanus Pontifex per se vel per delegatos Concilii sessionibus præsit. — Non requiritur ut omnes Episcopi orbis catholici simul conveniant, sufficit ut moraliter loquendo tota repræsentetur Ecclesia; — nec requiritur ut omnes Episcopi unanimiter consentiant : si adsit dissensio inter eos, illa pars Episcoporum erit infallibilis quæ, etiamsi sit minor, S. Pontifici adhærebit, cùm hic errare nequeat.

c) Quoad *confirmationem*, ut decreta Concilii approbentur a S. Pontifice. Hanc confirmationem variis modis dare potest Papa : vel decreta sibi transmissa recipiendo et promulgando, et tunc habetur confirmatio *subsequens;* — vel ferendo sententiam in ipso concilio, quando eidem personaliter præest, tunc confirmatio est *concomitans;* — imo mittendo legatos quibus dantur instructiones de iis quæ definiri debent : tunc confirmatæ censentur decisiones concilii, si legati receptis instructionibus sese conformaverint, et habetur confirmatio mere *antecedens*, quam multi putant sufficere.

261. B) Concilii œcumenici auctoritas. **a)** *Concilium œcumenicum est infallibile in definiendâ doctrinâ de fide vel moribus.* De fide est hæc thesis quia proponitur ab universali et ordinario Ecclesiæ magisterio.

b) Quæritur autem num *Concilium sit supra Papam?* Concilium absque Summo Pontifice est certo inferius, cùm non gaudeat infallibilitate. Concilium cum S. Pontifice non est Papæ superius, cùm eamdem habeat jurisdictionem Papa solus ac Concilium cum Papâ. — Unde : 1) S. Pontifex decretis disciplinaribus Concilii sicut et propriis derogare potest; 2) appellatio a decisione S. Pontificis ad Concilium generale merito pluries fuit reprobata.

c) Concilia generalia non sunt absolute necessaria, — sed tamen valde utilia : 1) quia majorem *humanam* auctoritatem præ se ferunt, quatenus cœtus hominum sanctitate et doctrinâ eminentium, quorum testimonium efficacius mentes convincere potest quam sententia R. Pontificis

solius; 2) medium præstant quo Rom. Pontifex doctrinam revelatam cognoscat, et Episcoporum mentem exquirat de iis quæ optima videntur ad corrigendos abusus vel virtutem promovendam. Ex quo minime concludendum est Episcopos in Concilio coadunatos esse meros consiliarios S. Pontificis; sunt veri judices, qui, vi jurisdictionis sibi concessæ, tum in causis fidei, tum in negotiis disciplinæ ecclesiasticæ, in legibus condendis et in judiciis ferendis, atque pœnis infligendis, suffragium habent decisivum, ideoque definientes subscribunt decreta conciliaria.

§ III. De membris Ecclesiæ.

Nunc videndum est *quinam subdantur* potestati Ecclesiasticæ, seu quinam sint membra societatis religiosæ hierarchice a Christo constitutæ.

262. 1° *Falsum est omnes et solos justos aut prædestinatos esse membra Ecclesiæ.* Id sequitur ex dictis de hierarchicâ Ecclesiæ constitutione. Nam Ecclesia constituta est a Christo societas visibilis, quæ regitur a Corpore Episcoporum sub Pontifice Romano. Atqui sunt justi extra societatem hanc visibilem; — et aliunde in Ecclesiâ Romanâ dantur peccatores qui post mortem damnabuntur, ideoque neque justi, neque prædestinati dici possunt.

263. 2° *Quænam requirantur conditiones ut quis sit Ecclesiæ membrum.* Cùm Ecclesia sit societas visibilis, conditiones requisitæ ut quis sit Ecclesiæ membrum debent esse externæ :

a) ut quis aliquo modo pertineat ad Ecclesiam, debet insigniri baptismo aquæ valido, nam, ut ait Eugenius IV in decreto ad Armenos[1] "Per ipsum (Baptismum) de corpore efficimur Ecclesiæ".

b) ut quis perfecte membrum sit Ecclesiæ debet 1) profiteri exterius fidem catholicam, 2) obedire legitimis pastoribus, 3) communionem servare cum societate visibili a Christo institutâ.

c) qui unâ vel alterâ ex his conditionibus carent, imper-

[1] Denzinger-Bannwart, 696.

fecte tantum dici possunt membra Ecclesiæ, modo baptizati sint.

264. 3° *Quinam sint vel non sint Ecclesiæ membra*, ex statutis principiis jam expendere licet :

A) *Non sunt actualiter membra Ecclesiæ qui baptismum non receperunt.* Ita : a) *infideles*, qui Christum nondum cognoscunt : possunt accipere fidem et Ecclesiam ingredi; b) *Catechumeni*, qui fidem habent, sed ad Ecclesiam non pertinent, nisi in voto, donec baptizentur.

B) *Imperfecte sunt membra Ecclesiæ :* a) *hæretici*, qui pertinaciter et *publice* fidei catholicæ veritatem negant vel in dubium revocant; sed infantes apud hæreticos valide baptizati manent vere Ecclesiæ membra, donec libere et publice hæresi adhæreant. Hæretici *occulti* manent Ecclesiæ membra, licet arida et mortua.

b) *Schismatici*, qui pertinaciter et *publice* ab obedientiâ legitimis superioribus debitâ sese subtrahunt. — Schismatici autem *occulti* sunt arida et mortua corporis Ecclesiæ membra.

c) *Excommunicati vitandi*, qui ad tempus saltem præcisi sunt ab omni externâ communione cum Ecclesiâ. *Excommunicati tolerati* manent vere Ecclesiæ membra quia Ecclesia, quatenus eos tolerat, non totaliter a sinu suo expellit.

C) *Vere sunt Ecclesiæ membra peccatores*, qui etsi statum gratiæ peccato mortali amiserunt, triplici vinculo externo fidei, obedientiæ et canonicæ communionis, post susceptum baptisma uniuntur Ecclesiæ.

Art. III. De Relationibus inter Ecclesiam et Statum [1].

265. **Errores vitandi.** a) Alii contendunt Ecclesiam esse Statui subjectam, ideoque jura sua exercere non posse sine Principis sæcularis placitô : ita *multi politici* hodierni, qui Statum habent fontem omnium jurium; *Gallicani et Josephistæ*, qui independentiam Ecclesiæ

[1] Cf. *Syn. maj.* n. 910. — Gregor. XVI, Encycl. *Mirari vos*, 15 aug. 1832; Pius IX, *Quantâ Curâ*, 8 Dec. 1864; Leo XIII, *Diuturnum*, 20 Jun. 1881; *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885; *Libertas*, 20 Jun. 1888.

in solis spiritualibus agnoscentes, potestati civili tribuebant jus supremi dominii in bona ecclesiastica, inspectionis in disciplinam ecclesiasticam, etc.

b) Alii e contra inter theologos et canonistas docuerunt Statum directe subordinari Ecclesiæ in temporalibus, et magistratus civiles non esse nisi vicarios S. Pontificis.

c) Alii volunt Ecclesiam a Statu separari juxta formulam : *Ecclesia libera in Statu libero.* — Cui errori affinis est *Liberalismus Catholicus*, qui tenet Ecclesiam nonnisi libertatem a Statu exigere posse, et omnes cultus ex se æqualibus juribus in republicâ gaudere debere.

I. *Principia de Relationibus inter Ecclesiam et Statum.*

266. A) Omnis auctoritas tam civilis quam ecclesiastica *venit a Deo*, et proinde utraque est sancta et ab omnibus reverenda.

B) Attamen *distinguuntur* potestas civilis et potestas ecclesiastica, quia ad finem diversum ordinantur. Potestas civilis bonum temporale commune promovet directe, jura politica, socialia et privata civium determinat et protegit; indirecte mores bonos et religionem fovet quatenus media sunt ad felicitatem temporalem; — potestas ecclesiastica salutem animarum prosequitur. " Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit naturâ suâ, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiæ [1] ".

C) Utraque est *in suo genere maxima.*

D) Neque Ecclesia a Statu, neque Status ab Ecclesiâ sejungendus, sed utraque *societas amico fœdere conjungenda*, quia utriusque finis est eorumdem hominum perfectio, quam Status directe promovet in temporalibus, Ecclesia directe in spiritualibus. — Ad hanc concordiam servandam, is agendi modus requiritur quo jura utriusque societatis salva remaneant.

[1] Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei.*

II. *De Unione Ecclesiæ et Statûs in catholicis regionibus.*

267. Catholicam dicimus regionem cujus *plerique* incolæ sunt catholici, et *regimen secundum principia catholica geritur.*

1° *Jura Statûs.* Jus est Statui ut liber et expeditus sit ad res suas agendas, ad eligendam formam regiminis, ad leges condendas, modo non opponantur legi divinæ aut bono Ecclesiæ.

2° *Officia Statûs Catholici.* a) *Status non potest abstrahere a religione,* sed *debet eam promovere,* quia cultus socialis Deo debetur, et ab ipso Statu reddendus est. — Præterea moralitatem fovere debet Status, moralitas vero obtineri nequit sine religione.

b) Status religionem *revelatam* agnoscere, defendere et fovere tenetur. — Nam de facto existit religio revelata, quam solam Deus jubet ab omnibus accipi.

c) Status defendere debet verum Christianismum seu *Catholicismum.* — De facto, Ecclesia catholica sola constituta est a Deo ad docendos homines et sanctificandos.

Ex unione inter Statum et Ecclesiam originem habent immunitates Ecclesiasticæ, privilegia cultui divino vel ecclesiis concessa, leges civiles sanctione suâ leges ecclesiasticas confirmantes : quarum apparebit legitimitas, modo credatur Ecclesiam catholicam esse solam veram.

268. 3° *Jura Ecclesiæ.* Auctoritatem exercet in mere spiritualibus, — et in eis quæ ex se temporalia sunt, sed connexa cum bono spirituali, aut ad finem spiritualem necessaria.

4° *Officia Ecclesiæ.* Ecclesia debet societatem civilem juvare in iis quæ proprio fini necessaria sunt, fovendo publicam honestatem, promovendo pacem et tranquillitatem; in specialibus circumstantiis, v. g., in bello, auxilium ei præstare. Historiâ ecclesiasticâ constat Ecclesiam semper hæc officia adimplevisse, etiam propria bona tradendo.

III. *De Relationibus Ecclesiæ cum Statu non catholico.*

269. 1° *Cum Statu Christiano acatholico. Per se* quilibet Status christianus eadem habet officia erga Ecclesiam ac Status catholicus; sed *de facto* Ecclesia obtinere nequit a Statu hæretico omnia ad quæ jus habet. — Exigere tamen potest ut catholici, in Statu hæretico vel schismatico degentes, *liberi sint* in professione suæ religionis, ut personalitas juridica Societatis ecclesiasticæ agnoscatur.

2° *Cum Statu Indifferenti.* Cùm talis Status non magis unam quam alteram religionem curet, debet, juxta propria principia, habere Ecclesiam ut legitimam societatem, nil contra eam moliri, sed eam protegere, defendere, ac fovere.

3° *Cum Statu Infideli.* Hic contra rationem et jus naturæ ageret, si impediret prædicationem et propagationem religionis catholicæ.

IV. *De modo agendi quoad Modernas Libertates*

1° De libertate cogitandi.

270. **A)** *Datur legitima libertas cogitandi.* Scilicet jus habemus amplectendi omne verum, nihil admittendi nisi quod aliquo modo nobis fit evidens sive intrinsece, sive extrinsece, eligendi inter opiniones liberas eam quam volumus.

B) Sed *dari nequit* **absoluta** *libertas moralis cogitandi,* quia non existit jus ad errorem. Errare quidem possumus, et propter bonam fidem excusari, sed objective loquendo, jus ad errorem pro libitu accipiendum aut retinendum rationi repugnat. Item, jus non habemus ad veritatem respuendam quæ jam nobis evidens est sive intrinsece sive extrinsece, sed ei naturali aut supernaturali modo cognitæ adhærere debemus.

C) De *exercitio libertatis cogitandi non judicat auctoritas* civilis aut ecclesiastica, dummodo opiniones *exterius* non exprimantur. De cogitationibus internis, quamdiu in foro interno remanent, nemini nisi soli Deo rationem reddere tenemur.

2° De libertate loquendi.

271. A) Datur *etiam* **vera** *libertas loquendi*, modo vera et nemini nociva dicantur.

B) Sed *dari nequit* **absoluta** *libertas* omnia cogitata publici juris faciendi : non enim existit jus ad errorem docendum.

C) Quando errores *exterius* exprimuntur, potestas socialis, sive civilis, sive ecclesiastica, *jus et officium habet eos reprimendi*, in quantum bonum sociale requirit.

3° De libertate conscientiæ et cultuum.

272. A) **Principia.** a) *Datur vera libertas conscientiæ*, scilicet *jus amplectendi et profitendi* **veram** *religionem* secundum leges nobis a Deo impositas, vel ab auctoritate constitutâ ab Ipso si qua sit.

b) Sed *rejici debet absoluta libertas conscientiæ*, i. e., jus eligendi religionem quæ magis placeat, vel eam determinandi ex solo lumine rationis individuæ.

c) Quando religio solis *actibus internis* exercetur, Deus **solus** de hâc re judicat.

d) Quando religio *actibus externis et præsertim cultu* manifestatur, auctoritas ecclesiastica et civilis jus et officium habet prohibendi ea quæ bono sociali nociva sunt.

273. B) **Corollaria.** Ex his principiis deducitur quænam esse debeat ratio agendi Ecclesiæ et Statûs quoad libertatem conscientiæ et cultuum :

a) *Ratio agendi Ecclesiæ.* 1) Ecclesia docet neminem cogi posse ad profitendam religionem quam ut veram numquam agnovit.

2) Ecclesia jus et officium habet filios suos ad finem supernaturalem ducendi, ac proinde media adhibendi quibus amoveantur impedimenta : itaque ad protegendos fideles, potest repellere eos qui in sinu suo corruptionem vel errorem disseminarent, eo modo quo ipsa expedire judicaverit, etiam implorato auxilio potestatis civilis. Ideo merito damnatus est error Catholicorum Liberalium

qui contendunt libertatem completam cuilibet relinquendam esse, et errorem solâ expositione veritatis confutandum.


b) *Ratio agendi Statûs.* — 1) *In thesi* admittendum est a) Statum posse agnoscere divinitatem religionis christianæ, et eam ut legem fundamentalem suæ constitutionis assumere, — b) debere non quidem omnem errorem, nam Status in rebus religiosis incompetens est, reprimere, sed quidquid bono societatis nocere potest.

2) *In hypothesi*, i. e., posito quod bonum societatis postulet divini cultûs varia genera eodem jure publico gaudere ac veram religionem, *tolerari potest* libertas conscientiæ et cultuum.

Itaque R. Pontifices non absolute damnant has libertates, sed prohibent ne habeantur tanquam *jura* errori vel falsæ religioni concedenda.

CONCLUSIO TOTIUS TRACTATÛS.

274. Quibus expositis, jam constat Ecclesiam Christi posse definiri *societatem hominum viatorum sub magisterio et regimine legitimorum pastorum, ac præcipue Romani Pontificis, ejusdem christianæ fidei professione et eorumdem sacramentorum communione adunatorum, ad æternam salutem consequendam.*



TRACTATUS III.

DE FONTIBUS REVELATIONIS[1].

275. Jam demonstravimus : 1°) religionem christianam esse revelatam, 2°) magisterium vivum Ecclesiæ Romanæ esse authenticum et infallibilem interpretem veritatis revelatæ. Proinde *Regula fidei proxima* est *infallibilis Ecclesiæ hodiernæ auctoritas.* Nunc *quærendum nobis est ubi*, seu in *quibusnam fontibus*, contineatur doctrina quæ nobis ut revelata ab inerrante Ecclesiæ auctoritate proponitur. Atqui, juxta *Tridentinum* et *Vaticanum*[2], hæc supernaturalis Revelatio continetur 1° in *libris scriptis*, et 2° sine scripto *traditionibus* "quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt".

Duplex ergo est fons revelationis, *Traditio* nempe et *Scriptura*.

ART. I. DE TRADITIONE[3].

276. **Notio.** **A)** Traditio de quâ hic agitur est *traditio doctrinæ revelatæ.* Hujus traditionis *objectum* est omnis et sola doctrina a Deo supernaturaliter humano generi manifestata; *medium* seu *organum* est magisterium infallibile legitimorum pastorum Ecclesiæ. Ab hâc igitur traditione distinguendæ sunt traditiones mere humanæ, licet ecclesiasticæ, vel etiam apostolicæ.

Itaque sensu *proprie theologico*, *Traditio* dicitur *doctrina revelata quatenus per legitimos Ecclesiæ pastores de ætate in ætatem infallibiliter transmissa.*

B) Traditio divina quoad originem est *dominica*, quæ ipsius Christi ore Apostolis proposita fuit, — vel *divino-*

---

[1] Cf. *Syn. maj.*, n. 942. — De fontibus *proprie theologicis* opportunius infra dicetur, ubi de theologicâ scientiâ, n. 387 sq.

[2] Sess. III, cap. 2, DENZINGER-BANNWART, 1787.

[3] Cf. FRANZELIN, *De traditione et Scripturâ;* BAINVEL, *De Magisterio vivo et Traditione.*

apostolica, quæ Apostolis manifestata est divino Spiritu revelante.

Relate ad Scripturam, traditio potest esse : 1) *inhæsiva* quando doctrina revelata magisterio ecclesiastico transmissa jam clare in Scripturâ continetur; 2) *declarativa*, quando doctrina magisterio transmissa disertius explicat quæ obscurius in Scripturâ referuntur; 3) *mere oralis*, quando doctrina magisterio transmissa nullo modo invenitur in libris inspiratis.

Dicemus : 1° *de existentiâ;* 2° *de organis* Traditionis.

I. *De Existentiâ Divinæ Traditionis.*

277. Errores. *Protestantes* multi unam tantum accipiunt regulam fidei et fontem Revelationis, scilicet Scripturam Sacram; *Anglicani* nonnulli admittunt traditiones inhæsivas, et declarativas quæ Scripturam disertius explicant; *hodierni* quidam Protestantes agnoscunt Traditionem humanam, fallibilem, cujus auctoritas critice in singulis casibus expendi debet; *Modernistæ* docent Traditionem esse conscientiam collectivam fidelium cujus opiniones auctoritas religiosa sancire semper tenetur.

278. **Thesis** : *Traditio divina est fons Revelationis a Scripturâ distinctus et infallibilis.* — De fide ex C. *Vaticano*, superius allegato, n. 275. Sensus est doctrinam revelatam non in solâ Scripturâ quærendam esse, sed etiam in iis quæ docuit magisterium infallibile legitimorum Ecclesiæ pastorum. — Quæ quidem thesis logice fluit ex iis quæ dicta sunt de magisterio infallibili Ecclesiæ, n. 252.

1° *Scripturâ* probatur. **A**) Christus nullum librum scripsit, sed ipse vivâ voce docuit, nec præcepit Apostolis ut scriberent, sed ut ore docerent. Non omnes Apostoli scripta confecerunt, sed omnes vivâ voce prædicaverunt, quia persuasum habebant doctrinam christianam servandam et propagandam fore magisterio orali legitimorum Pastorum, seu Traditione.

Ceteroquin illud medium doctrinam servandi erat infallibile ex promissis Christi. (Cf. supra, n. 216).

B) etiam scriptis omnibus libris inspiratis, magisterium orale Apostolorum et eorum successorum remanet fons Revelationis, — nam Paulus in Epistolis suis, et præ-

sertim in Ep. Pastoralibus, sæpe loquitur de iis quæ ore docuit, eaque præcipit servanda ut depositum, et fideliter aliis commendanda qui idonei erunt et alios docere.

Confirmatur ex indole Scripturæ quæ ex jam dictis (n. 196) non est regula fidei completa, nec omnibus obvia, nec ad dirimendas controversias apta. — Ergo Christus alium fontem Revelationis præbere debuit, seu traditionem divinam.

2° *Ex antiquitate christianâ.* Nam *Patres Apostolici*, v. g., *S. Ignatius*, *S. Polycarpus*, hortabantur incessanter inhærere traditioni Apostolorum, quam, primum ore traditam, scriptis quoque consignare, ad eam securius posteritati transmittendam necessarium duxerunt; *S. Irenæus*, adversus hæreses scribens, opponit novitatibus doctrinam antiquam, quæ, in Ecclesiis cum Romanâ consentientibus, a legitimis pastoribus servatur; *S. Stephanus* Romanus in controversiâ baptismali reprobat novitatem usûs Africani, jubetque nihil innovari nisi quod traditum est.

In Conciliis, præcipuum argumentum quod Patres heresiarchis opponunt est novitas doctrinæ traditioni antiquæ contrariæ, ita v. g., in Conc. *Nicæno* adversus Arianos, *Ephesino* adversus Nestorianos, *Chalcedonensi* adversus Eutychianos. Merito igitur definivit *Tridentinum* [1] : "Perspiciens hanc veritatem et doctrinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus..., Synodus omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, necnon *traditiones ipsas tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu S. dictatas, et continuâ successione in Ecclesiâ catholicâ servatas, pari pietatis affectu ac reverentiâ suscipit et veneratur.*" — Item *Vaticanum.*

Conclusio. Docet ergo et semper docuit Ecclesia esse traditionem divinam, seu summam veritatum, quæ, divinitus apostolis revelatæ, per authenticum pastorum magisterium ad nos usque sine errore transmissæ sunt.

Imo, *Traditio* 1) *latius patet quam Scriptura, veritatesque complectitur quæ in Scripturâ aut nullatenus aut nonnisi obscure continentur;* 2) *magis essentialis est Ecclesiæ* quam Scriptura Sacra, nam veritas revelata ore primùm tradita est ab Apostolis, ore prædicata semper fuit, et

[1] Sess. IV, DENZINGER-BANNWART, 783.

semper ac ubique prædicanda, cùm Ecclesia sit primario infallibilis custos et præco revelatæ veritatis ac proinde suâ traditione Scripturam ipsam interpretetur.

Ergo *fons principalis* Revelationis est Traditio.

II. *De Organis Traditionis* [1].

Duplici modo exercetur magisterium Ecclesiæ : " Fide divinâ et catholicâ ea omnia credenda sunt quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesiâ sive *solemni judicio*, sive *ordinario et universali magisterio*, tanquam divinitus revelata credenda proponuntur [2]. "

1° De solemni Ecclesiæ magisterio.

279. *Solemne* dicitur magisterium, quod raro exercetur, quibusdam adhibitis formis quæ attentionem magis commovent. Complectitur : **a**) *definitiones dogmaticas* Rom. Pontificum, Conciliorum œcumenicorum, aut etiam Conciliorum particuliarium quæ in formâ solemni a SS. Pontificibus approbatæ, vel ab universâ Ecclesiâ receptæ sunt; **b**) *symbola* vel *professiones fidei*, ab Ecclesiâ edita vel authentice approbata.

A) *De definitionibus dogmaticis.*

280. *Principium. De fide tenenda sunt ea omnia et sola quæ directe et immediate fidei credenda proponuntur.* Itaque : **a**) Nulla exigitur formula determinata, sed sufficit quæcumque verborum forma quâ æquivalenter declaretur doctrinam esse revelatam, de fide tenendam..., vel contrariam esse hæreticam.

b) Præterea, in *definitionibus* distinguendum est **objectum** *definitionis* a *motivis seu argumentis* quibus innititur; objectum definitionis est de fide tenendum, non autem argumenta philosophica, theologica, biblica. — Attamen si Pontifex vel Concilium authentice declarat sensum alicujus textûs Scripturæ, hæc declaratio est infallibilis et ab omnibus tenenda [3].

[1] Cf. *Syn. maj.*, n. 961.
[2] *Vaticanum*, sess. III, cap. 3, Denzinger-Bannwart, 1792.
[3] In Decreto *Lamentabili*, damnata est propos. 4ª : " Magisterium Ecclesiæ ne per dogmaticas quidem definitiones genuinum Sacrarum Scripturarum sensum determinare potest." — Denzinger-Bannwart, 2004.

c) Licet plerumque definitiones inveniantur in *canonibus*, quandoque tamen Synodi dogmaticam definitionem tradiderunt in *capitibus*, quæ canones præcedunt (v. g., *Tridentinum* in decreto de justificatione.)

Ad *recte interpretandam definitionem*, expendere necesse est : a) *quid Patres definire voluerint*, quid liberæ disputationi relinquere : quod cognoscitur ex Actis Concilii, et ex hæresi quam Ecclesia reprobare voluit; b) *quo sensu verba in definitione adhibita intelligenda sint :* quod elucidari potest ex communi usu verborum tempore quo Concilium habitum est, ex præviis discussionibus, ex interpretatione quæ inter theologos prævaluit, et præsertim ex authenticâ interpretatione Ecclesiæ, si qua data fuerit.

B) *De Symbolis et fidei professionibus.*

281. *Symbolum* definiri potest *simplex ac brevis summa veritatum fidei* ab Ecclesiâ fidelibus proposita in signum professionis suæ. — Tria sunt præcipua Symbola : a) *Symbolum Apostolorum* cujus doctrina [1] est certe apostolica, redactio autem postea facta est Romæ ut videtur; denique varia additamenta [2] auctoritate universalis Ecclesiæ approbata sunt; b) *Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum* editum primo a Conc. Nicæno (325) contra Arium, postea completum adversus Macedonium a Conc. *Constantinopolitano* (381), a C. *Ephesino* et *Chalcedonensi* receptum. Particula *Filioque* sæculo IX addita est; c) *Symbolum Athanasianum*, cujus auctor ignoratur. Ab Ecclesiâ approbatum fuit ut fidei formula, fidelibus proposita et in Breviario consignata.

Professio fidei est *expositio fusior quorumdam articulorum fidei contra recentiores errores.* — Præcipua est *professio Tridentina* seu *Piana* [3] a Pio IV præscripta (1564). —

[1] In Decreto *Lamentabili*, damnatur prop. 62a. "Præcipui articuli Symboli apostolici non eamdem pro christianis primorum temporum significationem habebant, quam habent pro christianis nostri temporis." DENZIGER-BANNWART, 2062.

[2] DENZINGER-BANNWART, 1-40.

[3] DENZINGER-BANNWART, 994. Ex decreto *S. Cong. Concil.*, 20 Jan. 1877, huic professioni addi debent: "et ab œcumenico Concilio Vaticano tradita, definita, ac declarata, præsertim de Rom Pontificis primatu, et infallibili magisterio." DENZINGER-BANNWART, 1088.

Cui affine est *Jusjurandum a Pio X* impositum an. 1910, Motu proprio *Sacrorum Antistitum*.

Ad discernendum quid in *Symbolis* et *Professionibus* sit de fide tenendum, sequendæ sunt regulæ superius expositæ de definitionibus dogmaticis.

2° De Ordinario ac universali Ecclesiæ magisterio.

Magisterium ordinarium ac universale est illud quod quotidie exercetur jugi Ecclesiæ prædicatione apud omnes populos. — Complectitur : 1) prædicationem Episcoporum, 2) praxim universalem cum dogmate connexam, 3) consensum Patrum et Theologorum, 4) sensum communem fidelium.

A) *De prædicatione moraliter unanimi Episcoporum.*

282. Episcopi gregem sibi subditum docent catechismis, instructionibus synodalibus, mandatis, concionibus : si ex ejusmodi documentis constat aliquam doctrinam *universaliter* tanquam objectum fidei proponi, id plane sufficit ut de fide tenenda sit; nam Episcopi per orbem dispersi, unum corpus efficientes cum Romano Pontifice, sunt infallibiles in proponendâ doctrinâ de fide vel moribus.

B) *De praxi cum dogmate connexâ.*

283. Inter usus cum dogmate connexos numerantur præsertim *ritus publici* in solemni sacrificii celebratione usurpati, vel in sacramentorum administratione; *formulæ precum* variaque festa aut officia ab Ecclesiâ instituta; vel *usus sacri* cum doctrinâ connexi, v. g., praxis non rebaptizandi hæreticos, preces fundendi pro defunctis, etc.

Ut *praxis Ecclesiæ sit fidei criterium, duo requiruntur :* **a**) ut *necessario connectatur cum veritate dogmaticâ;* tunc enim praxim imponendo Ecclesia eo ipso dogmata necessario connexa tenenda jubet; **b**) ut hujusmodi praxis sit *universalis*, quia sola Ecclesia universalis infallibilitate gaudet. Ergo praxis unius particularis Ecclesiæ probabile tantum veritatis revelatæ argumentum affert.— Liturgia Romana, quatenus speciali modo a SS. Pontificibus approbata, errores dogmaticos continere nequit. Errores historici

irrepere possunt, et de facto irrepserunt in *legendas* Breviarii, ut fatentur optimi critici : quod facile intelligitur, cùm præcipuæ lectiones secundi Nocturni scriptæ fuerint tempore quo opera apocrypha spargerentur. Non sunt tamen contemnendæ hæ lectiones, cùm pleraque in eis contenta vera sint et ad pietatem fovendam apta.

C) *De Consensu Patrum et Theologorum.*

284. *Patres* dicuntur viri sanctitate et doctrinâ conspicui, qui prioribus sæculis Ecclesiam scriptis suis illustrârunt et ab eâ implicite saltem approbati sunt. Inter Scriptores Ecclesiasticos, nonnulli titulo *Doctorum Ecclesiæ* decorati sunt propter eminentiorem scientiam quâ ceteris præcelluerunt. — Post ætatem patristicam, *Theologi* doctrinas in Scripturâ et Traditione contentas logico ordine disposuerunt et philosophicis rationibus illustrârunt : simili, etsi non omnino æquali, auctoritate gaudent ac Patres, ideoque eædem fere regulæ de amborum auctoritate tradi possunt.

Patres et Theologi considerari possunt ut *doctores privati*, aut ut *Ecclesiæ testes. Ut doctores privati spectandi sunt*, quando more philosophorum arguunt, analogiis aut comparationibus utuntur, opinionem suam ita proponunt ut contrariam non excludant. Ut *testes Ecclesiæ loquuntur*, cum docent aliquam doctrinam esse revelatam, vel ab Ecclesiâ universali acceptam, vel ita tenendam ut citra fidei jacturam negari, vel in dubium vocari nequeat; vel quando asserunt contrariam sententiam esse hæreticam aut verbo Dei oppositam.

Si loquuntur ut doctores *privati*, tanta est earum auctoritas quanta eorum scientia aut eorum argumentorum vis; si vero ut *testes Ecclesiæ*, non propriam mentem, sed fidem Ecclesiæ infallibilis manifestant.

285. Hæ sunt *regulæ* sequendæ de auctoritate doctrinali Patrum et Theologorum, quatenus sunt organum divinæ Traditionis :

a) *Consensus Patrum aut Theologorum moraliter unanimis indubitanter asserentium doctrinam aliquam esse de fide, est certum divinæ Traditionis argumentum.* — Tria ergo requiruntur ut habeatur argumentum certum : 1) ut

agatur de doctrinâ *ad fidem vel mores pertinente;* 2) ut testimonium sit indubium, firmum, et indubitanter asserant doctrinam quamdam esse doctrinam Ecclesiæ; 3) ut consensus sit moraliter unanimis. Sufficit unanimitas moralis, talis scilicet ut fides Ecclesiæ universalis certo ex iis cognosci possit.

Quibus positis conditionibus, prædicti scriptores dici possunt doctrinam Ecclesiæ universalis referre, et quidem cum plenâ certitudine. Atqui Ecclesia universalis est infallibilis in docendâ doctrinâ Christi. Ergo...

Imo sufficit, ut habeatur argumentum omnino *certum*, *unanimitas moralis Patrum aut Theologorum unius ætatis*[1], quia Ecclesia omni tempore est indefectibilis ac proinde nullâ ætate errare potest.

b) *Unius aut plurium SS. Patrum aut Theologorum testimonium in rebus fidei et morum argumentum est probabile*, cujus vis eo magis augetur quo magis crescit horum numerus et auctoritas.

c) *Quando Patres vere dissentiunt, eorum auctoritas firmum non præbet argumentum*, sed potius demonstrat rem de quâ agitur non fuisse tunc explicite definitam, — nam si res fuisset clare definita, non potuissent contrariam sententiam propugnare quin ab Ecclesiâ ut hæretici damnati fuissent. — Si dissensus manifestus est, candide fatendum est quosdam Patres errâsse : singuli enim sunt fallibiles. Si vero verba sunt dubia, ex locis clarioribus explicanda sunt. In omni casu reverenter tractandi sunt, nec eis vitio vertendum est quod ignoraverint sequioris ævi explicitiores definitiones.

D) *De communi fidelium sensu.*

Doctrina revelata quæri potest non tantum apud Pastores et magistros qui cum Pastoribus docent, sed etiam apud *fideles qui communi sensu fidem unanimem profitentur*

[1] Tunc argumentum valet solùm quoad Catholicos qui infallibilitatem Ecclesiæ admittunt; quando verò Patres diversorum temporum et locorum de dogmate aliquo consentiunt, habetur argumentum apologeticum quoad ipsos acatholicos, cùm exinde constet nostram fidem eamdem esse ac fidem Apostolorum.

286. Ut hic communis sensus sit revelationis criterium, debet esse : **a**) certus et clarus, **b**) unanimis, **c**) circa res fidei et morum alicujus momenti.

Probatur consensum fidelium tunc esse criterium revelationis : 1) ex *indefectibilitate Ecclesiæ.* Jam dictum est Ecclesiam esse indefectibilem. Atqui deficeret Ecclesia in essentialibus si esset societas errantium. Ergo... 2) ex *Patribus.* Ita, v. g., S. Augustinus contra Pelagianos arguens, peccati originalis existentiam in parvulis, baptismi necessitatem pro eisdem, demonstrat e communi fidelium sensu, quem pro fidei firmissimo argumento habet.

287. *Notanda :* 1) Hæc infallibilitas in credendo sæpe dicitur infallibilitas *passiva;* pendet ab infallibilitate activâ vi cujus existit et quâ semper regulari debet.

2) Vitandus est error eorum qui putant Ecclesiam docentem opiniones Ecclesiæ discentis tantummodo sancire[1], — de eis enim judicare debet Ecclesia docens, eas probare vel damnare, et ita regere fidem subditorum ac tuto eos ab errore avertere.

3) Fideles ergo in Ecclesiâ nullo modo sunt magistri, non definiunt authentice sed credunt; credendo, viam magistris indicant; nam ipsi Magistri veritatem ab omnibus creditam docent et definiunt; imo potest Deus aliquando fidelibus uti ad cultum aliquem promovendum, v. g., cultum SS. Cordis Jesu, sed etiam tunc omnia fiunt sub auctoritate Episcoporum, qui soli sunt fidei authentici judices et præcones.

ART. II. DE SCRIPTURÂ SACRÂ.

288. Scriptura Sacra est verbum Dei scriptum, seu collectio librorum qui Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, et ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt. Omnes christiani agnoscunt Scripturam Sacram esse fontem Revelationis. Quo melius intelligatur vis argumentorum ex Scripturâ desumptorum, tria expendemus : 1° *quinam* libri sint *canonici*, ideoque

[1] In decret. *Lamentabili* damnatur prop. 6ª : " In definiendis veritatibus, ita collaborant discens et docens Ecclesia, ut docenti Ecclesiæ nihil supersit nisi communes discentis opinationes sancire." DENZINGER-BANNWART, 2006.

inspirati; 2° *quo sensu* hi libri sint inspirati; 3° quomodo libris inspiratis *uti valeamus* ad exponendas fidei veri tates.

I. *Quinam libri sint canonici, et ideo inspirati?*

289. 1° **Principia.** A) Ille liber dicitur canonicus qui ut inspiratus ab Ecclesiâ fuit agnitus, et ideo authentice in Canone seu Catalogo librorum Sacrorum relatus. — Inspiratus dicitur is liber qui Spiritu Sancto afflante conscriptus Deum habet auctorem.

B) Ecclesia est infallibilis in rebus fidei, ex dictis in Tr. præcedenti, proinde in determinando Canone, qui est una e regulis fidei. *Is ergo liber ut inspiratus haberi debet ab omnibus Christifidelibus qui ut talis ab Ecclesiâ proponitur.* Hæc est enim definitio a Conc. Tridentino[1] lata: "Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesiâ catholicâ legi consueverunt et in veteri vulgatâ latinâ editione habentur, pro sacris et canonicis non receperit..., A. S." — Item Vaticanum[2]: "Si quis Sacræ Scripturæ libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos S. Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, A. S."

290. 2° **Corollaria.** A) *Criterium universale, certum, ac sufficiens canonicitatis ideoque inspirationis est infallibile magisterium Ecclesiæ.*

B) *Nullum aliud criterium est sufficienter certum et universale :* **a**) non criteria interna, qualia sunt gustus internus aut testimonium Spiritûs Sancti; **b**) nec criteria externa, qualia sunt testimonium ipsius Scripturæ, aut apostolatus : nullibi enim Scriptura affirmat omnes et singulos utriusque Testamenti libros esse inspiratos; aliunde potest aliquis esse apostolus quin eo ipso sit inspiratus, et vice versâ potest quis esse inspiratus quin sit apostolus[3].

---

[1] DENZINGER-BANNWART, 784.
[2] DENZINGER-BANNWART, 1809.
[3] De historiâ canonis, præter varia *Scripturæ Manualia*, cf. MANGENOT, *Dict. Apol. (d'Alès)*, I, 435-455.

II. *Quo sensu hi libri sint inspirati?*

Quæritur *quomodo* **de facto** *libri sacri sint inspirati*, non autem quomodo inspirari potuissent; et ideo quæstio non ratione solâ, sed *auctoritate* Scripturæ et Ecclesiæ solvi debet.

291. 1° Errores de naturâ inspirationis. a) Per *excessum* errârunt antiqui Protestantes asserendo Deum mechanice dictâsse omnes sententias omniaque verba. **b)** Per *defectum* errant : 1) Protestantes *liberales* qui admittunt tantum inspirationem vagam qualis poetis tribuitur; 2) quidam Catholici qui dicunt inspirationem non esse nisi assistentiam Spiritûs Sancti ad præcavendos errores, — aut meram approbationem subsequentem libri humanâ industriâ exarati quo Deus vel Ecclesia illum ab errore immunem declarat.

292. 2° Doctrina catholica. 1° *De naturâ inspirationis. Vaticanum*[1] ait : "Eos vero pro sacris et canonicis habet, non ideo quod solâ humanâ industriâ concinnati, suâ deinde auctoritate sunt approbati; nec ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, *Deum habent auctorem* atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt."

A) Ergo ad inspirationem veram non sufficit simplex assistentia divina, nec subsequens approbatio a Deo aut ab Ecclesiâ data, nec inspiratio mere personalis quæ poeticæ inspirationi assimilatur. Aliunde non requiritur revelatio proprie dicta seu manifestatio veritatis scriptori ignotæ; omnia quæ in libro sacro continentur etsi non revelata quoad ipsum auctorem sunt *vere revelata quoad nos*, dummodo Deus auctor principalis libri *sua faciat* quæ sacer scriptor sub influxu divino refert; — a fortiori, non requiritur ut auctor sacer in exstasi scribat; — imo non necesse est ut liber inspiratus ab auctore cujus nomen gerit aut cui communiter tribuitur scriptus sit.

293. B) Juxta *Vaticanum, requiritur et sufficit* ut *Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habeant auctorem. Duplex* igitur est *auctor libri inspirati :* **a)** *sacer*

---

[1] Denzinger-Bannwart, 1787. Cfr. Leo XIII, Encycl. *Providentissimus Deus*, 18 nov. 1893.

scriptor qui est causa instrumentalis non mechanica, sed intelligens ac libera : inspiratio enim non excludit laborem proprium scriptoris, ut constat ex *II Machab.*, II, 27, *Luc.*, I, 3, *Joan.*, XIX, 35, *I Joan.*, I, 1.; b) *Deus, qui est causa efficiens principalis*[1]. Deus enim 1) excitat et movet scriptorem ad scribendum, et scribenti assistit; 2) scribenti largitur lumen supernaturale quo recte mente concipit quæ Deus vult scribi, ita ut ejus judicia non sint mere humana, sed principaliter judicia Dei ejus mentem illuminantis; 3) assistentiam prosequitur ne scriptor aliquid omittat ex eis quæ Deus vult consignari, aut quidquam addat, aut in errorem labatur.

Ergo non necessario dictantur verba scriptori, sed sub influxu divini luminis verba eliguntur a scriptore quæ mentem Dei recte exprimunt, — et in hoc sensu inspiratio merito dici potest verbalis.

294. 2° *De Inspirationis extensione.* A) Declaravit *Vaticanum* Deum esse auctorem libri sacri principalem; ex quo sequitur : a) inspirationem ad omnia extendi quæ in libro sacro continentur, non ad solas res fidei et morum; b) errorem formalem et positivum quemcumque a sacris libris excludi[2], in iis omnibus quæ auctor sacer suo nomine profert et eo sensu quo ea profert.

Omnia ergo quæ ab hagiographis dicuntur vera sunt, sed eâ veritate quæ competit generi litterario quod quisque selegit : nam alia est veritas narrationis historicæ, alia veritas carminis; alia prophetiæ, alia libri didactici. In libris historicis[3], præ mente haberi debet auctoris scopus, qui non est homines docere scientias physicas, ideoque nihil prohibet quin Scriptura de rebus physicis loquatur populari modo absque ullâ intentione rem scientifice exponendi. Imo in his libris historicis inveniuntur para-

---

[1] Decret. *Lamentabili*, prop. 92a : " Nimiam simplicitatem aut ignorantiam præ se ferunt qui Deum credunt esse Scripturæ Sacræ auctorem ". DENZINGER-BANNWART, 2009.

[2] In Decret. *Lamentabili* damnatur propos. 11a : " Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam sacram extenditur, ut omnes et singulas ejus partes ab omni errore præmuniat." DENZINGER-BANNWART, 2011.

[3] Ecclesia non definivit quinam sint libri historici, sed Critici catholici id investigantes præ mente habere debent *sensum traditionalem* Ecclesiæ. Cf. Responsum a Commis. Biblicâ datum 30 Jun. 1909, de *historico charactere* trium priorum Capitum Geneseos.

bolæ, allegoriæ, narrationes fictæ et alia ejusmodi ad veritatem quamdam moralem illustrandam [1].

295. B) *Corollaria.* a) Si *aliorum dicta refert* auctor inspiratus, et *improbat*, evidens est ea non esse inspirata; si *laudat*, vera sunt sed eo solo sensu quo approbantur; — si verba refert quin approbet aut improbet, tunc Spiritus Sanctus tantummodo testatur hæc verba ab aliis dicta fuisse.

b) Possunt etiam Sacri Scriptores allegare verba documentorum quin id explicite dicant : tunc habentur *implicitæ citationes.* Quo casu, scriptor inspiratus his documentis uti potest, quin corrigat errores qui in eis forte irrepserint : sed, ut animadvertit *Commissio biblica* 13 febr. 1905, citationes implicitas admittere non licet, nisi, "salvo Ecclesiæ judicio, solidis argumentis probetur 1) hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare; et 2) eadem nec probare, nec sua facere, ita ut jure censeatur non proprio nomine loqui." Errant igitur qui ad enodandas difficultates contra veracitatem Scripturæ, citationes implicitas ita frequentes admittunt ut exinde nutare videatur sacrorum librorum veritas historica.

Maneat ergo illud principium omnino inconcussum *nullum prorsus esse errorem in iis quæ auctor inspiratus suo nomine profert*, cùm Deus numquam errorem inspirare possit.

III. Quomodo libris inspiratis uti valeamus ad exponendas fidei veritates.

Ex dictis inferre licet ea tantum in Scripturis esse fontem Revelationis quæ ab auctore sacro proprio nomine proferuntur, in sensu ab ipso Deoque intento. Ut sensus iste ab hagiographo et Deo intentus detegatur, expendere oportet quomodo Scriptura sit interpretanda.

1° De Scripturæ sensibus.

296. A) *Varii sensus declarantur.* Sensus Scripturæ in genere est ea veritas quam Spiritus Sanctus immediate vel mediate per scriptorem manifestari voluit. —

[1] Quod admitti tamen nequit nisi in casu "in quo Ecclesiæ sensu non refragante, ejusque salvo judicio, solidis argumentis probetur hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed, sub specie et formâ historiæ, parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a propria litterali seu historicâ verborum significatione remotum proponere". *Commissio de Re biblicâ*, 29 Junii 1905.

Duplex est : 1) *litteralis* quem verba immediate exprimunt. Sensus litteralis est vel *proprius*, cum exurgit ex verbis naturali suâ significatione acceptis, vel *metaphoricus* cum exurgit ex verbis figurative sumptis : hinc vocatur sæpe figuratus.

2) *Spiritualis*, seu *typicus*, vel *mysticus*, qui non suggeritur immediate a litterâ, sed a personis aut rebus quæ ita a divinâ Providentiâ ordinantur ut alias res vel personas significent.

Triplex distinguitur : *allegoricus*, quando refertur ad ea quæ sunt credenda de Christo et Ecclesiâ militante; *tropologicus* quando mores respicit; *anagogicus* quando cælum aut res sperandas figurat. Hic sensus in Scripturâ Sacrâ solâ invenitur, nec admittendus est nisi prius constet ejus existentia ex alio loco Scripturæ vel ex traditione.

Sensus *accommodatitius* non est verus sensus Scripturæ; consistit enim in eo quod verba Scripturæ usurpantur ad aliam rem exprimendam ac ea quam auctor sacer expressit.

297. **B**) *Quinam sensus sit fons revelationis? Ut fons certus Revelationis* haberi debet : 1) *sensus litteralis* positis ponendis, — 2) sensus *spiritualis* quando certo constat. Hic sensus spiritualis, cùm sit verus sensus Scripturæ a Deo intentus, in Theologiâ adhiberi potest, sed in controversiis non proponendus est nisi ab adversario admittatur. — Patet sensum accommodatitium nullo modo esse fontem Revelationis.

2° De Legibus Interpretationis.

Scriptura est liber humanus simul et divinus, et ideo intelligenda est secundum regulas grammatico-historicas omnibus libris communes, et regulas catholicas libro inspirato speciales.

298. **A**) *Regulæ grammatico-historicæ.* Ad recte intelligendam auctoris mentem prosunt textus critice recognitus, contextus et parallelorum locorum perscrutatio.

a) *Textus* primigenius diligenter investigandus est, in quantum fieri potest.

Theologus *Vulgatam versionem* ut fontem genuinum revelationis tuto adhibere potest [1] et ex omnibus textibus de quorum universali usu dogmatico constat fidei dogmata colligere. Attamen si textus invenitur in Vulgatâ qui in textu primigenio aliisque versionibus desit, vel si ibi sensum habet prorsus diversum ac in originali, argumentum ex eo deductum legitimum quidem erit, sed *traditionale*, non biblicum. In locis ambiguis aut minus accuratis, Vulgata elucidari ac corrigi potest textu primigenio vel antiquis versionibus.

b) *Contextus* etiam scrutandus est. Tria præsertim sunt attendenda : 1) *occasio* quâ scripsit vel locutus est auctor libri vel auctor sermonis in libro relati, et *scopus* quem sibi proposuit; 2) *argumentum generale* quod auctor tractare intendit; 3) *nexus* non solum logicus et grammaticus, sed etiam psychologicus, idearum et vocabulorum inter se et cum eis quæ præcedunt vel sequuntur.

c) *Loci paralleli* dicuntur textus qui in aliis capitibus ejusdem libri, vel in alio libro inventi eamdem doctrinam sive eisdem sive aliis verbis tradunt, et ita se invicem illustrant.

299. B) *Regulæ catholicæ interpretationis.* a) Quia Scriptura sacra est liber *divinus*, infallibili Ecclesiæ magisterio committitur explicandus. Itaque " *in rebus fidei et morum* ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, *is pro vero sensu sacræ Scripturæ habendus est quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia*, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum; atque ideo nemini licet contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari [2] ".

Ergo : 1) quotiescumque Ecclesia definivit sensum alicujus textûs, hic sensus accipiendus est ut verus; 2) quotiescumque Patres unanimiter testimonium aliquod biblicum ut ad fidei pertinens morumve doctrinam uno eodemque modo explicant, eorum interpretatio est sequenda; 3) extra hos casus, sententia Patrum magni æstimanda est, cùm his de rebus munere doctorum quasi privatim fungantur, sed non obligat, præsertim in re mere *scientificâ*, quando ut *doctores privati* loquuntur, juxta theorias quæ suo tempore vigebant; 4) semper in inter-

[1] Sacrosancta Synodus... statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et *Vulgata editio*, quæ longo tot sæculorum usu in ipsâ Ecclesiâ probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, et expositionibus, pro authenticâ habeatur." *Conc. Trident.*, sess. IV, DENZINGER-BANNWART, 785.

[2] *Concil. Vaticanum*, sess. III, DENZINGER-BANNWART, 1788; Cf. *Tridentinum*, sess. IV, DENZINGER-BANNWART, 786,

pretatione Scripturæ sequenda est analogia fidei, et respuendus sensus qui vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes faciat, vel doctrinæ Ecclesiæ adversetur.

b) *Leo XIII*, in Encyc. *Providentissimus Deus*, duplicem addit regulam : 1) sensus litteralis retinendus est nisi obstet necessitas, vel gravis ratio; 2) sensus allegoricus non spernendus est quando litterali nititur, et multorum auctoritate fulcitur.

CONCLUSIO TOTIUS TRACTATÛS.

300. 1° Si instituitur *comparatio inter Scripturam et Traditionem* :

A) Utraque est verbum Dei, utraque est infallibilis, pari pietatis affectu ac reverentiâ suscipienda.

B) Quatenus liber a Deo immediate procedens vi inspirationis, quâ Deus fit illius auctor principalis, Scriptura Traditioni præstat cujus textus hominem habent auctorem assistentiâ divinâ adjutum.

C) Sub aliis respectibus, Traditio Scripturam longe præcellit, tum antiquitate, tum amplitudine, tum utilitate ac necessitate.

2° Si vero instituitur *comparatio inter Magisterium vivum*, ex unâ parte, et ex alterâ *Scripturam ac Traditionem*, Magisterium vivum seu Corpus Episcopale, nunc existens sub Pontifice Romano, est *regula fidei proxima* quæ nos docet authentice verbum Dei; Scriptura et Traditio, seu prædicatio Ecclesiæ in anteactis sæculis, sunt *regula fidei remota*, seu fontes quibus servatur verbum Dei, et ex quibus hauritur id omne quod omnibus ab Ecclesiâ proponendum est.

Duce igitur Ecclesiâ, et præhabitis motivis credibilitatis quæ expendimus in *Tr. de Verâ religione*, ad actum fidei jam tuto accedere valemus.

PARS ALTERA.

Theologia specialis.

TRACTATUS IV.

DE FIDE.

Credo...

Veritatibus a Deo revelatis, in Scripturâ et Traditione reconditis, assentimur per *actum fidei.*

Fides, prout hic sumitur (plura enim significat), est assensus intellectûs quo credimus aliquid esse verum, non propter intrinsecam rei evidentiam, sed propter testimonium loquentis. Si testimonium est *humanum*, fides dicitur humana; si *divinum*, fides vocatur *divina.*

301. A) **Definitio fidei.** Jamvero fides divina, de quâ nunc agitur, considerari potest ut *actus* vel ut *habitus.*

a) Fidei actus est *assensus supernaturalis quo intellectus, sub imperio voluntatis et influxu gratiæ, firmiter adhæret veritatibus revelatis propter auctoritatem Dei revelantis*[1].

Fides igitur est proprie actus intellectûs, et quidem distinctus : 1) a *scientiâ*, quæ veritatibus ordinis naturalis adhæret propter perspectam intrinsecam earum evidentiam[2]; 2) ab

[1] Quæ definitio consentanea est ei quam tradunt *S. Thomas*, 2ª 2æ, q. 2, a. 9, *Vaticanum*, sess. III, cap. 3 et *Pius X*, in jurisjurandi formulâ, ubi declaratur, contra Modernistas "fidem non esse cæcum sensum religionis e latebris *subconscientiæ* erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatæ, sed verum assensum intellectûs veritati extrinsecus acceptæ ex auditu, quo nempe quæ a Deo personali, Creatore ac Domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter auctoritatem Dei summe veracis."

[2] Unde errant Deistæ per fidem intelligentes quamlibet cognitionem rationalem naturaliter de Deo rebusque divinis habitam; errant Hermesius, Gunther et Froschammer juxta quos fides est assensus naturaliter inductus per argumenta mere rationalia.

opinione, quæ certitudine caret, dum fidei assensus est omnino certus ac firmus; 3) a *fiduciâ* divinæ misericordiæ, qualis fingitur a Protestantibus et reprobatur a *Tridentino*[1]; 4) a *religioso sensu* qualis a *Modernistis* advocatur, qui nihil aliud est ac imaginationis lusus et emotio cæca et variabilis animæ; 5) ab *assensu historico*, qui humano credit testimonio, dum fides soli divinæ auctoritati innititur; 6) a *visione beatificâ*, quâ clare et immediate percipiuntur divina, dum fides est *sperandarum rerum substantia* seu imperfecta et mere inchoata possessio, et *argumentum* (seu convictio) *non apparentium*[2].

Cùm autem per fidem intellectus assentiat rebus divinis quatenus *non apparent*, necesse est inclinetur imperio voluntatis pie et reverenter auctoritatem Dei recipientis : intellectus enim sponte et *ex se* non cedit nisi evidentiæ. Cùm præterea agatur de objecto supernaturali cui naturaliter impares sumus omnino, exigitur illuminatio et inspiratio Spiritûs sancti ad movendum intellectum et voluntatem.

b) Insuper, quo facilius eliciatur fidei actus, Deus nobis in justificatione infundit *fidei habitum*, seu *virtutem* supernaturalem cujus ope mens nostra ad assentiendum veritatibus revelatis disponitur.

B) Distinguitur fides : **a)** *formata* seu *viva*, quam scilicet caritas perficit et complet eo sensu quod ejus actum imperet, ad finem ultimum referat et ita meritorium reddat; **b)** et *informis* seu *mortua*, quæ licet donum Dei sit et principium actuum salutarium[3], non tamen, præ defectu caritatis, elicit actus meritorios vitæ æternæ.

Ad evolvendam et probandam notionem fidei dicemus : 1° de fidei *objecto* tum formali, tum materiali; 2° de fidei *actu* et *subjecto*; 3° de *formulis* fidei seu dogmatibus.

Articulus I. De fidei objecto.

§ I. De objecto formali seu motivo fidei.

302. Assensus fidei, cùm sit cognitio, non est cæcus animi motus, sed rationabili innititur motivo. Sedulo autem distinguendum est inter *motivum fidei*, quod est fidei elementum *intrinsecum* ac eam specifie determinans, et *motiva* seu *signa credibilitatis*, ipsi fidei *extrinseca* quo-

---

[1] Cf. *Syn. maj.*, 140, 143.
[2] *Heb.*, XI. 1; F. Prat, *La Théologie de S. Paul*, t. I, p. 542-544.
[3] *Concil. Vatic.*, sessio III, cap. 3.

rum ope prævie judicamus aliquam veritatem esse revelatam proindeque credibilem et credendam. Hic tamen tractamus et de *ipso motivo fidei*, et de *signis seu motivis credibilitatis*, propter utriusque connexionem.

I. *De ipso objecto formali seu motivo fidei.*

303. **Quodnam sit objectum formale seu motivum fidei?** Objectum formale cognitionis et assensûs in genere est id præcise quod determinat et specificat cognitionem, quod *per se* et *primo* cognoscitur et ratione cujus cetera cognoscuntur. Ita in visione sensibili objectum formale est lumen quod per se et primo videtur et ratione cujus cetera videntur; in cognitione intellectuali, est intrinseca rerum veritas naturali rationis lumine sive immediate sive mediate perspecta. Ad quem modum, auctoritas Dei, seu infallibilitas in cognoscendo et veracitas in dicendo, est id quod primum amplectitur fides, et ratione cujus dicta seu revelata a Deo accipit. " Revelata vera esse credimus non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed *propter auctoritatem* ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest[1] ".

304. 1° **Thesis** : *Objectum formale seu motivum fidei est auctoritas Dei revelantis* (seu infallibilitas in cognoscendo et veritas in dicendo). Quæ doctrina non tantum asserta, sed et *definita* fuit a *Conc. Vatic.*[2] : " Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientiâ non distingui ac propterea ad fidem divinam non requiri ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur, A. S. "

305. Probatur : **A**) *Script.* In colloquio cum Nicodemo, Christus fatetur se tradere veritates captu quidem difficiles imo impossibiles, sed auctoritate testis veracis, suiipsius scilicet, credendas : " Amen, amen dico tibi quia quod scimus loquimur et quod vidimus testamur[3] ". Testimonium autem Christi, testimonium esse Dei per totum Joannis Evangelium patet. Fides ergo

[1] *Concil. Vatic.*, Sess. III, cap. 8.
[2] DENZ., 1811 (1656).
[3] *Joan.*, III, 11; cfr. VIII, 26.

christiana in eo consistit quod veritati assentimur non propter directam evidentiam, sed propter auctoritatem Dei per Christum testificantis.

S. Paulus, in epistolâ ad Romanos, laudat fidem Abrahæ qui Deo loquenti credidit, non obstante apparente rerum impossibilitate[1].

306. B) *Traditione.* a) Apologistæ non instituerunt scientificam demonstrationem uniuscujusque veritatis catholicæ, sed ostendere sategerunt religionem christianam a Deo revelatam esse et propter auctoritatem Dei accipiendam[2].

b) Contra Manichæos, qui omnia dogmata sua per rationalem demonstrationem probare conabantur, ostendit S. Augustinus quomodo in religione turpe non sit credere antequam sciamus[3].

c) Medio Ævo rejecta est theoria Abælardi qui contendebat astruere fidem, " *quam humanæ rationis cogit argumentum* ".

d) Tandem sæculo XIX°, contra semi-rationalistas, asserentes motivum assensûs fidei esse demonstrationem scientificam dogmatum christianorum, definivit Vaticana synodus motivum fidei esse auctoritatem Dei revelantis.

307. 2° **Quæstiones disputatæ.** Concilium Vaticanum, exponendo et definiendo contra rationalismi errores catholicam veritatem, noluit dirimere controversias libere in scholis agitatas, scilicet :

A) Num factum revelationis sit, cum auctoritate Dei, motivum partiale fidei. Affirmant *Thomistæ* qui credens movetur ad credendum tum auctoritate Dei tum facto revelationis. Negant *Scotistæ* dicentes auctoritatem Dei esse unicum formale objectum fidei, factum autem revelationis esse tantummodo *conditionem sine uâ non* adhæsionis.

308. B) Utrum veritatibus revelatis assentiamur propter *reverentiam* erga Deum loquentem, an propter

[1] *Rom.*, IV, 18-26.
[2] Textus vide in *Syn. maj.*, n. 150.
[3] *De Utilitate Credendi.*

evidentiam testimonii divini, scientificam nempe demonstrationem quod Deus, infallibiliter verax, has veritates revelavit.

Juxta *Lugo* [1], fides, ut sit inconcussa ac omnino rationabilis, debet inniti evidentiâ testimonii divini; unde, in hâc opinione, credo Incarnationem quia *scio* Deum esse veracem et Incarnationem revelâsse. Multi [2] vero hodie censent fidem nostram fundari ipsâ auctoritate divinâ, quocumque modo nobis hæc innotuit; credo, quia plene Deo revelanti *confido*, sicut puer credit parentibus et doctus indocto, quia testanti plane confidit. Quam opinionem amplectimur ut simpliciorem, magis consentaneam doctrinæ *Vatic.* [3] et *Traditioni* [4], magis aptam ad explicandum quomodo assensus fidei firmior esse possit quam meretur pondus et cognitio rationum ad assensum impellentium, seu motivorum credibilitatis.

309. **Corollarium.** *Actus fidei elici potest sine Ecclesiæ propositione.* Nam, licet Ecclesia sit *ordinarium* medium quo veritates revelatæ proponuntur, alia tamen sunt media quibus homo de revelatione alicujus veritatis certior fieri potest. — Aliunde ex opinione contrariâ sequeretur acatholicos, bonâ fide extra Catholicam Ecclesiam versantes, omni spe salutis destitui: quod a *Pio IX* reprobatum fuit supra, (n. 251, not. 1).

II. *De signis seu motivis credibilitatis.*

310. Revelatæ veritati assentimur propter auctoritatem Dei revelantis; hic autem assensus non esset rationi consentaneus, nisi revelatio signis quibusdam certissimis divinam suam originem ostenderet. Itaque " voluit Deus, cum internis Spiritûs sancti auxiliis, externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quæ cùm Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intel-

---

[1] *De fide*, disp. VII.
[2] CARD. BILLOT, *De virtutibus infusis*, Proleg. de Fide, § 2, p. 203 sq. ed. 1901; BAINVEL, PESCH, VAN NOORT.
[3] DENZ., 1789 (1638).
[4] Cf. JOURNEL, 173, 1321.

ligentiæ accommodata[1] ". — Dicemus : 1° de credibilitate revelationis; 2° de certitudine credibilitatis ad finem requisitâ.

1° De credibilitate revelationis.

311. Thesis : *Revelatio christiana certo credibilis est ex signis externis, præsertim miraculis et prophetiis, quæ sunt signa certissima ejus divinæ originis omnium intelligentiis accommodata.* De fide est contra Protestantes Liberales et Modernistas, qui contendunt solâ internâ experientiâ aut inspiratione privatâ homines ad fidem moveri.

Non negamus quosdam homines aliquando ad fidem solâ illuminatione internâ perduci; sed asserimus, secundum doctrinam Christi et Ecclesiæ, miracula aliaque ejusmodi facta divina esse signa certissima revelationis, ideoque necessarium non esse ad fidem moveri per solam internam experientiam aut privatam inspirationem.

Probatur *Scripturâ.* **a)** Legatis Joannis interrogantibus : " Tu es qui venturus es an alium exspectamus? " respondit Jesus : " Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis : cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, etc.[2] ".

Ex quo colligimus miracula Christi esse signa suæ missionis.

b) Præterea Christus, in disputatione cum Pharisæis, testimonium Moysis et aliorum prophetarum, testimoniumque Patris sui, per opera quæ operatur manifestatum, allegat iterum ut signa missionis suæ[3].

c) De Apostolis dicitur : " Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis[4] ", id est per signa quæ prædicationem comitabantur.

312. *Traditione.* **A)** Apologistæ usi sunt testimonio prophetiæ et miraculorum ad ostendendam divinam originem religionis[5].

---

[1] *Concil. Vatic.*, de Fide catholicâ, cap. 3; apud Denz., 1790 (1639).
[2] *Matt.*, XI, 3-5.
[3] *Joan.*, V, 36, 39, 45.
[4] *Marc.*, XVI, 20.
[5] S. Justin., *I Apol.*, LIII, LIV; *II Ap.*, VI, 5, 6.

B) Theologi declarant fidem nostram rationi consentaneam esse propter evidentiam signorum quæ in ejus gratiam facta sunt : "Non enim crederet (fidelis) nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum vel propter aliquid hujusmodi [1]".

C) Ecclesia sancivit hanc doctrinam, ut videre est a) in *Actis Concilii Vaticani* quibus damnantur :

1) Liberales Protestantes dicentes "revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse ideoque solâ internâ cujusque experientiâ aut inspiratione privatâ homines ad fidem moveri debere" (can. 3);

2) Rationalistæ asserentes "miracula nulla fieri posse proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacrâ Scripturâ contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse, aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec eis divinam religionis christianæ originem rite probari" (can. 4);

Ibidem asseritur Deum voluisse "cum internis Spiritûs Sancti auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scilicet divina atque imprimis miracula et prophetias..."

b) Ex formulâ juramenti a *Pio X* præscriptâ, in quâ facta divina atque imprimis miracula et prophetiæ declarantur "divinitus ortæ christianæ religionis signa certissima atque omnium etiam hujus temporis intelligentiis maxime accommodata".

Et hæc quidem sufficiunt quoad fidem *in se* spectatam [2]. De modo quo variæ personæ diverso psychologico processu ad fidem accedant, infra dicemus, n. 346.

Pauca tamen de certitudine credibilitatis ad fidem requisitâ addamus oportet.

2° De certitudine credibilitatis requisitâ ad fidem.

313. Certitudo quam conferre debent signa credibilitatis ad fidei actum præparandum, est *certitudo moralis*, quæ

[1] S. Thom., 2, 2æ, q. 2, a. 4, ad 2.
[2] Cf. Vacant, *Constitutions du C. du Vat.*, t. II, p. 378.

omne prudens dubium excludat[1]. Hæc autem erit *scientifica*, si argumenta, quibus nititur fidei nostræ credibilitas, critice et reflexe perpenduntur; *vulgaris* autem, licet absoluta, si simpliciter apprehenduntur. Quæ popularis certitudo sponte et inconscie acquiritur ab iis qui in familiâ et societate vere catholicis nascuntur, vivunt et educantur. Hi enim, propriæ infirmitatis et ignorantiæ conscii, vident *Ecclesiam catholicam* tanquam signum levatum inter nationes et perpetuum ac vivum *credibilitatis motivum* "ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem[2]"; et hoc credibilitatis signo innixi, absolutam certitudinem adipiscuntur divinæ revelationis.

Si qui vero *relativam* tantum certitudinem acquirunt, eam nempe quæ simplicibus sufficit non autem doctioribus (qualis est ea quæ solâ auctoritate parentum et pastorum nititur), communiter docent theologi eam sufficere; nam, ex unâ parte, dubium *actu* excludit, et, ex alterâ, ita firmari potest bonâ voluntate et divinâ gratiâ ut *futura* dubia etiam præcaveat[3].

In praxi autem sacerdotes, catechismum exponendo, pueris proponere satagent ea motiva credibilitatis quæ absolutam certitudinem conferre valeant, qualia sunt miraculum resurrectionis Christi et invictæ Ecclesiæ diffusionis et stabilitatis; simulque eos monebunt ut, insurgentibus difficultatibus, ad doctiores recurrant.

§ II. De objecto materiali fidei.

314. Status quæstionis. Ex eo quod motivum fidei sit auctoritas Dei revelantis, sequitur objectum ma-

---

[1] Damnata est enim ab *Innocentio XI* (1679) hæc propositio : "Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitiâ solum probabili revelationis, imo cum formidine quâ quis formidet ne non sit locutus Deus." DENZING., 1171 (1038). — Si quis, ob specialem mentis dispositionem, absolutam certitudinem revelationis *directe* non assequeretur, eam *indirecte* ad ipisciposset sequenti argumento : impossibile est ut *Deus, verus et sapiens*, permittat falsam religionem fidei hominum proponi cum credibilitatis motivis quæ moralem certitudinem gignere possint; si enim id permitteret, eo ipso nos deciperet, et quidem in re gravissimâ, ad salutem pertinente; atqui mysteria fidei nostræ nobis credenda proponentur cum motivis credibilitatis quæ talem certitudinem sponte ingenerant.

[2] *Vaticanum*, sess. III, cap. 3. — [3] *S. Thom.*, 2a 2æ q. 2, a. 9, ad 3.

teriale fidei, seu id *quod* credendum est, esse omnia eaque sola quæ divinitùs revelata sunt.

315. A) **Primarium** autem objectum revelationis est Deus ipse. *Hæc est* enim *vita æterna* quam speramus, ideoque ejus inchoatio per fidem, *ut cognoscamus solum Deum verum et quem misit Jesum Christum* [1].

316. B) **Secundario** fide amplectimur multa alia, quæ tamen ad Deum referuntur et quasi *sub ratione Dei considerantur.*

Quod docet *Doctor Angelicus* [2] : " Si consideremus materialiter ea quibus fides assentit, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia, quæ tamen sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum, prout scilicet per aliquos Divinitatis effectus homo adjuvatur ad tendendum in divinam fruitionem ".

317. **Quæritur** *quo sensu veritas revelari debeat* ut sit fidei objectum. Ex tractatu *de Verâ religione* (nn.40, 43) satis liquet revelationem *proprie dictam* requiri, sufficere autem revelationem *mediatam*. Cùm vero inter veritates revelatas, aliæ *formaliter*, aliæ *virtualiter* revelentur, aliæ autem authentice *ab Ecclesiâ credendæ* proponantur, de his successive inquiremus, pauca addentes de *privatis revelationibus.*

I. *De veritatibus formaliter revelatis.*

318. Veritas *formaliter* seu *in se* revelata ea est quæ directe in suo proprio conceptu a Deo declarata fuit, sive explicite, sive implicite : *explicite* quando propriis terminis a Deo enuntiatur, ut divinitas Verbi in hoc textu : " In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. et *Deus erat Verbum* [3] "; *implicite*, quando termini æquivalent terminis explicite revelatis : ita propositio : " Verbum homo factum est " æquivalet huic textui S. Joannis : " Verbum caro factum est ". Hæc autem æquivalentia potest esse *clara*, ita ut omnibus statim intelligi valeat, vel *obscura*, ita ut non appareat nisi per accuratam analysim.

---

1 *Joan.*, XVII, 3.
2 *Sum. theol.*, 2a 2æ, q. 1, a. 1.
3 *Joan.*, I. 1.

319. Porro : **A)** Certum est omnes veritates *formaliter-explicite* revelatas esse objectum fidei divinæ. Etenim apertissime cadunt sub testimonio Dei revelantis ideoque propter ejus auctoritatem creduntur.

B) Certum est pariter veritates *formaliter-implicite* revelatas esse objectum fidei. Deus enim evidenter vult nobis revelare propositionem quæ, quoad sensum, omnino æquivalet alii expressis terminis revelatæ.

Ita Deus revelando insipientis esse negare Dei existentiam [1], revelat sapientis esse Dei existentiam profiteri; dicendo Christum esse hominem, revelat eum corpore et animâ rationali constitui.

C) Præterea : **a)** ex omnium confesso eo ipso quod Deus explicite revelat duas propositiones, v. g., Apostolos Spiritum sanctum accepisse, *et* Petrum unum esse ex Apostolis, revelat implicite conclusionem, Petrum scilicet accepisse Spiritum sanctum. **b)** Hodie theologi *communiter* admittunt propositionem particularem in universali contentam, *mediante aliquo facto contingenti*, esse objectum fidei, dummodo factum contingens sit *absolute certum.*

V. g., statim ac factum canonicæ electionis Pii X absolute certum evadit ex unanimi consensu Ecclesiæ, eo ipso apparet Pium X esse infallibilem, cùm omnis summus Pontifex rite electus sit infallibilis. Non est vero de fide Christum esse præsentem sub *tali* hostiâ, quia non absolute constat talem hostiam fuisse valide consecratam.

II. *De veritatibus virtualiter revelatis.*

320. A) Notio. Veritas virtualiter revelata seu conclusio theologica, stricte sumpta, est propositio per verum discursum deducta certo et evidenter e duabus præmissis, quarum una est formaliter revelata et altera naturaliter cognita, nec aliunde formaliter revelata. Exempla conclusionum theologicarum sunt sequentes propositiones : Christus nunquam caruit gratiâ efficaci; Christus est impeccabilis (n. 741).

321. B) Num conclusiones theologicæ sunt objectum fidei? *Controvertitur.* Cum plerisque tho-

[1] *Ps.* XXIII, 1.

mistis, et multis theologis omnium scholarum, tanquam probabilius admittimus *conclusiones theologicas non esse objectum fidei.* Etenim : a) hæ conclusiones credi nequeunt *unice* propter auctoritatem Dei revelantis : adhæsionis enim nostræ motivum partialiter constituitur ex evidentiâ naturali unius e præmissis et ex consequentiâ syllogismi; v. g., admitto Christum nunquam caruisse gratiâ efficaci, non solùm quia revelatum est Christo inesse sanctitatem perfectam, sed etiam quia naturaliter evidens est cum sanctitate perfectâ esse incompossibilem abusum gratiæ, et quia ex his præmissis legitime eruitur conclusio nostra. b) Aliunde nullo modo constat Deum velle revelare conclusionem ex eo quod revelat principium : nam, etsi theologica conclusio *in se* connexa est cum præmissâ revelatâ, ab eâ tamen distinguitur, ideoque una potest manifestari sine aliâ.

322. (C) Hinc minus probabilis videtur : a) opinio *Melchioris Cani*, *Vegæ* et *aliorum* qui contendunt conclusionem theologicam esse objectum fidei. Quidquid enim dicunt, talis propositio non est *proprie* et *sufficienter* revelata, et consequenter non potest admitti propter solam auctoritatem Dei; b) opinio *Suarezii* et *Lugonis*, juxta quos conclusiones theologicæ sunt objectum fidei quando proponuntur et definiuntur ab Ecclesiâ[1]. Et sane : 1) Deus auctoritate suâ firmat quidquid ab Ecclesiâ definitur, sed meræ *assistentiæ* privilegio, non autem *inspirationis;* 2) quod ab Ecclesiâ definitur est infallibiliter verum, sed non eo ipso revelatum: Ecclesia quidem infallibilitate gaudet etiam in definiendis veritatibus cum fide connexis, quæ tamen sunt tantum objectum fidei *ecclesiasticæ;* 3) præterea Ecclesia conderet nova dogmata, si per definitionem de fide faceret quod antea fidei divinæ non erat objectum.

323. D) **Notandum.** a) Merito præsumitur negare infallibilitatem Ecclesiæ qui non acquiescit definitioni veritatis tantum connexæ cum fide. b) Conclusionem proprie theologicam negans imprudenter ageret, in *errorem* theologicum incideret, imo et merito suspicionem incurreret hæresis quoad principium revelatum. c) Veritas,

[1] Videntur autem Suarezius et Lugo non accurate distinxisse inter conclusionem theologicam proprie dictam et veritatem implicite sed formaliter revelatam. Revera in praxi valde difficilis est talis distinctio ante Ecclesiæ definitionem.

quæ primum tanquam virtualiter revelata habita fuerat, postea ut formaliter implicite revelata apparere potest ; sicut accidit pro Immaculatâ Conceptione B. Mariæ Virginis.

III. *De veritatibus fidei catholicæ.*

324. 1° Ut veritas sit *fidei catholicæ* et negantes incurrant hæresim coram Ecclesiâ, non sufficit ut sit revelata; requiritur insuper ut *authentice* proponatur ab Ecclesiâ. Hæc enim sunt verba *Vaticani*[1] : " Porro fide divinâ et catholicâ ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesiâ, sive *solemni* judicio, sive *ordinario* et *universali magisterio*, tanquam divinitus revelata credenda proponuntur ".

Jamvero supra exposuimus, n. 279 sq., quid intelligendum sit nomine *solemnis judicii* et *ordinarii magisterii.*

325. 2° **De censuris theologicis**. A) *Notiones.* **a**) Censura theologica quæ directe ad *doctrinas* refertur, est judicium seu sententia, quâ nota prava et maligna cuidam inuritur doctrinæ tanquam hæreticæ aut fidei aliquo modo nocivæ.

b) Censura theologica dividitur in *doctrinalem* et *judicialem.* Prior frequenter et utilissime fuit olim adhibita a sacris Universitatum facultatibus[2], sub directione magisterii ecclesiastici; attamen solum vim habebat judicii a peritis prolati. Posterior fertur sive ab Episcopis in propriâ diœcesi, sive a R. Pontifice aut a Concilio œcumenico; R. autem Pontifex censuras ferre potest sive ex cathedrâ, sive non, et quidem per se aut per Congregationes romanas (*de Ecclesiâ*, n. 255).

326. **B**) *De præcipuis censuris in specie.* Aliæ *ipsam doctrinam*, aliæ *modum* quo exprimuntur propositiones, aliæ *effectus* quos possunt producere, respiciunt. **a**) Quoad doctrinam ipsam, recensentur : 1) propositio *hæretica*, cui accedunt *hæresi proxima* et *sapiens hæresim;* 2) *erronea*, cui accedunt *errori proxima* et *sapiens errorem;* 3) *teme-*

[1] Sessio III, c. 3; Denz.-Bann., 1792 (1641).
[2] Prohibetur autem ne privati theologi opinionibus, quæ libere in Scholis propugnantur, ullam inurant censuram.

raria sive *positive*, sive *negative*. **b**) Quoad modum habentur *æquivoca*, *ambigua*, *præsumptuosa*, *captiosa*, *suspecta*, etc., sed præsertim *male sonans* vel *piarum aurium offensiva*. **c**) Quoad malos effectus, recensentur *scandalosa*, *schismatica* quæ potest esse *hæretico-schismatica*, *seditiosa*, *non tuta*[1].

Scholion. De Revelationibus privatis.

327. Pauca adjicimus de revelationibus privatis, quæ directe ad utilitatem hominum privatorum diriguntur, licet indirecte toti Ecclesiæ prosint.

1° Revelationes privatæ possunt esse objectum fidei divinæ, et credi debent ab iis quibus aut pro quibus fiunt, imo probabilius ab omnibus quibus cum *verâ certitudine* innotescunt. Nam Deus, quando uni homini loquitur, æque verax est ac quando omnibus loquitur [2].

2° Ecclesia nunquam nobis imponit obligationem credendi privatis revelationibus, cùm sit tantummodo custos et organum publicæ revelationis. Jus habet tamen judicium ferendi de eis, ne fideles temere errori credant et ita decipiantur. Quando approbantur privatæ revelationes, hæc approbatio significat tantum permissionem ut edantur ad fidelium institutionem, tamquam pie credibiles juxta prudentiæ regulas et auctoritatem testimoniorum quibus innituntur. Caveant ergo concionatores ne eas tamquam fidei catholicæ objectum proponant[3].

3° Ad prudenter sentiendum de singulis privatis revelationibus attendantur regulæ discretionis spirituum quales in theologiâ mysticâ traduntur, præsertim : **a**) ex parte *objecti*, utrum sint conformes doctrinæ Ecclesiæ an aliquid erroneum aut frivolum tradant; **b**) ex parte *personæ*, num a morbo præsertim hysterico immunis, sit recto judicio, humilitate et obedientiâ prædita; **c**) ex parte *effectuum*, utrum revelationes animam inquietam relinquant an pacem et christianas virtutes foveant.

---

[1] DENZ.-BANN., 1659 (1516), 1843 (1864).

[2] Admittimus cum majori theologorum parte, contra *Salmanticenses* (*de Fide*, Disp. I, Dub. 4, n. 104), revelationes privatas credi non lumine prophetiæ vel discretionis spirituum, sed lumine fidei, quia creduntur propter *auctoritatem Dei*.

[3] Cfr. BENEDICTUS XIV, *De canon. sanct.*, l. II, c. 32, n. 11. PIUS X, Encycl. *Pascendi*.

ARTICULUS II. DE ACTU FIDEI.

§ I. De ipso actu fidei.

328. Paucis verbis S. Thomas describit actum fidei[1]: "Credere est actus *intellectûs assentientis* veritati divinæ *ex imperio voluntatis* a Deo *motæ per gratiam*". Unde triplex est causa, et quidem simultanea, actûs fidei: gratia, voluntas et intellectus. Itaque: 1° probabimus actum fidei revera ab hâc triplici causâ oriri; 2° in concreto processum psychologicum fidei describemus.

I. *De triplici causâ subjectivâ actûs fidei.*

329. 1° *Gratia præveniens et concomitans tum illuminationis, tum inspirationis, requiritur in intellectu et voluntate ad inchoandum et perficiendum actum fidei.*

De fide est: a) ex *Tridentino*[2]: "Si quis dixerit sine præveniente Spiritûs sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere... posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, A. S.; b) ex *Vaticano*[3] declarante fidem esse virtutem supernaturalem, etiamsi per caritatem non operetur, ideoque donum Dei...

330. A) *Probatur* a) *Scripturâ.* Christus, apud Joannem, ait[4]: "Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum". Atqui hæc verba "Qui venit ad me" idem significant ac "Qui credit in me", ut constat ex modo loquendi Domini apud Joannem; aliunde scimus ex S. Paulo primum *gressum* ad Deum esse fidem[5]. Sensus igitur est neminem credere in Christum nisi Pater eum traxerit per gratiam. — Idem tradit *S. Paulus* scribens[6]: "Gratiâ salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est".

---

1 *Sum. theol.*, 2ª 2æ, q. 2, a. 9.
2 *Sess. VI*, can. 3, DENZ.-BANN., 813 (695).
3 *Sess. III*, cap. 3 et can. 5, DENZ.-BANN., 1791 (1640.)
4 *Joan.*, VI, 44.
5 *Hebr.* XI, 6. — 6 *Ephes.*, II, 5.

331. b) *Traditione.* 1) *S. Augustinus*[1] contra Pelagianos doctrinam S. Pauli evolvens scribit : " Sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum,... ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem ".

2) Contra Semipelagianos qui dicebant saltem initium fidei piumque credulitatis affectum naturaliter nobis inesse, synodus *Arausicana IIa* definivit hoc esse *Dei donum*, qui nobis prior fidem et amorem sui inspirat[2]. Quod decretum a *Tridentino* et *Vaticano*[3] renovatum est.

3) Tandem contra Hermesium, qui contendebat ad solam fidem cordis (seu formatam) gratiam Dei necessariam esse, declaravit *Vaticanum*[4] : " Si quis dixerit... ad solam fidem vivam, quæ per caritatem operatur, gratiam Dei necessariam esse, anathema sit ".

332. B) *Doctrina plenius declaratur.* a) Requiritur ad actum fidei gratia non solum *medicinalis* quæ infirmitati nostræ naturæ subveniat, sed et *elevans* quæ nos capaces reddat actûs supernaturalis. Hæc autem gratia illuminat intellectum et voluntatem trahit.

b) Influit autem gratia interna dum credere *incipimus* et dum actum fidei *elicimus;* sed non constat gratiam requiri ad omnia præambula imprimis remotiora, actûs fidei, v. g., ad judicium speculativum de veracitate Dei et de facto revelationis. Per accidens autem potest requiri et dari gratia medicinalis ad reddendum hominem magis aptum ad veritatem divinam quærendam, agnoscendam et amplectendam. — Insuper per *habitum fidei* homo juvatur ad assentiendum veritatibus fidei; et per *donum intellectûs* videt non esse recedendum, propter verisimiles fallacias, ab his quæ sunt fidei[5].

c) Definiendo gratiam necessariam esse ad actum fidei etiam per caritatem non formatum, noluit Concilium damnare eorum opinionem qui dicunt dari posse, saltem theoretice loquendo, assensum *mere naturalem* veritatibus revelatis, puta ab homine qui, jam admittens Dei veracitatem, sciret, ope signorum credibilitatis, religionem christianam esse a Deo revelatam.

1 *De dono perseverantiæ*, n. 49-50, *P. L.*, XLV, 1024-1025.
2 DENZ.-BANN., 178 (148). — 3 Ibid., 798 (680) et 1791 (1640).
4 *Sess. III*, can. 5, DENZ.-BANN., 1814 (1661).
5 *Sum. theol.*, 2a 2æ, q. 1, a. 4, ad 3; q. 8, a. 2.

333. 2° *Actus fidei elicitur sub imperio voluntatis liberæ et bene dispositæ.*

De fide est : 1) ex *Trident.* contra Protestantes definiente[1] : " Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ et adjuti, fidem ex auditu concipientes *libere moventur in Deum*"; 2) ex *Vatic.*[2] contra Hermesium declarante fidem esse " opus ad salutem pertinens, quo homo liberam præstat ipsi Deo obedientiam, gratiæ ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando ", et definientis : " Si quis dixerit assensum fidei christianæ non esse liberum, sed argumentis humanis necessario produci... A. S."

334. A) *Probatur.* a) Hanc veritatem inculcat *S. Joannes* in Evangelio, asserens Judæos ideo non credere quia gloriam Dei non quærunt, quia ex Deo non sunt, sed ex patre diabolo, quia caritatem in se non habent, breviter, quia *bonâ voluntate* carent ad fidem necessariâ[3].

b) " Vis enim, subjungit *S. Irenæus*[4], a Deo non fit. Et non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum et suæ potestatis arbitrium hominis servavit Dominus, dicens : *Secundum fidem tuam fiat tibi* ". Brevius *S. Augustinus :* " Credere non potest nisi volens[5] ". Itaque *Pici de Mirandulâ* damnata est propositio asserens non esse in potestate hominis credere articulum fidei esse verum, quando placet[6].

335. B) *Plenius declaratur.* a) Actus fidei liber est non solum *quoad exercitium*, quatenus nempe possumus mentem nostram ab objecto credendo avertere : quod nullam difficultatem patitur; sed etiam *quoad specificationem*, quatenus nobis inest possibilitas actum contrarium ponendi, dubitando vel negando : quod diverso modo explicant theologi. 1) Juxta *de Lugo*, actus fidei liber est quatenus divina revelatio, etsi moraliter certa, non est evidens; 2) juxta *Card. Billot*, quia veritatibus revelatis assentimur non propter evidentiam testimonii, sed propter ipsam auctoritatem Dei cui libere sub-

---

[1] *Sess. VI*, cap. 6; Denz.-Bann., 798 (680).
[2] *Sess. III*, cap. 3, can. 5 *de Fide;* Denz.-Bann., 1791 (1640), 1814 (1661).
[3] *Joan.*, V, 31-44; VII; 16-18; VIII, 42-47, etc.
[4] *Contra hæres.*, l. IV, c. 37, nn. 1, 5, *P. G.*, 1099, 1102.
[5] *In Joan.*, tr. XXVI, c. VI, n. 2.
[6] Denz.-Bann., n. 737 (620).

mittimur; 3) juxta *thomistas*, quia veritas revelata cui assentimur non est intrinsece evidens, et sic in actu fidei " non est satisfactum " intellectui, " quantum est ex se ipso ", unde " in credente potest insurgere motus de contrario hujus quod firmissime tenet[1] ".

336. b) Voluntas ad fidem cooperatur non tantùm in primo fidei actu, sed etiam : 1) *in remotâ præparatione ad fidem*, quatenus recta voluntas, superbiam, voluptatem et curas temporales mitigando, disponit mentem ad veritatem amandam, quærendam et amplectendam; 2) *in præambulis fidei*, quatenus intellectum determinat ad attente considerandas rationes quibus Dei existentia et auctoritas, simul ac factum revelationis, certo innotescant; 3) *in profectu fidei*, quatenus mentem avertit a rationibus dubitandi, et redigit in captivitatem et obsequium rationabile fidei[2].

337. c) Hinc explicatur : 1) cur tam multi non credant, etiamsi motiva credibilitatis sufficienter eis proponantur : voluntas eorum, superbiæ et passionum laqueis irretita, res divinas negligit, respuit, horret; 2) cur fides non sit in omnibus æqualis : torpet aliquando voluntas in meditando motiva credibilitatis et mysteria fidei[3].

338. 3° *Fides est verus assensus intellectûs seu actus cognitionis*[4]. Certum est et fidei proximum, et, juxta multos, etiam de fide ex *Vaticano* et ex professione fidei a *Pio X* præscriptâ infra citandis.

A) *Probatur :* a) Ex *Scripturâ* fide *credimus* et *cognoscimus*, *videmus* et *intelligimus*[5]. Ita vox *credere* vocibus *cognoscere* et *videre* æquiparatur; nec raro tres hujusmodi voces promiscue sumuntur.

339. b) *Traditione.* 1) Generatim Patres loquuntur de fide quasi esset actus cognitionis intellectualis; ita et theologi dicentes cum *S. Thomâ*[6] : " Credere... immediate

---

[1] S. THOMAS, *De Veritate*, q. 14, a. 1.
[2] *II Cor.*, X, 5; *Rom.*, XII, 1.
[3] Recte advertit *S. Thomas* (2a 2æ, q. 6, a. 4) : " Potest... fides in aliquo dici major uno modo ex parte *intellectûs*, propter majorem certitudinem et firmitatem; alio modo ex parte *voluntatis*, propter majorem promptitudinem seu devotionem vel confidentiam ".
[4] Dicendo fidem esse actum *intellectûs* sub imperio *voluntatis* elicitum, abstrahimus a quæstione philosophicâ num et quomodo diversæ facultates a se invicem et ab essentiâ animæ distinguantur; sed asserimus fidem esse vere actum cognitionis.
[5] *Joan.*, VI, 70; *I Cor.*, XIII, 12; *Hebr.*, XI, 1, 3, 6.
[6] 2a 2æ, q. 4, a. 3.

est actus intellectûs quia objectum hujus actûs est verum quod proprie ad intellectum pertinet ".

2) Quam doctrinam universim receptam supponit *Vaticanum* distinguendo duplicem *cognitionis* ordinem, naturalem scilicet et supernaturalem, id est fidem et rationem, asserendo plenum revelanti Deo *intellectûs* et voluntatis obsequium fide præstandum esse, et definiendo fidem esse virtutem supernaturalem quâ " revelata *vera esse credimus* ".

340. 3) Nuperrime vero docuerunt *Modernistæ* fidem non esse assensum intellectualem, sed cæcum religionis sensum e subconscientiâ erumpentem, cujus ope vitæ divinæ, quam pantheistico modo in universo existentem admittunt, participes efficimur, conscientiâ primo subobscurâ et paulatim magis ac magis clarescente.

Contra quos in professione fidei a Pio X præscriptâ dicitur " fidem non esse cæcum religionis sensum e latebris subconscientiæ erumpentem, *sed verum assensum intellectûs* veritati extrinsecus acceptæ ex auditu ". Quæ declaratio datur ut certissime tenenda, et ab inerrante Ecclesiæ magisterio definita.

341. B) *Plenius declaratur.* Intellectus igitur duo præsertim præstat : **a**) signa credibilitatis attente perpendit, et de eis judicat; **b**) actum fidei proprie elicit doctrinam revelatam veram esse credendo.

II. *De processu psychologico fidei.*

1° Quæ communiter admittuntur.

342. Ex dictis, in actu fidei concurrunt mens credentis gratiâ adjuta et veritas credita.

Veritas credita est veritas a *Deo revelata* ideoque divinæ auctoritati innixa, — *signa credibilitatis* præ se ferens quæ divinam ipsius originem ostendunt, — tandem sufficienter hominibus *manifestata*.

Mens credentis complectitur *intellectum*, sub *imperio voluntatis* operantem, cum prævenientis et adjuvantis *gratiæ* illuminatione et inspiratione.

Quibus prænotatis, ita exponi potest *processus* quo homo ad fidem pervenit. Tria sunt consideranda : dispositiones mentis, præviæ inquisitiones, ipse fidei actus.

343. A) Inter *dispositiones*, ante omnia requiritur *rectitudo mentis*, quâ homo paratus sit veritatem amplecti, etiam præjudiciis et passionibus oppositam : quæ dispositio est *reflexa* in viris doctis et excultis, dùm est sæpe *spontanea* in pueris et rudibus qui, sophismatibus non corrupti, et ignorantiæ suæ conscii, prompte credunt quæ a viris gravibus proponuntur. Insuper, qui baptismum susceperunt, habent *habitum fidei infusum* cui est quasi connaturalis et suaviter affinis veritas revelata.

344. B) His dispositionibus instructus, homo certior fit : a) de *Dei existentiâ summâque veracitate*[1] sive modo philosophico, sive discursu simpliciori et populari, sive auctoritate parentum vel sacerdotum; quibus veritatibus agnitis, jam promptum se habet ad assentiendum veritatibus revelatis, si quæ fuerint manifestatæ; b) de facto *revelationis*, sive scientifice sive modo populari perpendendo quædam ex argumentis in Tr. *de Verâ Religione* et *de Ecclesiâ* expositis, aut etiam simpliciter agnoscendo Ecclesiam maximâ auctoritate pollere et esse solam veræ religionis Magistram, cui se subjicere in rebus religiosis omnino rationabile sit[2]; tunc judicium efformat de *possibilitate* et *obligatione* credendi quidquid Deus revelaverit et Ecclesia tanquam divinitus revelatum proposuerit.

345. C) Judicio *credentitatis* succedit ipse *actus fidei*, quo intellectus, sub imperio liberæ voluntatis, cum præveniente et adjuvante gratiâ, assensum præbet primum *modo generali* omnibus veritatibus revelatis, et dein *singulis* veritatibus statim ac constat eas esse revelatas.

346. **Notandum est** non omnes credentes fidem concipere juxta schema modo descriptum. Etenim tum diversimode se habent indoles mentium humanarum, tum

[1] In hoc stadio satis est de Deo inquirere tanquam *naturæ* auctore. Ad *factum* vero quod spectat, sæpe non solum pueri, sed etiam adulti increduli Deum investigant prout auctorem ordinis *naturalis simul et supernaturalis*, et aliquando ad Auctorem naturæ ducuntur alicujus facti supernaturalis consideratione.

[2] Aliquando actus fidei sub influxu gratiæ elicitur absque prævio et distincto judicio credibilitatis, quatenus nempe aliquis simul divinum interventum agnoscit, et agnoscendo fidei actum elicit. Cf. P. ROUSSELOT, *Les yeux de la Foi*, in periodico *Recherches de sc. religieuse*, mai-Juin 1910, p. 253-258.

"multiformis gratia Dei" est. Omnes tamen qui genuine credunt, actum fidei eliciunt et rationabiliter, et propter auctoritatem Dei, et in ordine ad veritates a Deo revelatas.

Præterea *occasio* quâ cœpit accessio ad fidem in infinitum variatur[1]; aliquando conversio fit post diuturnas moras, aliquando instantanea et miraculosa est, sicut contigit *S. Paulo* et *Alphonso Ratisbonne*.

347. **Conclusio practica.** Qui vult incredulos ad fidem trahere, non solum apologetæ, sed etiam spiritualis directoris partes agere debet : **a**) prudenter et mansuete inquirat de eorum indole et dispositionibus, ut sciat quasnam veritates admittant et quas rejiciant; **b**) horum benevolentiam sibi conciliet, ostendendo totâ agendi ratione se nil ambire nisi veritatem notam facere; **c**) motiva credibilitatis proponat eorum captui et ingenio accommodata, et, exemplo eorum qui pacem in veritate invenerunt, felicitatem describat quam veræ religionis praxis secum inducit; **d**) inculcetur frequens ad Patrem luminum recursus, cùm argumenta ad conversionem efficiendam, absque Dei gratiâ, non sufficiant.

2° Controversia de ultimâ fidei resolutione.

348. Ad complendam explicationem actûs fidei, solvi debet quæstio de ultimâ ejus resolutione quæ ita proponi solet. Quærenti cur credam Christum esse Deum, respondeo quidem : *propter auctoritatem Dei qui hanc veritatem revelavit.* Sed si iterùm quæsieris undenam noverim Deum esse fide dignum eumque revelâsse divinitatem Christi, respondeo : id novi ex argumentis seu motivis credibilitatis. Numquid igitur fides ultimo resolvitur in argumenta humana, sicut in fulcra intrinseca ipsi actui credendi? Si ita est, actus fidei non videtur esse objective supernaturalis, nec majorem præ se fert certitudinem quam humana argumenta credibilitatis.

Cui difficultati responderi quidem potest motiva credibilitatis esse solum præambula fidei et præviam conditionem, non autem elementum fidei constitutivum. Sed remanet plenius explicandum quomodo fides, quæ pendet a motivis credibilitatis ratione notis, possit esse *superna-*

[1] Cf. Baunard, *La Foi et ses victoires;* A. Crosnier, *Les convertis d'hier*, Paris, 1910; Lewengard, *La splendeur catholique*, Paris, 1910 A. von Ruville, *Retour à la Ste Eglise*, 1911.

turalis et *firmior* ipsis motivis. Diversimode respondent theologi : —

349. a) *Suarez* dicit fidelem, *in ipso actu fidei :* 1) non attendere ad credibilitatis argumenta prævie tamen perpendenda; 2) sed simul cum objecto materiali, apprehendere fide et auctoritatem Dei et factum revelationis : Deus enim explicite revelando aliquod mysterium, implicite revelat se esse veracem et se revelare. 3) Secùs, inquit, virtus fidei, non inniteretur motivo supernaturali, nec esset supernaturalis.

350. b) *Lugo* theoriam Suarezii rejicit utpote circulo vitioso laborantem, et ipse hanc viam proponit. In actu fidei cognoscimus tum auctoritatem Dei, tum factum revelationis neque per fidem neque per discursum, sed *immediate* et ex gratiâ : unde explicatur quomodo actus fidei sit simul supernaturalis et sine circulo vitioso. — Attamen Lugo vix salvat supernaturalitatem fidei, quæ in ejus theoriâ non est *objective* supernaturalis; et insuper gratuito ponit divinam veracitatem et factum revelationis immediate cognosci.

351. c) Secundum *Thomistas*, ultima resolutio *formalis* et *intrinseca* actûs fidei fit in *auctoritatem Dei revelantis*, quatenus est *id quo* creduntur ceteræ veritates revelatæ et *id quod creditur*, cùm eodem instanti assentiamur auctoritati Dei revelantis et veritati particulari quam revelat. Et ita motivum fidei est *omnino supernaturale.* Attamen, ut fidei assensus prudenter detur, requiritur tanquam prævia conditio *judicium credibilitatis* quo pronuntiamus hanc aut illam veritatem esse *credibilem*, utpote revelatam. Et ita fides nostra *rationabilis* est.

d) Juxta *Pesch*, *Bainvel* et *Card. Billot*, motivum ultimum actûs fidei est *ipsa auctoritas* Dei revelantis, non autem ullo modo hujus *auctoritatis cognitio :* unde nihil refert *modus* quo Dei auctoritas prævie innotuerit. Auctoritas autem Dei revelantis est quoad se medium cognoscendi nobis indebitum proindeque *supernaturale*, et *firmiorem* conferens certitudinem quam quodlibet aliud medium cognoscendi. Si ergo quæris cur Trinitatem credam, respondeo : quia Deus, qui Trinitatem revelavit, dignus est fide super omnia. Responsio est adæquata. Nam si quæris undenam noverim Deum revelâsse Trinitatem et esse fide dignum, respondeo hìc non amplius agi de motivo fidei, sed tantum de motivis credibilitatis quæ sunt præambula ad fidem.

§ II. De proprietatibus actûs fidei.

Ex dictis de objecto et productione actûs fidei inferri possunt ejus proprietates, nempe *certitudo*, *obscuritas*,

libertas et *supernaturalitas.* Cùm de his ultimis jam satis dictum fuerit, (nn. 333, 329), de duobus prioribus dicendum manet.

I. *De certitudine fidei.*

352. 1° *Fides nostra est* **certa,** *seu excludit omne dubium de veritate objecti crediti.* Nititur enim ipsi Dei auctoritati ejusque testimonio.

353. 2° Quæritur num fides sit **certior** scientiâ naturali. Ad plenius respondendum, quatuor in certitudine sunt distinguenda : **a**) *claritas* seu splendor evidentiæ menti proportionatæ, **b**) *exclusio dubii*, **c**) *infallibilitas* seu securitas connexionis cum veritate objectivâ, **d**) *firmitas adhæsionis.* Jamvero :

354. A) Sub respectu *claritatis* et evidentiæ fides est quoad nos inferior scientiâ, etsi res revelatæ maximâ quoad se fulgent intelligibilitate et veritate.

355. B) Sub respectu *indubitabilitatis*, fides cedit aliquando scientiæ : sunt enim quædam veritates naturales tam certæ ut de his dubitare non possimus, v. g., bonum est amandum; dùm veritates fidei, quamvis quoad se certissimæ, *possibilitatem dubii* non excludunt, propter earum obscuritatem.

356. C) Sub respectu *infallibilitatis*, fides est certior omni naturali cognitione : cognitio enim naturalis errori obnoxia est, dum fidei **a**) nunquam subesse potest *falsum :* 1) quia fides est virtus intellectualis et exinde cum errore incompossibilis : omnis enim virtus ad bonum inclinat, sed bonum virtutis intellectualis est verum, 2) quia fidei objectum formale est veracitas divina quæ nos movere non potest ad errorem amplectendum; **b**) nunquam subesse potest *non revelatum*, licet aliàs verum : 1) quia fides non potest non referri ad suum objectum proprium, 2) quia *revelatio* divina est objectum formale fidei partiale quod non potest movere nisi ad *revelatum* accipiendum. Unde ille qui credit erroneum aut non revelatum, illud credit fide *tantùm humanâ*, non theologicâ [1].

[1] Attamen qui negat propositionem quam revelatam esse existimat, licet revelata non sit, est hæreticus *affective*, cùm renitatur auctoritati Dei, seu *objecto formali* fidei.

357. **D**) Ratione *adhæsionis*, fides est firmior et certior omni naturali cognitione. " *Plenum* revelanti Deo intellectûs et voluntatis obsequium præstare tenemur ", juxta *Vaticanum*, quod rationem subjungit : " *firmissimo* scilicet niti fundamento fidem quam profitentur (catholici[1]) ". Siquidem fides nostra Dei ipsius testimonio innititur; sed " si testimonium hominum accipimus, *testimonium Dei majus est*[2] ", unde debemus credere " ex toto corde[3] ". Aliis verbis, fides debet esse assensus *æstimative* seu *appretiative* summus, quatenus auctoritatem Dei pluris facimus quam omne aliud motivum assensûs. Nulla ergo certitudo certitudini fidei vere adversari potest et conflictus inter fidem et rationem non potest esse nisi *inanis contradictionis species*, inde potissimum oriens "quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur[4] ".

II. *De obscuritate fidei.*

358. 1° **Concordant** theologi in asserendo : **a**) fidem esse obscuram *ratione motivi :* auctoritas enim Dei revelantis non explicat intrinsecam rationem rei revelatæ; **b**) fidem non posse cum visione beatificâ existere : etenim beatus clarissime videt Deum et res divinas; **c**) obscuritatem fidei esse compossibilem cum perfectâ evidentiâ de facto revelationis, qualis fuit in Beatissimâ Virgine : hujusmodi enim evidentia non manifestat internam rei revelatæ veritatem; **d**) fidem esse *generatim* obscuram *ratione objecti*, quia *præcipuæ* veritates revelatæ sunt mysteria quæ rationis captum omnino superant.

359. 2° **Disputatur** autem num *fidei objectum* (materiale) *sit necessario obscurum*, seu aliis verbis, num veritates naturali evidentiâ cognitæ, ut Dei existentia, spiritualitas et immortalitas animæ, possint esse simul fidei objectum. Duæ sunt opiniones.

a) *S. Thomas*[5] ejusque discipuli, imo præcipui *Scotistæ*, docent *fidei actum* dari non posse in eodem homine simul

[1] *Sess.* III, cap. 3, Denz.-Bann., 1789 (1638), 1794 (1642).
[2] *I Joan.*, V, 9. — [3] *Act.*, VIII, 37.
[4] *Concil. Vatic.*, *Sess.* III, cap. 4, Denz.-Bann., 1797 (1645).
[5] 2^a 2^{ae}, q. 1, a. 4 etc.

cum actu evidentis scientiæ circa unum et idem objectum sub eodem respectu. Et hoc quia : 1) juxta *S. Paulum*, fides est " argumentum (seu cognitio certa) *non apparentium*[1] "; 2) quia actus fidei est liber (n. 333), sed veritati evidenti *cogimur* assentiri.

360. *Notandum est* tamen : 1) quod ab uno naturali evidentiâ scitur, posse ab altero minus edocto credi, aut potuisse ab eodem adhuc rudi prius credi; 2) quod subobscure potius quam evidenter per scientiam cognoscitur, posse simul credi fide divinâ; 3) quod scitur cum præstringenti evidentiâ confirmari tamen auctoritate divinâ, cui tamen mens in hoc casu non innititur per fidem proprie dictam.

361. b) *Suarez* autem, cum multis theologis, præsertim modernis, docet fidei actum dari posse simul cum actu scientiæ circa idem objectum. Nam : 1) ex *S. Paulo*, " credere... oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit[2] ", quæ veritates sunt naturaliter evidentes; 2) in Symbolis et in *Vatic.* hujusmodi veritates credendæ proponuntur eodem modo ac eæ quæ sunt supra rationem[3]; 3) nulla apparet repugnantia in eo quod homo veritati evidenti assentiat tum propter ejus intrinsecam evidentiam, tum propter auctoritatem Dei.

Reponunt *Thomistæ :* 1) textus allatos principaliter referri ad Trinitatem personarum in Unitate essentiæ, secundario autem ad Dei existentiam quæ necessario præsupponitur scita aut credita *per accidens*, ut ait S. Thomas[4]; 2) assensum scientificum et fidei assensum de eodem omninò objecto esse contradictorie oppositos, cùm prior sit *clarus*, posterior vero necessario *obscurus*, et quidem quoad objectum materiale seu directum, juxta *S. Paulum*[5]; 3) saltem, in casu evidentissimæ scientiæ, actum fidei videri supervacaneum et impossibile.

§ III. De subjecto fidei.

Quæstio est in quibus sit fides, sive inter *vivos*, sive inter *defunctos*.

362. I. *De hominibus* viatoribus. Nulli dubium est *justis* fidei habitum inesse, eosque actus fidei elicere posse, cùm " sine fide impossibile sit placere Deo[6] "; pariter extra controversiam est *infideles* habitu fidei carere. Quæstio igitur movetur quoad *peccatores* et *hæreticos*.

---

[1] *Heb.*, XI, 1. — [2] *Ibid.*, 6.

[3] " Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum..." *Vatic.*, sess. III, cap. 1, DENZ.-BANN., 1782 (1631).

[4] 2ª 2ªᵉ, q. 1, a. 5, ad 3. — [5] *Heb.*, XI, 1. — [6] *Heb.*, XI, 6.

363. 1° *Fidei habitus in* **peccatoribus** *remanere potest*, seu, aliis verbis, fides non amittitur amissione caritatis et gratiæ sanctificantis. A) De fide est ex *Trident.*: " Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul et fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, A. S.[1] " Docet ergo Concilium cum statu peccati mortalis fidem esse compossibilem, et quidem fidem veram, theologicam, etsi caritate non informatam et vivificatam.

B) Quod clare supponunt *S. Paulus* et *S. Jacobus* : " Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum[2] "; " Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat[3]? " Et sane caritas non est forma *intrinseca* fidei, sed tantum *extrinseca*, ita ut fides vere existere possit quin caritati uniatur et per caritatem operetur.

C) Ceterùm habitus non destruuntur nisi per actus contrarios, formale eorum objectum tollentes. Sed peccatum (nisi sit peccatum hæreseos) ex se quidem contrarium est caritati sed non fidei, cùm veracitatem Dei non impugnet.

364. 2° *Fidei habitus destruitur peccato* **hæreseos** *formali, non autem materiali.*

A) Prima pars constat : a) *Scripturâ* juxta quam Hymenæus et Alexander, propter unius fidei articuli negationem, nempe resurrectionis carnis, " circa fidem naufragaverunt[4] ", seu amiserunt fidem; b) ex *Tridentino* quod declarat per infidelitatem amitti fidem[5]; c) *ratione :* qui negat scienter unam veritatem revelatam, eo ipso respuit auctoritatem Dei revelantis, et sic ex hâc auctoritate nihil tenere potest.

365. B) Secunda pars constat : a) unanimi consensu theologorum, v. g., *Suarezii*[6] qui nostram assertionem *certam* esse declarat et *extra controversiam;* b) *ratione*

---

[1] *Sess. VI*, can. 28; Denz.-Bann., 838 (720).
[2] *I Cor.*, XIII, 2. — [3] *Jacob.*, II, 14.
[4] *I Tim.*, I, 19; cf. *II Tim.*, II, 17; IV, 14.
[5] *Sess. VI*, cap. 15, Denz.-Bann., 808 (691). — Nomine infidelitatis tunc designabatur omne peccatum contra fidem.
[6] *De Gratiâ*, l. XI, c. 7, n. 3-4.

theol.: etenim non decet fidem destrui nisi per *deliberatam* et *pertinacem* culpam ipsi motivo fidei oppositam; sed hæresis materialis non est peccatum mortale cùm incurratur inscienter et indeliberate, nec ullo modo neget auctoritatem Dei revelantis.

366. 3° *Corollaria :* a) *Sola omissio*, etiam culpabilis, actûs fidei, fidem non tollit, cùm non opponatur directe objecto formali seu motivo fidei; b) nullus a verâ fide jam susceptâ et Ecclesiâ secedere potest *sine aliquâ culpâ*, saltem *imprudentiæ*[1]; sed hæc culpa non est semper mortalis et contra fidem, ideoque non necessario habitum fidei expellit. Revera declaravit *Vatic.*[2] illos " qui fidem sub Ecclesiæ magisterio susceperunt, nullam unquam habere (posse) justam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. " Sed ex declaratione auctorum schematis Patribus concilii propositi constat non fuisse damnatam hanc opinionem aliquorum veterum theologorum qui dixerunt " posse *per accidens*, et in certis quibusdam adjunctis, conscientiam rudis cujusdam hominis catholici ita induci in errorem invincibilem, ut sectam aliquam heterodoxam amplectatur sine peccato formali contra fidem, quâ in hypothesi fidem non amitteret[3] ".

367. II. *De iis qui sunt* **in termino**. 1° *Angeli et Beati non eliciunt actum fidei proprie dictum*, saltem circa ea quæ in Verbo clare vident. Certum est : a) textu *S. Pauli*[4] ex quo satis evincitur fidem, ut quid imperfectum, per visionem beatificam evacuandam esse : " Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus; cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est... videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem ". b) *Ratione theol. :* Angeli et Beati in cælo non amplius indigent credere propter auctoritatem Dei quæ clarissime vident in essentiâ divinâ.

368. 2° *Animæ in Purgatorio detentæ* habitum fidei retinent, et *fidei actus*, licet *non meritorios*, *exercere pos-*

---

1 Sic imprudentiæ reus est : a) qui, in religione parùm instructus, acatholicos frequentare eosque audire non dubitat, b) qui ephemerides et libros legit fidem impugnantes, nec ad doctum sacerdotem recurrit quando occurrunt dubia contra fidem.

2 *Sess. III*, cap. 3, DENZ.-BANN., 1794 (1642).

3 Cf. VACANT, *Études théol. sur les Constit. du C. du Vatican*, t. II, n. 731-737.

4 *I Cor.*, XIII, 9-10, 12.

sunt : non enim adhuc fruuntur visione beaticâ et proinde retinent habitum fidei; actus vero fidei quos eliciunt non sunt meritorii, quia tempus merendi intra limites vitæ terrestris coarctatur.

369. 3° *Dæmones et damnati actum fidei proprie dictum* seu supernaturalem *elicere non possunt*, quia sunt incapaces tùm gratiæ actualis, tùm piæ voluntatis; credunt tamen et contremiscunt, ut ait *S. Jacobus*[1], coacti scilicet evidentiâ credibilitatis mysteriorum Dei.

ART. III. DE FORMULIS FIDEI SEU DOGMATIBUS.

370. Hìc per *dogmata* intelligimus veritates tùm fidei simpliciter, tùm fidei catholicæ, non tantum in se consideratas, sed etiam in *formulis* quibus exprimuntur. Hujusmodi dogmatum tùm *naturam* tùm *profectum* perverse explicârunt *Modernistæ* : unde maximi refert contra illos paulo fusius exponere *in quo consistant* dogmata et *quomodo crescant*.

§ I. De naturâ dogmatum.

I. **Systema Modernistarum.** In eo *concordant* Modernistæ quod, agnosticismi labe infecti, valorem intellectualem dogmatum negant; in eo *differunt* quod alii symbolismum, alii pragmatismum adhibent in efformandâ notione dogmatum.

371. 1° Juxta **Symbolistas** (*A. Loisy*, *G. Tyrrell*), fides : **a**) est *principaliter* sensus quidam religiosus in subconscientiâ ex indigentiâ divini oriens : quod est elementum absolutum et immutabile dogmatis; **b**) *secundario* consistit in *formulis dogmaticis* sensum religiosum exprimentibus et foventibus, priùs modo simplici ac vulgari, posteriùs modo reflexo et distinctiori : quæ formulæ, etiam cogitatione et scientiâ elaboratæ, imo et ab Ecclesiâ definitæ et sancitæ, non sunt nisi *symbola* apta ad communem conscientiam divini exprimendam et ad sensum religiosum fovendum, et exinde veritatem absolute non exprimunt.

372. 2° Juxta **Pragmatistas** (*E. Le Roy*), sub formulis dogmaticis latent objectivæ realitates, quæ non debent definiri, ne anthropomorphismus incurratur, sed potiùs intelligi

[1] *Jacob.*, II, 19.

in ordine *ad actionem*. Unde in quolibet dogmate duplex sensus distingui debet : prior *negativus*, quo damnantur errores ideoque præcluduntur falsæ viæ doctrinam catholicam exponendi; posterior *positivus*, qui tamen non in ordine cognitionis est intelligendus, sed in ordine ad actionem, quatenus nobis imponit *modum sentiendi, cogitandi et agendi*. Ita dogma præsentiæ realis Christi in Eucharistiâ *negat* hanc præsentiam esse mere symbolicam aut figurativam, et insuper *affirmat* fidelem relate ad hostiam consecratam se habere debere sicut ad Christum ipsum visibilem factum.

373. II. **Thesis catholica.** *Dogmata catholica sunt veritates objectivæ credendæ, i. e. veritates exprimentes res divinas, prout in se sunt saltem analogice.* Certum est.

A) *Scripturâ* quæ nos docet : **a)** Filium Dei nobis revelâsse veritates priùs in Deo absconditas : " Deum nemo vidit unquam : Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit [1] "; dantur itaque veritates e cælo delapsæ quas *auditu* discere valemus; **b)** his veritatibus assentiendum esse intellectualiter : " Euntes in mundum universum, ait Christus ad Apostolos, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur [2] ". Evangelium autem, quale traditur ab Apostolis, imprimis a S. Paulo, non continet tantùm veritates practicas, sed etiam speculativas, ut doctrinam de necessitate fidei et caritatis, de gratiâ Dei per Christum concessâ, de divinitate Christi ejusque sacerdotio et opere satisfactorio. Quare fidem exhibet ut obsequium intellectûs, cognitionem imperfectam, per speculum et in ænigmate, sed quæ augeri potest et compleri per illuminationes donorum Spiritûs sancti [3].

374. B) *Traditione*, imprimis : **a)** ex damnatione hæreticorum qui ab Ecclesiâ ejecti sunt, plerumque saltem, non propter eorum agendi rationem, sed quia *sensum traditionalem* adulterabant, v. g., negando veram et integram humanitatem Christi, divinitatem Verbi, divinam

---

[1] *Joan.*, I, 18. — [2] *Marc.*, XVI, 15-16.
[3] *Rom.*, VI, 17; *I Cor.*, II, 6; III, 2; XIII, 12; *II Cor.*, X, 5; *Ephes.*, II, 2; V, 6; *Coloss.*, I, 10; II, 4; III, 16, etc.

maternitatem Mariæ, etc.; b) ex modo quo præparantur et enuntiantur formulæ dogmaticæ : ita, ad perfectam æqualitatem Filii et Patris exprimendam, vocabulum quærit Ecclesia et tandem eligit, nempe ὁμοούσιος, cui sensus maxime positivus attribuitur ut sit deinceps norma non solum agendi, sed, et primario, cogitandi et credendi; c) ex recentioribus *S. Sedis* declarationibus : *symbolicam* enim theoriam damnavit *S. Officium*, decreto *Lamentabili:* " Dogmata quæ Ecclesia perhibet tanquam revelata, non sunt veritates e cælo delapsæ, sed sunt interpretatio quædam factorum religiosorum, quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit [1] "; *pragmatica* vero dogmatum interpretatio ita reprobatur : " Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo juxta sensum practicum, id est, tanquam norma præceptiva agendi, non vero tanquam norma credendi [2] ". Insuper, in professione fidei jussu *Pii X* emittendâ, profiteri debemus ut ab Ecclesiâ definitum fidem esse " *verum assensum intellectûs veritati extrinsecus acceptæ ex auditu*, quo nempe, quæ a Deo personali, Creatore ac Domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis [3] ".

375. **Notandum est** ad thesim nostram apprime intelligendam quod : a) inter veritates credendas computantur tùm *facta historica*, quæ univoce et sensu obvio accipi debent, qualia sunt, v. g., Christus natus est ex Mariâ Virgine, passus, crucifixus, mortuus et sepultus; tùm *mysteria divina* quæ *analogice* intelligi debent, juxta *Vaticanum* [4] *:* " Ratio quidem, fide illustrata... aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam, assequitur tum *ex eorum quæ naturaliter cognoscit analogiâ* "...; et sic inter duos excessus anthropomorphismi et agnosticismi media stat doctrina catholica [5]; b) verba quibus enuntiantur dogmata sumi debent sensu quem exigunt adjuncta historica definitionis et interpretatio communis fidelium et theologorum; explicatio autem *philosophica*, quæ nihil aliud est quam penitior et explicitior propositio dogmatis, maxime reverenda est et sedulo tenenda : quæ tamen, si non est communis inter theologos, libera est.

---

[1] DENZ.-BANN., 2022, Decret. *Lamentabili*, 22.
[2] DENZ.-BANN., 2026. — [3] *A. A. S.*, II, p. 670.
[4] *Sess. III*, cap. 4, DENZ.-BANN., 1796 (1644).
[5] Lege ac meditare *Sum. th.*, 1ª p., q. 13.

§ II. De incremento dogmatum.

376. **Prænotanda.** Duas epochas distinguere oportet : a) unam quæ ab Adamo usque ad Christi et Apostolorum ætatem inclusive se protendit, b) alteram ab Apostolis, id est, a morte S. Joannis, ultimi Apostolorum, usque ad nos.

1° **In primâ epochâ,** *fidei articuli creverunt simpliciter*, seu successive revelatæ sunt novæ veritates; ac, præter hoc incrementum quantitativum, *contigit etiam qualitativum incrementum* quoad veritates jam revelatas, quæ clarius et explicitius manifestabantur. Scilicet : a) ab initio, Adamo innocenti existentia Dei auctoris ordinis supernaturalis et specialis ejus Providentia circa hominum salutem fuerunt revelatæ; b) ab Adamo ad Moysen, patriarchis promissio alicujus Redemptoris fuit subobscure iterata, dùm præcepta et ritus eis injungebantur tum ad servandum monotheismum, tum ad præfiguranda quædam ex mysteriis postea revelandis; c) per Moysen et Prophetas prævaluerunt notiones clariores circa Deum ejusque attributa, Redemptionem et promissi Messiæ regnum; d) tandem christiana revelatio mosaicam mirifice perfecit, Deum manifestando ut Patrem nos redimentem a servitute peccati per Filium incarnatum atque nos indesinenter sanctificantem per Spiritum sanctum.

Dici tamen potest omnia dogmata jam contineri in duabus veritatibus ab initio revelatis : etenim *esse divinum* quasi contrahit et implicite dicit omnia mysteria essentiæ et vitæ divinæ, et *in divinâ Providentiâ* includuntur omnia quæ temporaliter a Deo dispensantur circa hominum salutem.

2° **In secundâ epochâ,** *nempe a completâ ætate apostolicâ, dogmata sub uno respectu immota manserunt, sub altero respectu profecerunt.*

I. *De stabilitate dogmatum.*

377. **Thesis :** *Revelatio divina ita ætate apostolicâ completa est, ut post ætatem apostolicam, nulla nova revelatio publica possit exspectari.* De fide est catholicâ ex universali Ecclesiæ prædicatione. Constat.

A) *Script.* quæ : a) opponit Veteri Testamento Novum ut imperfecto et inchoato perfectum et consummatum[1];

---

1 *Heb.*, VIII, 7, 13.

vocat Novum testamentum " regnum immobile[1] "; proponit sacerdotium ut intime connexum cum œconomiâ religiosâ et dicit simul novæ legis sacerdotium manere in æternum et esse *sempiternum*[2]; unde satis apparet novam œconomiam non esse instituendam, quidquid dixerunt *Montanistæ*, *Manichæi*, *Fraticelli* et *præcones evangelii æterni* in Medio Ævo, *Anabaptistæ*, *Swedenborgiani* et *Irwingiani* inter Protestantes; b) inducit Apostolos qui didicerant " omnem veritatem[3] " a Spiritu sancto, eorumque successores tantummodo dogmatum jam revelatorum *custodes* et *expositores* : " *Formam* habe sanorum verborum *quæ a me audisti*... O Timothee, *depositum* custodi[4]... " Unde in novi Testamenti œconomiâ non sunt exspectandæ novæ publicæ revelationes, quidquid contendunt *Liberales* et *Modernistæ*.

378. B) *Traditione.* a) Primis Ecclesiæ sæculis jam expresse credebatur nil addi posse doctrinæ ab Apostolis traditæ, ut constat ex testimoniis *S. Clementis Rom.*, *S. Ignatii*, *S. Polycarpi*, et imprimis *S. Irenæi* dicentis : " Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesiâ sumere, cùm Apostoli, quasi in depositarium dives, *plenissime* in eâ contulerint *omnia* quæ sint veritatis[5] ". b) Fuit semper praxis Ecclesiæ nunquam appellare ad novas revelationes ad hæresim damnandam aut dogma definiendum, sed inquirere quid hâc de re in Scripturâ vel apostolicâ Traditione contineretur[6] c) *Vaticanum* luculenter et expresse : " Neque enim Petri successoribus Spiritus sanctus promissus est, ut eo revelante *novam* doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente *traditam* per Apostolos revelationem seu *fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent*[7] ".

II. *De profectu dogmatum.*

379. Errores. a) Plerique *antiqui Protestantes* negârunt omnem dogmatum progressum etiam accidentalem. b) E

[1] *Heb.*, XII, 27-28. Quod confirmatur ex dictis de Ecclesiæ indefectibilitate (241).
[2] *Heb.*, VII, 11 sq. — [3] *Joan.*, XVI, 12-13; XIV, 26.
[4] *II Tim.*, I, 13; *I Tim.*, VI, 20.
[5] *Adv. Hæres.*, l. III, c. 2-4; l. IV, 26.
[6] Cf. Denz.-Bann., 46 (14); 212 (171); 220, 221 (179, 180).
[7] *Sess. IV*, cap. 4, Denz.-Bann., 1836 (1679).

contra *Semi-rationalistæ*, duce *Gunthero*, talem progressum admittunt, ut, scientiarum et philosophiæ ope, dogmatum sensus haberi possit alius ab eo quem antiquitus Ecclesia definierat. **c**) Longiùs procedunt *Modernistæ* : 1) juxta *Symbolistas*, formulæ dogmaticæ, etiam ab Ecclesiâ definitæ, cùm veritatem absolute non expriman*t*, immutabiles esse nequeunt, sed perpetuâ evolutione immutantur : ut autem novæ formulæ veræ sint, sufficit ut religioso sensui indesinenter in animâ manenti respondeant : immo formulæ quas publicum magisterium aptas ad communem conscientiam exprimendam judicaverit, cum reverentiâ sane accipi debent, sed a credente adhibendæ sunt quatenus ipsum juverint ad sensum religiosum fovendum; 2) juxta *Pragmatistas*, immutabilis est quidem *practica directio* quam dogmata tradunt, sed mutabiles omnino sunt conceptus intellectuales quibus exprimuntur[1].

380. 1° **Thesis Ia** : *Progressus dogmatum non in eo consistit ut eis sensus tribuendus sit alius ab eo quem intellexit Ecclesia.* De fide est ex *Vaticano* ; " Si quis dixerit fieri posse ut dogmatibus ab Ecclesiâ propositis aliquando secundum progressum scientiæ sensus tribuendus sit alius ab eo quem intellexit et intelligit Ecclesia, A. S.[2] "

381. Et merito ita solemniter damnavit *Vatic.* theoriam Guntherianam quæ : **a**) divinum depositum concipit ut philosophicam doctrinam humanis ingeniis perficiendam, **b**) magisterium ecclesiasticum transfert ab Episcopis ad philosophos, ita ordinem hierarchicum a Christo institutum evertens, **c**) fidem rationi subjicit, **d**) evertit infallibilem auctoritatem Ecclesiæ, cùm, juxta *Guntherum*, sensus ab Ecclesiâ definitus tandem desinat in errorem. Cavendum est igitur, et quidem maxime, ab iis *Rationalistis* et *Modernistis*, qui, sub prætextu progressûs et criticæ, dogmata intelligere volunt sensu altiori et profundiori quam ab Ecclesiâ hactenus fuere intellecta.

382. 2° **Thesis IIa** : *Progressus genuinus dogmatum in eo consistit quod uberior et clarior præbeatur eorumdem explicatio.* Certum est ex *Vaticano* dicente : " Crescat et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapien-

---

[1] " Ce qui est invariant dans un dogme, c'est l'orientation qu'il donne à notre activité pratique... Mais les théories explicatives, les représentations intellectuelles changent incessamment au cours des âges selon les individus et les époques. " LE ROY, *Dogme et Critique*, p. 33-34.

[2] *Sess. III*, can. 3, De fide et ratione, DENZ.-BANN., 1818 (1665).

tia; sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eâdemque sententiâ[1] ".

Et sane : a) in fontibus revelationis veritates quædam obscure tantùm et implicite continentur : quod Deus sapientissime ordinavit ut homines inducerentur ad intensius mentem suam revelationi applicandam, spe novos aspectus in profunditate depositi christiani reconditos detegendi; b) Ecclesia autem jus habet ea quæ obscura et implicita sunt dilucide et diserte definiendi (*Tract. de Eccles.*, n. 252), et hoc munus a primis sæculis exercuit. Ita : 1) regulam *fidei* catechumenis impositam decursu temporum ampliavit; 2) in *conciliis* præsertim œcumenicis, novis formulis clarius definivit consubstantialitatem Verbi, divinitatem Spiritûs sancti, B. Mariæ divinam maternitatem, etc. Jamvero, si in dogmatibus maximi momenti aliquod fuit incrementum, nonne etiam majus exspectandum est in illis fidei veritatibus quæ sunt veluti consectaria fundamentalium dogmatum, v. g., quoad cultum Christi, B. Virginis et Sanctorum, quoad Sacramentorum elementa et efficaciam, etc.

383. 3° *Hæc autem explicatio fit triplici modo :*

a) *Lucidâ* et *scientificâ propositione* eorum quæ antea quidem *explicite* credebantur, sed *obscure* et *modo* populari. Sic mysterium SS. Trinitatis primùm obscure traditum fuit sub hâc generali formulâ : " Credo in Deum Patrem, et Filium et Spiritum sanctum "; dein Ecclesia successive definivit Filium Patri esse consubstantialem, Spiritum Sanctum una cum Patre et Filio esse adorandum, Filium a Patre procedere per viam generationis, Spiritum Sanctum ab utroque procedere, etc.

b) *Explicitâ propositione* eorum quæ nonnisi *implicite* in fontibus revelationis continentur : hìc habetur major progressus, nempe ex fide implicitâ ad fidem explicitam, et quidem quoad veritates quæ non sunt explicite credendæ de necessitate salutis. Ita, ex eo quod in Christo duplex est natura, divina et humana, concluditur in eo esse pariter duplicem voluntatem.

c) *Disertâ* et *certâ propositione* eorum quæ *obiter*, aut *praxi* tantum edocta fuerant, vel *in dubium* revocata : hic progressus valde affinis est præcedenti, nec proinde competit nisi veritatibus secundariis quas explicite credere ne-

[1] DENZ.-BANN., 1809 (1647).

cesse non est. Ita, v. g., validitas baptismi ab hæreticis collati non fuerat quidem ab initio diserte tradita, sed ortâ inter S. Cyprianum et S. Stephanum controversiâ, res explicite definita fuit.

Controvertitur autem utrum necne progressus fieri possit veritates *virtualiter tantum revelatas definiendo*, ita ut hæ de fide divinâ credi possint ac debeant. De quâ controversiâ jam supra n. 320 sq. dictum est.

384. 4° *De causis et occasione hujus profectûs.* a) Progressûs dogmatici *causa principalis* et invisibilis est *assistentia Spiritûs Sancti*, juxta promissum Christi : " Ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis[1] ".

b) *Causæ secundariæ* sunt : 1) *investigatio studiosa theologorum*, quâ, ope Scripturarum, Patrum et Conciliorum, philosophiæ et humanarum scientiarum, sed dirigente et corrigente Ecclesiâ, cælestis doctrinæ puncta lucidius et explicitius intelliguntur; 2) *fidelium devotio*, præsertim in iis quæ ad cultum spectant; quæ tamen externo Ecclesiæ magisterio dirigi debet, secundum hæc verba *Leonis XIII*[2]: " Sancti Spiritûs admonitiones et impulsiones plerumque non sine quodam externi magisterii adjumento ac veluti comparatione persentiuntur ".

385. c) Inter *occasiones*, quæ ad dogmatum profectum conferunt, recenseri debent : 1) *hæreses*, quibus ortis, juxta *S. Augustinum*[3], veritates fidei " et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius prædicantur "; 2) *profectus naturalium disciplinarum*, *præsertim philosophiæ*, quorum ope accuratius exponuntur veritates revelatæ : ita *transsubstantiationis* notio elucidatur distinctione inter substantiam et accidentia. 3) Pariter definitioni infallibilitatis Pontificiæ viam paravit *socialis evolutio*, vi cujus in dies augetur centralis Imperii civilis auctoritas, ad unionem servandam inter dissitas reipublicæ partes.

---

[1] *Joan.*, XIV, 26.
[2] Litt. apost. *Testem benevolentiæ*, 22 Jan. 1899.
[3] *De civit. Dei*, l. XVI, c. 2, n. 1, *P. L.*, XLI, 477; cfr. *De dono perseverantiæ*, c. XX, n. 53, *P. L.*, XLV, 1026.

§ III. De habitu inter dogmata et theologiam.

386. Assensum præbendo veritatibus a Deo revelatis, aliquam cognitionem veritatum fidei adipiscimur, quæ ad salutem plane sufficit. Sed, præter hanc simplicem intelligentiam, datur explicitior et magis methodica rerum divinarum cognitio, quæ *theologia* dicitur. Ut hæc scientia proficiat, uti debet fontibus propriis, nempe *fontibus theologicis*, necnon methodo propriâ seu *methodo theologicâ*.

I. *De fontibus theologicis.*

387. Theologia utitur imprimis et *potissimum* duobus fontibus revelationis alibi descriptis (n. 275 sq.), nempe *Traditione* et *Scripturâ :* ibi enim inveniuntur dogmata quæ exponere et probare debet theologus. Cùm autem *conclusiones* e veritatibus revelatis deducat, variisque analogiis illustret, ope *philosophiæ*, *historiæ* et *scientiarum naturalium*, tres sunt *subsidiarii* fontes theologici : *philosophia*, *historia*, *scientiæ quædam naturales.*

388. 1° **De usu philosophiæ in theologiâ.** Philosophia, quam hic sumimus *sensu lato* pro quolibet rationis exercitio in rebus suprasensibilibus, *theologo utilis est eique multa præbet argumenta.*

Quatuor præsertim præstat : A) *Fidei fundamenta demonstrat :* tria enim fides supponit, nempe Dei existentiam ac veracitatem, alicujus religionis necessitatem, nec non christianæ religionis atque Ecclesiæ catholicæ veritatem; porro philosophia ad hæc demonstranda non parum confert.

B) *Aliquam mysteriorum intelligentiam præbet :* a) *modo distinctiori* nobis proponendo veritates revelatas ope legum criticæ et hermeneusis, v. g., mysteria SS. Trinitatis et Transsubstantiationis; b) mysteria *illustrando analogiis* ex rebus naturalibus desumptis; c) *comparando inter se* mysteria ipsa, Trinitatis, v. g., et Incarnationis.

C) *Veritates divinitus traditas tuetur* contra adversarios: quod præstari potest dupliciter, ostendendo videlicet ea quæ opponuntur vel esse falsa, vel saltem non necessaria.

D) *Theologiæ præbet naturam et indolem veræ scientiæ;* siquidem : a) Philosophiâ duce, dogmata *probamus* argumentis auctóritatis in suo pleno robore expositis; b) Logicæ ope, multas *conclusiones deducimus* tum ex principiis revelatis, tùm ex principiis naturalibus; c) ope Logicæ et Ontologiæ, has *conclusiones coordinamus* et in unum veluti corpus colligimus; d) ratio, fidei lumine adjuta, *convenientias invenit* inter dogmata revelata et sanæ philosophiæ principia, ex quibus non parum illustratur fides nostra.

389. **Notanda :** A) Philosophia, ut pretiosis hisce fructibus afferendis par inveniatur, excolenda est : a) *sobrie*, ita ut refugiat majora se scrutari ac veritates ordinis supernaturalis vi propriâ metiri, incognita pro cognitis incertaque pro certis habere, nimiam operam in res obscuras, difficiles et non necessarias conferre; b) *recte*, seu ad normam tùm fidei, tùm principiorum perennium sensûs communis et traditionalis metaphysicæ, tùm logicalium regularum. Ita nulla erit vera dissensio inter fidem et rationem. Si enim aliquando *apparet* contradictio, id oritur sive ex *culpâ theologorum* qui tanquam de fide habent ea quæ revera non sunt de fide, ut in noto casu Galilæi, sive *ex culpâ philosophorum* aut etiam *scientiæ cultorum* qui *meras hypotheses* pro indubiis factis et inductionibus exhibent.

B) Hæc autem sapienter philosophandi ratió acquiretur : a) revolvendo opera S. Thomæ Aquinatis qui " tàm accuratâ disserendi ratiòne, tantâ proprietate sermonis præcellit ut facultatem imitandi posteris reliquisse, superandi potestatem ademisse videatur[1] "; b) sedulò accipiendo "quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum[2] "; c) sed simul cavendo ab omni *philosophiâ* quæ *agnosticismum*, *phænomenismum* aut *subjectivismum* propugnat : istis enim systematibus evertuntur simul fundamenta fidei et rationis.

390. 2° **De usu historiæ in theologiâ.** Historia theologo haud parum prodest, quatenus facta refert sive religiosa, sive profana cum religiosis connexa, quæ ad demonstrationem aut lucidiorem expositionem religionis catholicæ conferunt.

A) *Historia profana* prodest : a) ad probandam necessitatem religionis (n. 48); b) ad demonstrandam credibilitatem reli-

---

[1] LEO XIII, *Litteræ apostolicæ de S. Thomâ Aq. Patrono studiorum*, 4 Aug. 1880.
[2] Encycl. *Æterni Patris*, ed. Desclée, p. 112.

gionis christianæ : 1) confirmatione et elucidatione factorum a sacris auctoribus relatorum; 2) adjunctione novorum historicorum argumentorum; 3) comparatione religionis christianæ cum aliis religionibus quæ in mundo prævaluerunt aut etiam hodie vigent; c) ad confirmanda quædam e dogmatibus christianis, ut lapsum protoparentum, sacrificii et Redemptionis necessitatem.

391. B) Historia *ecclesiastica* magis etiam prodest, quatenus nobis exhibet qualis fuerit Ecclesiæ fides in variis temporibus, describitque religionis christianæ originem, diffusionem, efficaciam in instaurandis societatibus civilibus, indefectibilitatem in persecutionibus superandis, dogmatum progressum, hæreseon causas, incrementa et exstinctionem, mores atque usus fidelium : ex his enim argumenta certa aut probabilia deduci possunt quoad præcipua fidei dogmata.

Sed artis criticæ regulis sedulo attendendum est, tum ut genuina documenta ab apocryphis secernantur, tum ut varia historicorum testimonia simul conferantur eorumque auctoritas expendatur.

Nunc de præcipuis documentis pauca.

392. a) Quoad *Acta Martyrum*, quæ in editione criticâ [1] legenda sunt, Martyres, in suis responsis coram judicibus, ut *fidei testes* merito habentur. Si igitur *omnes fere consentiunt* in quædam dogmata affirmanda, v. g., divinitatem Christi, æternitatem pœnarum inferni etc., invictum habetur christianæ fidei argumentum.

393. b) Quoad *Archæologiam sacram* seu scientiam rerum antiquarum vel monumentorum veterum ad res sacras spectantium [2], notandum est quod omnia hæc monumenta (ædificia, imagines sculptæ aut depictæ, mobilia et utensilia, numismata et inscriptiones), sæpe vividiori luce percellunt animos quam libri scripti, quia vitam religiosam veterum Christianorum, ideoque eorum fidem oculis subjiciunt. Expedit tamen ut, ad meliorem horum monumentorum intelligentiam, plurima comparentur, simulque legantur quæcumque Patres de eisdem scripserunt : sic enim non solum probabile, sed aliquando certum erui potest argumentum, quando videlicet tot sunt testimonia de uno et eodem dogmate, ut

---

[1] Cf. VACANT, *Dict. de théol.*, vocabulo *Actes des Martyrs;* H. LECLERCQ, in *Dict. d'Archéol. chrét.*, t. I, p. 373 sq.

[2] Cf. H. LECLERCQ, *Manuel d'archéologie chrétienne;* DOM CABROL, *Dict. d'Archéologie chrétienne.*

negari non possit hoc ab universali Ecclesiâ creditum fuisse [1].

394. c) *De historiâ dogmatum.* Ad intelligentiam theologiæ, multum etiam confert historia dogmatum. Adest enim quidam progressus in veritatum fidei expositione, (n. 381) quatenus veritates quæ primum implicite et obscure propositæ fuerant, decursu temporum, sive occasione hæreseon, sive applicatione philosophiæ ad theologiam, magis explicite ac diserte declarantur. Unde est valde utile hunc processum historicum cognoscere tum ad melius intelligendam cujuslibet dogmatis expositionem, tum ad perfectiorem confutationem sive Rationalistarum, qui contendunt catholica dogmata, humanorum systematum more, naturaliter orta esse ac crevisse, sive Protestantium, qui asserunt multa ex dogmatibus nostris esse corruptelas doctrinæ apostolicæ inconsiderate superadditas.

395. d) Idem dic de *historiâ hæreseon.* Hæretici enim duplici modo testes esse possunt fidei in Ecclesiâ vigentis : 1) quoad dogmata quæ *impugnant :* si enim a sinu Ecclesiæ ejecti sunt ob aliquam doctrinam, jam invictum habemus argumentum fidei quæ tunc temporis communiter accipiebatur; 2) quoad dogmata quæ *retinent;* nam si, post secessionem ab Ecclesiâ, articulos invenimus ab hæreticis simul et Catholicis creditos, certum habemus argumentum antiquæ illius fidei, quæ in Ecclesiâ vigebat antequam ab eâ expulsi sunt.

396. 3° **De usu scientiarum naturalium in theologiâ.** Inter naturales scientias, tres sunt quæ theologo præcipue utiles sunt : *geologia,* quæ cum origine et antiquitate mundi connectitur, *biologia,* quatenus vitæ originem, evolutionem ac naturam describit, *anthropologia,* quæ speciatim disserit de iis quæ ad hominem referuntur.

Etenim, non solùm harum scientiarum studio et usu vires nostræ cognoscitivæ acuuntur, sed etiam : **a**) quædam *fidei dogmata* confirmari possunt, v. g., materiæ creatio, Dei providentia etiam in rebus minimis, humanæ speciei unitas, etc.; **b**) comparationes et analogiæ inveniuntur ad dogmata illustranda, v. g., doctrina de vitâ gratiæ elucidatur ex iis quæ de vitâ naturali in *Biologiâ* traduntur; **c**) retunduntur impugnationes physicorum contra catholicam doctrinam.

[1] Ita, v. g., inscriptiones quæ in Catacumbis inveniuntur, simul collatæ, ac Patrum testimoniis corroboratæ, clare ostendunt jam a primis temporibus Sanctos a fidelibus fuisse invocatos, preces fuisse pro defunctis oblatas, ideoque fidem in Purgatorii existentiam jam viguisse.

397. Ut autem theologus recte et efficaciter scientiis naturalibus utatur, hæc attendere debet : **a)** In rebus *mere scientificis* quæ cum dogmatibus catholicis non necessario connectuntur, conclusioni scientificæ *certæ* anteponi non debet probabilis interpretatio Scripturæ. Imo si scientifica hypothesis sit vere probabilis, regulariter non debet biblicis argumentis oppugnari, ne fides irrisioni infidelium inutiliter exponatur; sed si non placet, solummodo propter rationes scientificas rejiciatur.

b) In iis autem quæ essentialiter *cum aliquo dogmate connectuntur*, v. g., si agitur de humanæ speciei unitate, quam necessario supponit doctrina catholica de originali peccato, theologus jus habet argumenta adducendi ex Scripturâ et Traditione, cùm in rebus hujusmodi Ecclesia sit infallibilis. — Nec veritati *fidei catholicæ* anteponi debet *hypothesis* scientifica *mere probabilis*. — Quoad *scientificas difficultates* ab adversariis propositas, expedit quidem eas scientifice solvere, dummodo præsto sint argumenta vere solida; si autem deficiunt eo quod res mature adhuc expendi non potuit, melius est sane nullam afferre rationem quam inanem aut falsam. **c)** Dum theologus *scientificas theorias Scripturarum interprétationi accommodat*, cavere debet ne dogmata fidei ita iis theoriis alliget, ut, his rejectis, ipsa dogmata periclitentur.

II. *De methodo theologicâ.*

398. Methodus in theologiâ sequenda ea est quam *positivo-scholasticam* appellavimus (n. 9), in quâ nempe positiva et historica dogmatum expositio cùm *scholasticâ* eorumdem expolitione harmonice consociatur. Ad quam melius intelligendam, sciendum est tria in theologiâ distinguenda esse : 1° *catholicorum dogmatum* expositionem et probationem; 2° *conclusiones theologicas* e veritatibus revelatis deductas; 3° *systemata* a theologis excogitata ad difficiliores quæstiones solvendas.

399. I. **De modo exponendi et probandi dogmata catholica.** 1° Veritas fidei catholicæ exponenda est secundum *recentiores Ecclesiæ definitiones :* cùm enim quidam sit profectus in intelligentiâ dogmatum, lucidior ac plenior expositio invenitur in recentissimis definitionibus.

Ad quas definitiones recte intelligendas : **a)** magni refert errores cognoscere quibus opponuntur, et idcirco adversariorum libros et Conciliorum acta conferre; **b)** verborum sensus

determinandus est tùm ex significatione receptâ ipso tempore definitionis, tùm e disceptationibus Concilii Patrum et subsequentium theologorum.

400. 2° Cùm autem Ecclesia per suas definitiones aut per suum ordinarium et universale magisterium nobis non proponat credenda nisi quæ in *verbo Dei scripto vel tradito* continentur, alleganda sunt et perpendenda testimonia ex Scripturâ vel ex Traditione [1].

401. A) Quoad *biblica argumenta*, afferantur textus, et quidem quam plurimi, ordine chronologico, ut sic progressus revelationis appareat et efficacius ostendatur inter eos non esse essentialia discrimina; afferantur textus qui contineant thesim sensu *litterali* [2], aut sensu *typico aliunde confirmato*. Si autem textus clare et explicite rem declarant, eos adducere sufficit; si vero nonnisi obscure et implicite, ita elucidari debent ut clare percipiatur thesim in eis contineri. Si vero nonnisi *probabiliter* rem evincunt, id candide asseratur : non enim necesse est singula dogmata apodictice Scripturâ demonstrare.

402. B) *De argumentis ex Traditione.* Hìc sedulo distinguendum est inter documenta quæ, etiam seorsim sumpta, irreformabilia sunt, qualia sunt Symbola fidei et definitiones Conciliorum œcumenicorum aut Pontificum; et ea quæ singulatim sumpta errori sunt obnoxia, qualia sunt decreta Conciliorum particularium aut testimonia Patrum. In priori casu, unum sufficit testimonium clarum ut thesis de fide sit; in posteriori autem, v. g., si agitur de Patribus, theologis, vel de monumentis sacris, non sufficit unum aut alterum testimonium, sed requiruntur tot et talia testimonia ut certo constet veritatem fuisse universaliter creditam in Ecclesiâ.

403. Traditionis autem argumentum duplici modo proponi potest, nempe *viâ descendente*, exhibendo testimonia a primis sæculis usque ad tempus quo res ab Ecclesiâ definita fuit ; et *viâ regressionis* seu *præscriptionis*, regrediendo a definitione ad superiora sæcula.

a) *Viâ descendente* uti expedit quoties testimonia priorum sæculorum ad thesim contra adversarios stabiliendam sufficiunt. Hinc enim apparet quomodo occasione hæreseon, Patres et Concilia explicitiori modo fidem catholicam exposuerint, et ita profectus doctrinæ delineatur. Pariter

---

[1] Potest tamen accidere ut quædam veritas revelata contineatur tantum in *praxi* aut in *sensu* Ecclesiæ.

[2] Ita *S. Thomas*, v. g., in articulis 1 et 2, quæst. 84, 1ª 2æ.

testimonia *ordine geographico* exhiberi debent, ita ut appareant tanquam professiones fidei variarum ecclesiarum africanæ, syræ, alexandrinæ, romanæ, etc.; aut variarum scholarum, ideoque *universalis Ecclesiæ.*

Notetur quod theologus uti potest testimoniis non tantum ad demonstrandum aliquid esse de fide, sed etiam ad confirmanda et illustranda religionis nostræ dogmata quæ aliunde firmiter constant : testimonia enim Patrum, etsi in casu de se insufficientia ad plene statuenda dogmata, ostendunt tamen contra Protestantes, hæc non esse corruptelas recenter inventas. Insuper in Patrum operibus multæ inveniuntur comparationes, analogiæ ac rationes, quibus dogmata vividis coloribus exponuntur, ad majorem fidelium instructionem et ædificationem.

b) Viâ autem *regressionis* seu *præscriptionis* brevius et efficacius proceditur, præcipue quando priorum sæculorum documenta ita obscura sunt ut nonnisi subsequioris ævi testimoniis clara et certa evadant. Quando enim Ecclesia, per longa sæcula, in possessione fuit alicujus dogmatis, quod universim credebatur, merito infertur dogma illud vere a Christo ipso dimanare, eo quod adulteratio est moraliter impossibilis.

404. Quod argumentum specialem vim obtinet, quando veritas, de quâ agitur, *practica* est et *gravissimi momenti*, et non solum ab Ecclesiâ Romanâ, sed etiam a *Græcis schismaticis* et *Orientalibus* sectis tanquam fidei dogma accipitur. Tunc enim mutatio multo difficilior erat, cùm neque Latini a Græcis, neque hi a Latinis, neque Orientales ab utrisque hanc adulterationem accipere voluissent, propter infensissimas quibus laborabant dissensiones. Remanet igitur ut hæc veritas ab ipso Christo originem ducat.

405. (C) *De argumentis convenientiæ.* Expositis ac probatis veritatibus de fide catholicâ, expedit earum intelligentiam quærere variis analogiis et convenientiis : *fides enim quærit intellectum.* Quod ut fiat *pie* et *sobrie*, ad mentem *Vaticani*, hæc animadvertantur : a) analogiæ et convenientiæ ex Patribus et Doctoribus desumantur, in quantum fieri potest : hi enim, Spiritu Dei illuminati, et approbante Ecclesiâ, res divinas magis perspicue contemplati sunt et rectius exposuerunt. Attamen analogias e scientiis modernis mutuari licet (v. g., vitam deiformem e biologiâ illustrare), dummodo dogmata fidei minime a genuino sensu detorqueantur.

b) Præ mente semper habeatur ex analogiis etiam perfectissimis nonnisi conceptum *analogicum* mysteriorum obtineri posse et ex argumentis convenientiæ non demonstrari mysteria fidei, sed tantum ostendi ea quamdam affinitatem præ

se ferre cum rationalibus principiis aut cum altissimis humanæ naturæ aspirationibus.

406. II. **De methodo sequendâ quoad conclusiones theologicas.** A) Veritates fidei catholicæ, semel expositæ et demonstratæ, sunt veluti *principia* ex quibus eruuntur conclusiones theologicæ : has educere et logice ordinare est speciale munus theologiæ, quod immerito negligeretur.

Nam : **a**) ea est *natura humani ingenii* ut in merâ dogmatum expositione sistere non valeat, sed ex eis, analysis et deductionis ope, consectaria eruere nitatur; **b**) quod sane præstiterunt *Patres et Scholastici*, quorum multi consectariis hujusmodi deducendis intenti fuerunt, et quidem non sine magno fidei catholicæ emolumento; **c**) conclusionibus theologicis legitime deductis et logice coordinatis multo melius intelliguntur dogmata revelata : non enim amplius jacent sicut dispersa corporis membra, sed unum efformant corpus doctrinæ.

407. B) *Regulæ sequendæ quoad conclusiones theologicas.* **a**) Veritates revelatæ pro *principiis inconcussis* haberi debent et sunt veluti una e præmissis syllogismi, cujus altera præmissa erit aliqua veritas naturali ratione percepta.

Ut certa sit conclusio, necesse est : 1) ut certa sit propositio naturaliter cognita : hanc itaque mutuari oportet non a systemate philosophico plus minusve probabili, sed a *philosophiâ perenni* quæ omnibus præeminet systematibus; 2) ut *illatio* ipsa, vi cujus conclusio deducitur, sit bona et conformis logicæ regulis. Si alterutra e præmissis probabilis est tantum, conclusio ipsa probabilis tantum erit.

408. **b**) Nec satis est conclusiones theologicas eruere, sed *eas accurate explicare oportet :* 1) opera Patrum et Doctorum attente legendo, easque explicationes colligendo quæ melius inter se et cum aliis veritatibus revelatis cohærent; 2) adhibendo principia philosophiæ christianæ cùm antiquæ tùm modernæ : cùm enim Deus sit auctor rationis simul ac fidei, veritates ordinis supernaturalis sæpe melius intelliguntur ex comparatione cum rebus naturalibus.

409. **c**) Varias tandem conclusiones simulque veritates fidei ita logice disponere oportet ut *unum corpus doctrinæ* constituant.

410. III. **De methodo sequendâ in exponendis systematibus.** Præter conclusiones certas invenire est apud theologos varia et sibi invicem opposita *systemata*, quali sunt, v. g., thomismus et molinismus, scotismus, augustinianismus, etc. Quæ quidem nata sunt ex imperfectione mentis nostræ quæ integram veritatem adæquate non comprehendit, præcipue ubi de divinis agitur, simulque e desiderio plura cognoscendi. Duplex hâc in re excessus vitandus est : **a)** eorum qui, breviter expositis veritatibus de fide catholicâ et conclusionibus certis, maximum tempus terunt in studio systematum, sicuti contigit nonnullis theologis sæculi XIV[i] et XV[i]; **b)** aliorum qui, omnia systemata tamquam inutilia existimantes, ea omnino prætermittunt aut brevius æquo exponunt.

411. *Accurate* igitur, *etsi breviter*, exponenda sunt præcipua scholarum systemata : a) ita enim *melius intelligitur* quousque se extendat *veritas catholica*, et quid sit certum, quid controversum; b) efficacius *præcaventur errores :* v. g., thomismus, a molinistis impugnatus, tutius jansenismum vitat; pariter molinismus, a thomistis impugnatus, a pelagianismo securius arcetur; c) *lucidior obtinetur dogmatum cognitio :* v. g., thomistarum et molinistarum argumenta expendendo, tùm de supremo Dei dominio ejusque supremâ et universali causalitate, tùm de libertatis humanæ exercitio, accuratiorem consequimur notionem.

TRACTATUS V.

DE DEO UNO.

Credo in Deum.

Absolutis ad fidem præambulis, et explicato fidei actu, de *Dei existentiâ*, *attributis* et *operationibus* agendum est.

CAPUT I.

De Dei existentiâ.

Dicemus : 1° de possibilitate ac modo demonstrandi Dei existentiam rationis ope; 2° de argumentis quibus Dei existentia demonstratur; 3° de divinis nominibus.

I. *De possibilitate ac modo demonstrandi Dei existentiam naturali humanæ rationis lumine.*

1° De possibilitate naturalis Dei cognitionis.

412. **Errores.** Nonnulli contenderunt existentiam Dei non posse naturali rationis lumine certo demonstrari; inter quos, *Empiristæ*, *Kantistæ*, *Modernistæ*, *Fideistæ* et *Traditionalistæ*.

a) **Empiristæ**, totam cognitionem nostram restringentes ad sensuum experimenta seu phænomena, inferunt causalitatis principium valere tantùm in ordine phænomenico et consequenter nos vi ipsius non posse assurgere ad causam ontologicam sitam extra et supra phænomena. Ita *Hume*, *Stuart Mill*, *Spencer*, *James*, *Comte*, *Littré*[1].

413. b) **Kantius** tenet quidem principium causalitatis esse necessarium, sed hanc necessitatem sumit ex constitutione nostræ mentis; et ita cum Empiristis denegat huic principio, sicut et omnibus conceptibus, omnem valorem ontologicum. Quare probatio metaphysica existentiæ Dei est mera illusio. Probatur tamen existentia Dei, sed argumento morali : sine Deo, inquit, non staret obligatio moralis nec virtus donari posset felicitate perfectâ in alterâ vitâ : ergo Dei existentia

[1] *Dict. Apol.* (ed. d'Alès), t. I, 968-975.

supponitur et postulatur ut fundamentum morum, ac eo firmiùs a nobis admittitur quo rectiùs vivimus [1].

414. c) Juxta **Modernistas**, qui ad mentem *Empiristarum* simul et *Kantii* philosophantur, ratio humana, utpote phænomena prætergrediendi incapax, assurgere nequit ad Dei existentiam cognoscendam ex creaturis : unde Deus non est objectum scientiæ, sed sensûs (*sentiment*) tantùm, et ita non existit, addit modernista *mere philosophus*, nisi in animâ credentis [2]. Modernista vero *credens* admittit Deum existere etiam *in se*, independenter ab animâ sentiente et affirmante, et de hâc existentiâ se certissimum dicit ex experientiâ individuali, ex cordis intuitu quo immediate attingitur realitas Dei.

Qui autem methodo immanentiæ exclusive utuntur, denegant *rationi* omnem vim attingendi Dei existentiam: unde ut meras subtilitates dialecticas despiciunt argumenta Scholæ et philosophiæ traditionalis qualia exposita sunt a *Platone*, *S. Thomâ*, *Leibnitzio*.

415. d) **Traditionalistæ** *rigidiores* seu *fideistæ* contendunt cognitionem veritatum suprasensibilium et imprimis existentiæ Dei fundari immediate in auctoritate sociali et ultimo in revelatione divinâ : ita *Lamennais* et *Bautain*[3]. — *Mitiores* autem Traditionalistæ dicebant magisterium sociale esse *conditionem* requisitam ad cognitionem claram et certam existentiæ Dei primò accipiendam, postea verò solâ ratione hanc veritatem posse demonstrari. Ita *Ventura*, *Bonnetty*[4], *Ubaghs*, *Laforêt*[5].

416. **Thesis** : *Existentia Dei per ea quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine, certo cognosci potest.* *De fide est*, juxta illud *Vaticani*[6] : " Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine certo *cognosci* non posse, A. S." — Insuper in *Juramento* a Pio X proposito, 1 Sept. 1910, declaratur Deum " certo cognosci, adeoque *demonstrari* etiam posse ".

Etenim : A) *Sapientia*[7] declarat vanos esse, id est stultos (gr. μάταιοι) eos qui Deum ignorant nec ejus existentiam ex ipsius operibus intelligere potuerunt.

---

[1] *Dict. Apol.*, 976-977.
[2] MONTAGNE, O. P., *L'idée de Dieu et la psychologie du subconscient*, in *Revue thomiste*, 1912, pag. 289 sq.
[3] DENZINGER, 1622, 1627 (1488, 1493).
[4] DENZINGER, 1649, 1651 (1505, 1507).
[5] *Dict. de théol. cath.* (*Mangenot*), voce *Dieu*, IV, 808-809.
[6] Can. 1 de Revelat., DENZ., 1806 (1653). — [7] *Sap.*, XIII, 1.

417. B) *S. Paulus* [1] pariter docet Gentiles, qui revelationis lumine carebant, Deum e rebus creatis agnovisse (cognitione nempe *naturali* et *deductivâ*) : " Invisibilia enim ipsius, a creaturâ mundi, *per ea quæ facta sunt*, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas : ita ut sint inexcusabiles, quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt".

418. Definitio autem *Vatic.* dirigitur contra eos qui Dei existentiam nullis firmis argumentis probari dicunt, nec proinde certo cognosci; *directe* igitur attingit non solùm *Empiristas, Kantistas* et *Modernistas*, sed etiam *fideistas* qui docuerunt certitudinem de existentiâ Dei omnino haberi non posse nisi per fidem.

2° De modo quo Deum cognoscere possumus.

419. *Errores.* Post *Anomæos* IV[i] sæc., qui contendebant se perfecte Deum divinamque essentiam in hâc vitâ comprehendere, *Ontologistæ* tenuerunt mentem humanam posse in præsenti vitâ naturali quâdam et directâ visione Deum videre [2]. *Cartesius* autem existentiam Dei inferebat ex ideâ innatâ Dei seu entis summe perfecti.

420. **Thesis I[a]** : *Intellectus humanus non potest, in hac mortali vitâ, Deum in se naturaliter intueri. Certum est contra Ontologistas.*

A) *Scriptura* enim : **a)** Deum perhibet ut Regem immortalem et *invisibilem*, qui lucem inhabitat *inaccessibilem*, quem *nullus* hominum *vidit*, sed *nec videre potest* [3] : atqui hæc verba generalia sunt, et excludunt visionem non tantum per oculos corporeos, sed etiam per intellectum, cùm ratio assignata sit ipsa eminentia naturæ divinæ quæ omnibus hominibus est prorsus inaccessibilis; **b)** asserit insuper Deum solum seipsum videre, ita ut nemo ipsum cognoscere valeat prout in se est nisi per revelationem supernaturalem : " Deum nemo vidit unquam, Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit [4] " : quibus verbis excluditur naturalis Dei visio.

---

[1] *Rom.*, I, 19-21.
[2] Ontologismi præcipui defensores fuerunt Malebranche, Gioberti, Ubaghs, Rosmini.
[3] *I Tim.*, I, 17; VI, 15-16.
[4] *Joan.*, I, 18; cf. *Joan.*, VI, 46; *Matt.*, XI, 27.

B) Hinc ex declaratione *S. Officii* (18 Sept. 1861) tuto tradi non potest hæc ontologistica propositio : " Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine eâ nihil cognoscere possit : siquidem est ipsum lumen intellectuale [1] ".

C) Cognitio enim est ad modum cognoscentis; atqui homo est spiritus materiæ unitus; ergo, nedum possit naturaliter Deum, ut in se est, cognoscere, impar est etiam spiritui puro creato contemplando in suâ propriâ naturâ. Ceterum quælibet creatura, etiam quam perfectissima, naturaliter est incapax intuendi essentiam divinam quæ est ipsum esse subsistens : creatura enim essentialiter coalescit ex essentiâ et esse realiter distinctis. — Ex *Actis* tamen *Concilii Vaticani* constat Patres canone supra citato, n. 416, noluisse directe *Ontologismum* proscribere, imo emendationem rejecerunt, quâ condemnabatur, "quia, inquit Relator, gravissimum hoc systema ontologismi non potest quasi accidentaliter et incidenter pertractari [2] "; indirecte tamen attingitur Ontologismi forma, quæ negat Deum e rebus creatis naturali rationis lumine certo cognosci posse.

421. **Thesis IIa** : *Prima Dei cognitio est quidem nobis aliquo sensu congenita, non tamen stricto sensu innata, sed vere acquisita.* Ita *communiter contra inneistas*.

Prob. Ia pars, scilicet primam, non verò reflexam et scientificam, cognitionem Dei esse nobis *quadamtenùs congenitam.*

a) Hoc satis innuit Scriptura quando dicit invisibilia Dei esse *manifesta* hominibus, *videri*, *intelligi*, *conspici* [3] ab eis, eos esse *vanos* [4] quibus non subest scientia Dei. Quæ quidem verba significant cognitionem deductivam Dei esse nobis facilem et planam, in mente cujuslibet sanâ ratione et bonâ voluntate præditi sponte et quasi naturaliter oriri, " in quantùm per principia nobis innata de facili percipere possumus Deum esse [5] ". b) *Confirmatur* ex hoc quòd generatim non meminimus horæ quâ primo Deum cognovimus.

---

1 DENZ-BANN., n. 1659 (1513); Cf. *ibid.*, 1891 sq. (1736), ubi inveniuntur ROSMINII propos. damnatæ.

2 *Acta C. Vatic.*, p. 128. — 3 *Rom.*, I, 19-21. — 4 *Sap.*, XIII, 11.

5 S. THOMAS. *In Boet. de Trin.*, procemium, q. 1, a. 3, ad 6. Sponte ergo menti nostræ innascitur idea Dei ex aspectu mundi sub lumine rationis principiorum, non vero ex solâ subsconscientiâ. Cf. MONTAGNE, *loc. cit.*

422. *Prob. 2ª pars*, scilicet hanc Dei cognitionem *non esse stricto sensu innatam*, *sed acquisitam*.

Nonnulli quædam Patrum testimonia sensu Cartesiano intellexerunt, ut *Thomassinus*, *Klee*, *Staudenmaier*, *Kuhn*. Sed perperam, ut apparet ex contextu ipso textuum a Kuhn allatorum. Ita *Clemens Alex.* revera docet Dei cognitionem esse *insitam citra institutionem*, sed id explicat paulò antea dicens : " Cùm sit manifesta divina providentia ex aspectu omnium, quæ videntur, effectorum[1] ". Ceterùm a nativitate mens hominis est potentia pura quæ successive actuatur speciebus intelligibilibus ex rebus sensibilibus et phantasmatibus abstractis, ut deinde valeat per ratiocinium ad res spirituales et divinas assurgere.

423. Nequit tamen Cartesianismus censurâ theologicâ inuri. Siquidem in *Vaticano*, Relator declaravit textum propositum non trahere damnationem argumenti *S. Anselmi* et hâc declaratione adduxit Patres Cartesiano argumento faventes ad suum suffragium conferendum [2].

424. **Thesis IIIª** : *Intellectus humanus, in hâc mortali vitâ, Deum indirecte et analogice cognoscit per causalitatem, remotionem et eminentiam.*

Et 1° viâ *causalitatis;* est enim nobis a naturâ insitum, ut viso aliquo effectu, causam ejus investigare incipiamus; inspecto igitur mundo, concludimus aliquam esse *causam primam*, quæ illum creaverit; insuper ex cognitione perfectionum, quæ creaturis insunt, aliquid de *naturâ et perfectione causæ* a quâ procedunt cognoscere valemus, sicut ex inspectione picturæ nonnullas pictoris qualitates merito concludimus [3].

2° Viâ *remotionis*, quatenus omnes creaturarum imperfectiones removemus a Deo; hoc modo dicimus Deum esse *infinitum*, seu nullis limitibus circumscribi; *simplicem*, id est, omnem compositionem excludere; *immutabilem*, id est, nulli mutationi obnoxium esse [4], etc. Notandum est tamen illis negationibus verissimas perfectiones includi, v. g., dum negamus Deum spatio circumscribi, ejus omnipræsentiam et immensitatem affirmamus, et sic de ceteris.

[1] *Stromat.*, 5, 14, 260; *P. G.*, IX, 15.
[2] *Dict. de théol. cath.* (Mangenot), 840-841; *Dict. Apolog.*, 947.
[3] *Rom.*, I, 20; *Sap.*, XIII, 5. — [4] *Jacob.*, I, 17.

3° Viâ *excellentiæ*, quatenus quidquid perfectionis est in creaturis, hoc *eminentiori* modo Creatori tribuimus; ita, v. g., quia in creaturis est essentia, sapientia, potentia, affirmamus Deum esse superessentiam, supersapientiam et omnipotentiam.

425. **Notetur** tres illos Deum cognoscendi modos simul usurpandos esse, ut non solum ejus existentiam, sed et essentiam atque perfectiones meliori quo fieri potest modo cognoscamus.

426. Dicitur in thesi Deum cognosci *indirecte* et *analogice* : a) *indirecte*, id est, non in se et per se, sed *in* creaturis et *ex* creaturis; b) *analogice*, id est, per notiones quæ eum repræsentant, nec univoce nec æquivoce, sed secundum positivam approximationem aut proportionem : de quo paulo fusiùs dicendum est.

427. **De cognitione analogicâ Dei.** 1) Notiones quæ Deo applicantur sunt *transcendentales*, non quidem sensu Kantiano [1], sed sensu scholastico. Scilicet aliqua notio est transcendentalis quin cesset idcirco esse objectiva, prout falso contendebat Kantius, quando nempe transcendit limites non solùm speciei determinatæ, sed etiam cujuslibet generis etiam supremi, et ita invenitur proportionaliter tantum in quolibet genere.

Sunt autem sex tantum proprie transcendentalia : *ens, res*, *unum*, *aliquid*, *bonum* et *verum*. Sed habentur insuper notiones metaphysicæ, *causæ* scilicet, *intellectûs*, *voluntatis*, quæ, etsi non proprie transcendentales (cùm non inveniantur in omnibus generibus), definiuntur tamen per relationem immediatam ad unum e transcendentalibus : causa scilicet respectu entis cujus est effectrix, intellectus respectu veri quod cognoscit, voluntas respectu boni quod appetit. Hæ notiones, *sic consideratæ*, *participant* transcendentiam entis, veri, boni, et ita applicari possunt Ei qui omne creatum transcendit. Cur enim notio entis, quæ de se nullum limitem includit, non applicaretur enti omnis potentialitatis experti, et consequenter notio intellectûs intellectui qui adæquetur et

[1] Juxta Kantium, inquisitio est transcendentalis quæ fertur non in objecta, sed in modum nostrum ea cognoscendi. (*Critique de la raison pure*, Introduct., 2. 7.)

identificetur huic enti actualissimo? Et ita porro de reliquis notionibus quæ sunt absolute aut respective transcendentales.

428. 2) Sed quomodo hæ notiones possunt Deo applicari? *Non univoce* quidem, cùm Deus non sit in eodem genere ac creatura; *nec* tamen *mere æquivoce*, sed *analogice*, id est, secundum quamdam proportionem, eo nempe modo qui Deo convenit secundum suam naturam. Ita Deus dicitur bonus, quia id quod bonitatem dicimus in creaturis, præexistit in Deo, sed secundum modum altiorem [1]. Cùm enim sit Deus causa creaturarum, inter Deum et creaturas adest quædam similitudo : *omne agens agit sibi simile* [2]; cùm vero Deus sit ratio sufficiens existentiæ *contingentium* creaturarum præcise quia non est ens *contingens*, sed *necessarium*, similitudo inter Deum et creaturas non est univoca, sed analoga.

3) Igitur ope conceptuum analogorum, jure ac merito demonstramus existentiam Dei, ejusque attributorum aliqualem cognitionem positivam et formalem acquirimus [3].

II. *De argumentis quibus existentia Dei demonstratur* [4].

429. Inter varia argumenta, alia dicuntur *physica*, alia *moralia*, alia *metaphysica*. **a**) Prima desumuntur ex factis concretis quæ in mundo conspiciuntur, præcipue ex *ordine* qui in mundo apparet et auctorem maximâ prudentiâ pollentem denotat; necnon ex *ortu vitæ* qui solis viribus naturæ adscribi nequit, sed supremo principio vitali quod Deum vocamus. Quibus argumentis probatur qui-

---

[1] *Sum. theol.*, 1ª p., q. 13, a. 2. — [2] *Sum. th.*, 1ª p., q. 4, a. 3.

[3] Cf. 1, q. 12, a. 12; *C. Gent.*, l. III, c. 49; *in 1 Sent.*, dist. 35, q. 1, a. 1. Ex hoc intelligitur omnino falli *Agnosticos* dum dicunt *Primam Causam* a nobis cognosci non posse : comprehendi quidem, seu perfecte et adæquate intelligi nequit; sed tum ex dictis, tum ex dicendis manifestum est Eam ita cognosci posse, ut a quolibet alio ente secernatur, et appareat esse *supreme intelligens*, et eminenter possidere quidquid perfectionis in creaturis elucet. — Agnosticismi confutationem invenies apud G. W. Ward, *Essays on Theism*; G. J. Lucas, *Agnosticism and Religion*, Baltimore, 1895; A. d'Alès, *Dict. apol.*, voce *Agnosticisme*.

[4] S. Thom., 1, q. 2, a. 3; *C. Gent.*, lib. 1, c. 13, 15, 16, 44; lib. II, c. 15; lib. III, c. 44; *De Veritate*, q. 52, a. 2; *De Potentiâ*, q. 3, a. 5; *Compendium theologiæ*, c. 3; *Physic.*, lib. VII, lect. 2; lib. VIII, lect. 9 sq.; *Metaphys.*, lib. XII, lect. 5 sq.; *Diction. Apolog.*, art. *Dieu.*

dem Deum existere ut Ens relative supremum, a mundo distinctum et in eum influens; non autem ut Ens infinite perfectum, nisi metaphysicæ accedant probationes. b) Argumenta *moralia* desumuntur sive ex *consensu omnium populorum*, qui Ens supremum agnoscunt et colunt, sive ex necessitate *legis moralis* quæ supponit legislatorem supremum cui omnes homines subjiciantur; quibus probationibus jam usi sumus ad demonstrandam religionis necessitatem (n. 20-33). c) Cùm autem hujusmodi argumenta, ut vim scientificam habeant, *metaphysicis* demonstrationibus compleri indigeant, has breviter exponere juvat[1].

Metaphysica argumenta, juxta S. Thomam, desumuntur e rebus mundanis quintuplici modo spectatis : videlicet e rebus *mobilibus* ascendimus ad primum Motorem immobilem; e *causis efficientibus* ad primam Causam efficientem; e *contingentibus* ad Ens necessarium; e rebus *plus minusve perfectis* ad Ens supreme perfectum; e rebus *ordinatis* ad supremum Gubernatorem.

430. Advertendum est hæc argumenta reduci ad unum generalissimum quo Dei existentia concluditur e principio : *Quod est non per se, est ab alio quod est per se.* Sic institui potest hoc argumentum : Experimur entia ordinis cujuscumque, physici scilicet, vegetativi, sensitivi, intellectivi, nasci et mori. Ergo non sunt ex se, sed ab alio qui ex se habet esse, vitam et intellectum.

1° Argumentum ex parte motûs[2].

431. Motus, prout hìc intelligitur, non est solum mutatio localis, sed quilibet transitus de potentiâ in actum, sive in corporalibus, sive in spiritualibus[3]. Unde sic : *Certum est aliqua moveri in hoc mundo. Atqui hic motus supponit primum motorem immobilem;* nam *omne quod movetur, ab alio movetur; et aliunde non est possibile procedere in infinitum in moventibus et motis; ergo est primum movens immobile.* Probatur per partes :

[1] Imo, attente consideranti apparet hæc argumenta physica et moralia reincidere in argumenta metaphysica.

[2] De hoc argumento cf. S. Thom., *Physic.*, lib. VII, lect. 1 et 2; lib. VIII, lect. 9, 12, 13, 23.

[3] Cf. 1a 2æ, q. 9, a. 4; q. 79, a. 4; q. 82, a. 4; q. 105, a. 5.

a) *Certum est aliqua moveri :* experientiâ enim externâ et internâ constat esse motus, non tantùm *locales;* sed et *qualitativos*, qualis est motus ad sanitatem, ad scientiam, ad virtutem; et *quantitativos*, prout est motus incrementi in plantis et animalibus ; et *substantiales*, qualis est generatio et corruptio corporum.

b) *Omne quod movetur, ab alio movetur.* Hoc patet consideranti naturam motûs seu τοῦ *fieri.* Etenim : 1) motus est *unio* successiva diversorum : v. g., quod est hic postea est illic (motus localis), album fit nigrum, intellectus nihil sciens acquirit paulatim scientiam (motus qualitativi). Sed hujusmodi motus non habet *in se* suam essendi rationem : secùs enim elementa *ex se diversa* essent simul *quid ex se unum*, et sic everteretur principium identitatis. 2) Motus, cùm sit transitus rei ex potentiâ ad actum, expostulat omnino rationem essendi extrinsecam quâ hæc res actuetur et determinetur; repugnat enim quòd una et eadem res simul sub eodem respectu in potentiâ sit et in actu, actuata et actuans, seu mota et movens : unde si movetur, ab alio movetur.

c) *Non est possibile procedere in infinitum in moventibus et motis*, seu aliis verbis, non est possibile in infinitum regredi per seriem motorum actualiter et essentialiter subordinatorum. Nam repugnat motum habere suam rationem sufficientem in serie, etiam infinitâ, motorum, qui et ipsi moverentur. Si enim omnes motores recipiunt influxum quem transmittunt, ita ut non sit motor motum dans quin receperit, nunquam erit motus. Ita horologium, etiam cum numero infinito rotarum, non movebitur sine machinâ motrice (*ressort*).

d) Deveniendum est igitur ad primum motorem immobilem non eâ immobilitate potentiæ quæ præcedit motum et imperfectionem importat, sed eâ immobilitate actûs qui non expostulat fieri, cùm jàm sit, — seu ad motorem qui per se agit, et consequenter per se est, est actus purus, et ipsum Esse.

2° ARGUMENTUM EX ORDINE CAUSARUM EFFICIENTIUM[1].

432. Sic proceditur : *Invenimus in mundo causas efficientes sibi invicem subordinatas*, v. g., omnes influxus cosmicos subordinatos qui sunt necessarii ad productionem et conservationem plantæ, animalis, ut generatio, activitas chimica aeris et alimentorum. *Atqui tales causæ supponunt causam primam incausatam.* Nam ex unâ parte impossibile est ut hujusmodi causa sit efficiens suiipsius, quia esset prius seipsâ;

[1] Cf. 1a 2æ q. 104, a. 1 et 2, ubi hæc probatio egregie exponitur.

ex alterâ autem parte, insufficiens est *series* talium causarum sive in lineâ rectâ, sive in lineâ circulari.

In lineâ enim *rectâ*, etiam protractâ in infinitum, prima causa requiritur incausata; nam in causis efficientibus ordinatis, primum est causa medii et medium causa ultimi, ita ut si removeatur prima causa, eo ipso removeantur causæ intermediæ et effectus. — In hypothesi autem lineæ *circularis* duo entia causa et effectus sibi mutuo simul essent. Pone, v. g., circulum quatuor entibus *a*, *b*, *c*, *d* constantem; *a* proxime generat *b; b* generat *c* et *c* generat *d;* ergo *a* remote generat *d;* aliunde *d* in hoc circulo generaret *a;* proindeque *d* simul generaret *a* et ab ipso generaretur : quod repugnat. Ergo constat minor.

Ergo admittenda est, extra seriem causarum efficientium, *causa prima* quæ causam non habeat, seu *causa incausata.* Causa autem incausata eo ipso habet per se esse, est ipsum esse et actus purus : quod merito vocatur Deus.

3° Argumentum ex existentiâ entium contingentium.

433. *Invenimus in rebus quædam quæ sunt contingentia*, id est, quæ *possunt esse vel non esse;* teste enim scientiâ, tempus fuit quo non erant in mundo creaturæ rationales, animalia vel plantæ, quo corpora cælestia non existebant qualia sunt, sed solum in statu nebuloso; aliunde quotidie viventia desinunt esse, proindeque multa sunt entia quæ esse vel non esse, aut etiam hoc vel alio modo esse possint.

Atqui hæc contingentia, quippe quæ non habeant in se rationem sufficientem suæ existentiæ, præsupponunt ens necessarium, a se existens. Hoc autem ens necessarium : **a**) non est collectio entium contingentium, quia multiplicatio contingentium, etiam in infinitum, illa relinquit in suâ contingentiâ; **b**) non est lex intrinseca contingentium, cùm ea lex sit et ipsa contingens ac præsupponat legislatorem; **c**) non est quoddam *fieri* phænomenis subjacens, ut volunt *Bergson* et *Le Roy*, cùm το *fieri*, utpote imperfectum, non habeat in se rationem του esse quo perficitur; — sed est Ens a contingentiâ segregatum, per se necessarium, a se existens et in sæcula sæculorum exstiturum : quod vocamus Deum[1].

---

[1] *Dict. Apol.*, col. 1042-1043.

4° Argumentum e gradibus perfectionis in entibus.

434. Prænotamus perfectiones duplicis esse generis. Quædam non suscipiunt majus et minus, genera scilicet et species præcise sumpta in suo conceptu, v. g., animalitas et rationabilitas, substantia, corpus, etc. In homine scilicet animalitas non est *de se* perfectior quam in leone, licet homo animal sit perfectius ex rationis adjunctione. Aliæ verò perfectiones magis et minus suscipiunt, qualia sunt præcipua transcendentalia, ut esse, unitas, veritas, bonitas [1]. Jamvero argumentum nostrum hisce posterioribus perfectionis gradibus innititur.

Invenitur in rebus aliquid magis et minus bonum, verum et nobile. Ita diverso gradu *bonitatem* habent lapis, arbor, equus, homo; ita per varios gradus nobilitatis increscit *vita* in plantâ, bestiâ, homine; *unitate* præcellit spiritus corpori; in necessariis locupletiora sunt *veritate* principia et conclusiones quam in contingentibus.

Atqui hi varii perfectionum gradus arguunt existentiam alicujus entis summe perfecti, a quo entia imperfecta suum perfectionis limitatum gradum accipiunt.

Nam magis et minus dicuntur de diversis secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid quod est maxime perfectum; ita v. g., quod est tantum partialiter bonum, ita vocatur quia est participatio quædam limitata supremæ bonitatis. Ergo quod est minus in aliquâ perfectione, hanc perfectionem ab alio habet. Hoc autem aliud vel est infinitæ perfectionis, vel non : si prius, habemus intentum; si posterius, hoc aliud, utpote limitatâ perfectione gaudens, suam bonitatem ab alio accepit, et ita deinceps, usquedum perveniatur ad Ens infinite perfectum quod aliis communicet varios perfectionis gradus.

Ergo existit *Ens summe et infinite perfectum.*

Hoc argumentum toto cælo distat ab argumento *Anselmiano* : in hoc enim consideratur solummodo *idea* entis perfecti, et fit transitus de ordine ideali ad realem : quod logicum non est. S. Thomas vero proficiscitur a *realibus* perfectionis gradibus, ideoque reale Ens perfectum attingit; sicut enim rivuli aquarum a fonte reali, non ideali,

---

[1] 2ª 2æ, q. 52, a. 1; *Dict. Apolog.*, 1040.

originem ducunt, ita entia imperfecta sed actualiter existentia a reali perfectionis Fonte originem trahunt[1].

5° ARGUMENTUM E GUBERNATIONE RERUM.

435. Si, post considerationem mundi sub variis respectibus, ejus ordinem attendimus, *videmus corpora naturalia, quæ cognitione carent, operari propter finem. Atqui id fieri nequit, nisi dirigantur ab aliquo supremo intellectu, qui sit a mundo distinctus*, et qui merito Deus vocatur.

Factum declaratur : In universo datur evidentissima ordinatio mediorum ad finem, ut variæ scientiæ testantur. Quis enim non miretur quanto ordine planetæ, cum satellitibus suis, circa solem rotent; quantâ providentiâ terra, per longa sæcula variasque vicissitudines, disposita fuerit ut hominis habitaculum fieret; cùm quantâ unitate et varietate a viventibus imperfectissimis ad perfectissima per omnes gradus ascendatur? Si unumquodque viventium attente consideres, maxima sapientia evidenter apparet sive in evolutione ovi, quod virtualiter totum organismum continet, sive in ipsis organis, quæ, pro diversis viventium speciebus, ad diversas functiones aptissime adaptantur. Quod maxime splendet in homine, qui solus inter animalia erectus stat ut cælum intueri possit, in ejus oculis ad videndum, in manibus ad palpandum et multiplicem artem exercendam, in pedibus ad ambulandum, etc., tàm recte dispositis.

Argumentum : hæc ordinata dispositio mediorum ad finem arguit ens supramundanum supreme intelligens. Etenim hæc ordinatio vel a casu procedit, vel a naturâ ipsâ, vel ab ente supramundano ac supreme intelligenti. Atqui duo priora repugnant : **a**) *prius*, nam casu fieri nequit ut elementa, cognitione carentia, non semel, sed frequentius et fere semper ad finem tendant eumque attingant mediis proportionatis; ita si quis legat poemata Virgilii aut Homeri, vel orationes Tullii, statim agnoscet ea ab aliquo intelligente ordinata esse; sed singula entia organica vel inorganica ordine pulchriori ordinantur quam poemata Homeri vel orationes Tullii; **b**) *posterius :* hoc enim nomine *naturæ* designatur : 1) vel tota collectio entium intellectu carentium; atqui impossibile est res *ex se diversas* et inertes *ex se ad unitatem* ordinis redigi, et quidem modo habituali et stabili; 2) vel causa intelligens intramundana, scilicet homo; atqui impossibile est hominem esse causam ordinis universi, tum

[1] Hanc probationem S. Thomas *applicat* intellectui (1ª, q. 79, a. 4), veritati (*Contra Gent.*, lib. II, cap. 84), bono (1-2, q. 2, a. 7 et 8), legi naturali (1-2, q. 91, a. 2). Cf. *Dict. Apolog.*, 1023-1024, 1053-1063.

quia pleraque entia jam existebant et ordinata erant antequam homo existeret, tum quia homo fere ignorat ordinem ac structuram intimam membrorum pulicis et culicis, ut lepide dicit *S. Augustinus*[1].

Remanet ergo ut sit Ens extra et supra mundum, supreme intelligens, quo cetera entia ad suum finem dirigantur[2].

436. Ex dictis hæc deducuntur : a) non possunt esse, nisi forte ad breve tempus, athei *theoretici negativi*, homines scilicet qui invincibiliter ignorant Deum, cùm *recti corde* satis facile agnoscant aliquod Ens supremum existere; b) possunt esse, saltem ad tempus, homines qui sint athei *theoretici positivi*, quorum scilicet ratio, sophismatibus deformata, neget aut dubitet Deum esse; c) luctuosa autem experientia nos satis docet esse atheos *practicos*, qui scilicet non curant de Deo glorificando et serviendo.

CONCLUSIO : DEUS EST ENS INFINITUM AC UNICUM.

437. Omnes igitur creaturæ clamant Deum esse, et quidem infinitum. a) Entia *mobilia*, quæ transeunt de statu potentiæ in actum, clamant esse *primum motorem immobilem*, seu *actum purum*, qui nullam habet potentialitatem reducibilem in actum; atqui hoc soli infinito convenit; nam si aliquod ens sit finitum, eo ipso est in potentiâ relate ad aliquam perfectionem et potest transire de potentiâ in actum. b) *Causæ efficientes* arguunt existentiam Causæ primæ incausatæ, id est *entis a se*, et entia contingentia probant existentiam *entis necessarii;* porro ens a se et ens necessarium est infinitum; cùm enim sit *a se*, est omnino independens et sic a nullo alio potest limitari; cùm sit necessarium, non potest seipsum limitare. c) Entia *imperfecta* pariter arguunt existentiam *entis supreme perfecti;* porro ens supreme perfectum habet plenitudinem entis, nec eam habere potest nisi sit illimitatum seu infinitum.

438. Ex quo pariter sequitur Deum esse ens unicum, seu unum esse Deum. Ens enim infinitum totam entis

[1] *Enarrat. in Psalm.* 148, n. 10; *P. L.*, XXXVII, 1944.
[2] Hæc argumenta sub formâ simpliciori invenientur apud Monsabré, Villard, aliosque. Hic ea exposuimus modo magis scientifico ut melius introspiciantur et intelligantur, et ita faciliùs sacerdotes doceant etiam doctos.

plenitudinem in se continet. Jamvero non possunt esse duo entia hujusmodi : nihil enim esset quo differrent ab invicem, cùm utrumque jàm haberet totam essendi plenitudinem. Ergo Deus est infinitus ac unicus.

III. *De divinis nominibus.*

439. Cùm Deus non solum ratione, sed *revelatione* cognoscatur, pauca de *nominibus* quibus in Scripturâ designatur dicenda sunt.

A) *El*, quod aliquando etiam, sed raro, adhibetur in formâ plurali *Elîm*, prædicatur tum de *vero et unico Deo*[1], tum de *falsis numinibus*[2], et analogice de *angelis* et forsan de *magistratibus*, quatenus auctoritatem divinam participant[3]. Probabiliter significat eum qui *potens est.*

Elohah, juxta plerosque, idem significat; formâ plurali, *Elohim*, sæpe verum Deum designat. *El-Elyôn* idem sonat ac *Altissimus : El-Shaddai* omnipotentem designat.

B) *Jahweh* aut *Yahweh* (quod olim pronuntiabatur *Jehovah*), derivans a formâ simplici radicis *hawah* (fuit) significat eum qui *causat esse* et quidem *perpetuo*, aut etiam, juxta quosdam, *ipsum esse*, secundum verba ad Moysen dicta : "*Ego sum qui sum*[4]". Hoc est nomen vere Deo proprium et incommunicabile, quod nunquam de creaturis prædicatur.

C) *Yahweh élohé Sabaoth*, quod in Vulgatâ redditur *Dominus exercituum*, designabat Deum ut Dominum castrorum Israel, et, tempore Prophetarum, ut Dominum corporum cælestium et angelorum, ideoque ut omnipotentem.

D) *Adonai*, seu Dominus, supremum Dei dominium significat.

440. Ita Deus in Scripturâ exhibetur tanquam *potens* et *fortis*, *Altissimus*, in unitate essentiæ *multiplici virtute* gaudens, *Omnipotens*, *Ens simpliciter* et *causa* aliorum entium, *Dominus* qui mundum regit, *exercitibus* præest, *cœlestia corpora* gubernat et *angelos* habet ministros. Theologia igitur Judæorum paganas mythologias toto cælo transcendit !

---

[1] *Deut.*, IV, 39. — [2] *Exod.*, XXII, 20.
[3] *Exod.*, XXII, 8; *Ps.* VIII, 6; XCVI, 7. — [4] *Exod.*, III, 14-15

CAPUT II.

De naturâ et attributis Dei.

Dei existentiâ probatâ, de ejus naturâ seu essentiâ et proprietatibus seu attributis inquirendum est.

Art. I. De naturâ seu essentiâ Dei.

441. In Deo quidem non distinguitur realiter essentia seu natura a proprietatibus; attamen, quidquid opponunt *Nominalistæ* tum veteres tum recentes, concipere fas est attributum quod est quasi constitutivum formale essentiæ divinæ, perfectio fundamentalis e quâ ceteræ quasi oriuntur ad modum proprietatum.

Quænam sit essentia divina sic intellecta? Alii dicunt hanc esse *infinitatem*, alii *intellectionem actualem*, alii *libertatem*, alii *esse subsistens*.

442. Thesis. *Essentia divina merito concipitur ut ipsum esse subsistens.* Ita probabilius.

1° Etenim essentia Dei **a**) non est *libertas;* nam libertatem non possumus concipere etiam in Deo nisi ut fundatam in intellectione, et intellectio ipsa supponit esse quod intelligit et intelligitur; **b**) nec reponenda est in *substantiali et actuali intellectualitate infinitâ*, ut ait *Suarez*[1], hâc ratione motus quòd conceptus ipsius esse nimis confusus est et majore determinatione indiget; immerito tamen : aliter enim concipimus *esse commune*, quod est confusum, aliter *esse divinum* quod intelligitur ut incausatum, inconditionatum, illimitatum, actualissimum sine ullâ mixtione potentialitatis et defectûs : quod analogice quidem, sed tamen expresse distinguit Deum a quocumque alio ente; **c**) nec in *infinitate* aut etiam *aseitate*, quæ concipiuntur potius ut modi alicujus rei subjectæ, dùm ipsum esse apprehenditur ut quid maxime intimum et fundamentale.

---

[1] Suarez, *De Deo uno*, I, 3.

Remanet igitur ut essentia divina sit *ipsum esse subsistens*.

443. 2° Infertur thesis ex *Scripturâ* in quâ Deus inducitur sibi ipsi imponens nomen Yahweh (*Qui est*), immò et definiens semetipsum : " Ego sum qui sum [1] ", quasi diceret : " Sum is cujus essentia est esse ".

444. 3° *Confirmatur thesis reapse deducendo attributa Dei e τῷ Esse subsistenti.*

Eo ipso quod est Esse subsistens, Deus : 1° est *omninò simplex :* quod enim est ipsa forma, et quidem formalissima, seu esse, nullam potentiam involvit; sed partes compositi sunt quid materiale ideoque potentiale relative ad totum; 2° est *universaliter perfectus :* quod enim est ipsum esse per se subsistens, totam perfectionem essendi, et consequenter omnes perfectiones in se continet; 3° est *summum bonum* simpliciter, et non solùm in aliquo genere vel ordine rerum : omne enim ens est bonum in quantùm est in actu et perfectum; sed Deus est ipsum esse et cumulus omnium perfectionum. Et ita porro de infinitate, immutabilitate, æternitate, unitate, intellectione, omnipotentiâ, beatitudine, ut videri potest in *Syn. maj.*, n. 407.

445. **Corollarium.** Ex his omnibus ultimò deducamus *pantheismum* repugnare : ex Deo actu purissimo ac simplicissimo nihil emanare proprie potest ad extra; et in Deo ab æterno et essentialiter quàm perfectissimo nulla evolutio potest inveniri.

Art. II. De attributis divinis.

446. **Prænotanda : A)** Attributa Dei sunt perfectiones quæ divinam essentiam consequi intelliguntur. Sub triplici respectu dividi possunt : **a)** in *negativa*, quibus scilicet imperfectiones a Deo removentur, ut simplicitas, immensitas, etc.; et *affirmativa*, seu *positiva*, quibus perfectiones de Deo prædicantur, v. g., sapientia, amor, etc.; **b)** in *absoluta*, quæ Deo in seipso spectato conveniunt, ut simplicitas, æternitas; et *relativa*, quæ relationem impli-

[1] *Exod.*, III, 14.

cant inter ipsum aliaque entia, ut creatio, providentia, etc.; c) in *quiescentia*, quæ exprimunt modum quo Deus est, ut infinitas, æternitas; et *actuosa*, quæ ejus modum operandi declarant.

447. B) Quæri potest quomodo attributa divina tum ab essentiâ tum inter se distinguantur.

Jamvero *Gilbertus Porretanus* (1070-1154), Pictaviensis episcopus. tenuit attributa divina *realiter* ab essentiâ et inter se distingui, proptereaque a Concil. *Remensi* (1148) damnatus fuit; in eumdem errorem incidit *Abbas Joachim* (sæc. XII), in C. *Lateranensi IV* damnatus. Insuper *Scotistæ* docuerunt divina attributa ab essentiâ et inter se distingui *formaliter*[1]. Contra quos : —

a) *Certum est attributa divina nec ab essentiâ nec inter se realiter differre.* Nam : 1) in *Sacris Litteris* essentia divina et attributa de se invicem prædicantur in abstracto : " Ego Sapientia habito in consilio[2]; Deus lux est... Deus caritas est[3]; Ego sum via, veritas et vita[4] "; atqui si esset distinctio realis inter essentiam et attributa divina, non possent de se invicem prædicari, seu identificari; 2) *B. Eugenius III*, in Conc. *Remensi*, errorem *Gilberti* his verbis damnavit[5] : " Credimus et confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari quin *Divinitas sit Deus, et Deus divinitas* ".

b) *Communiter tenetur divina attributa ab essentiâ et inter se virtualiter distingui.* Nam in *Scripturis* Deus

---

[1] Distinctio *realis* ea est quæ existit inter unam rem et aliam; dividitur in *realem majorem*, quæ viget inter substantiam et substantiam, vel inter substantiam et accidens, aut inter accidentia ejusdem substantiæ, et *realem minorem*, quæ existit inter rem et modum ejus, v. g., inter lineam et ejusdem lineæ curvitatem. Distinctio *logica* ea est quæ existit inter varios conceptus ejusdem rei; si fundamentum sit in ipsâ re ad illos diversos conceptus distinguendos, distinctio erit *virtualis*, seu *rationis ratiocinatæ;* ita, v. g., anima humana, licet *una realiter, virtualiter* triplex dici potest, cùm revera sit simul rationalis, sensitiva et vegetativa; si vero nullum sit fundamentum in re, distinctio est *mere logica*, seu *rationis ratiocinantis*, qualis, v. g., existit inter hominem et animal rationale : nam a *parte rei* nulla differentia existit inter hominem et animal rationale. Hæc communiter admittuntur; sed *Scotus* aliam præterea distinctionem excogitavit quam vocat *formalem ex naturâ rei*, quasi mediam inter distinctionem realem et distinctionem rationis : ita, juxta illum hæcceitas (principium individuationis) distinguitur a materiâ, formâ et composito sicut "aliqua entitas positiva", "ultima realitas entis". Cf. Gonzalez, *Historia de la filosofia*, t. II, p. 266-267.

[2] *Prov.*, VIII, 12. — [3] *I Joan.*; I, 5; IV, 8. — [4] *Joan.*, XIV, 6.

[5] Apud Labbe, *Concilia*, t. X, p. 1108.

exhibetur ut ornatus attributis diversis, imo et quasi oppositis : dicitur enim justus et misericors, parcens et puniens [1], etc. Quod non explicatur nisi per quamdam distinctionem. Ea autem distinctio non est *realis*, ut modo probatum est; nec *nominalis*, ut voluerunt *Ockamus* et *Gregorius Ariminensis*, cùm nomina divina præ se ferant *rationes diversas* et exinde immerito reputentur synonyma; manet ut sit *rationis ratiocinatæ* seu *virtualis*, seu per rationem nostram inducta cum fundamento in re : divina enim natura, propter suam infinitatem, æquivalet omnibus perfectionibus quæ in creaturis divisim reperiuntur [2].

Scotistæ quidem admittunt inter essentiam divinam et attributa distinctionem, quam vocant *formalem ex naturâ rei*, quæ neque realis est neque solius rationis : sed si res attente consideratur, satis patet illam distinctionem nihil aliud esse nisi eam quæ *virtualis* dicitur.

§ I. De attributis Dei negativis.

Quinque numerari possunt : *simplicitas*, *immutabilitas*, *æternitas*, *immensitas*, *infinitas*, quibus a Deo removentur imperfectiones *compositionis*, *mutationis*, *temporis*, *mensurationis*, et *limitationis*. Præ oculis autem habendum est hæc attributa, etsi negativis verbis expressa, perfectiones omnino positivas revera exprimere.

I. *De Simplicitate Dei.*

448. 1° **Notio.** Simplicitas compositioni opponitur. Tres sunt autem species compositionis, *physica*, *metaphysica* et *logica*, proindeque tres species simplicitatis : simplicitas *physica*, eam compositionem excludens, quæ ex partibus quantitativis realiter distinctis oritur, ut in lapide ex variis moleculis constituto; *metaphysica*, eam compositionem rerum sive materialium sive immaterialium excludens, quæ resultat ex reali distinctione potentiæ et actûs, substantiæ et accidentium, essentiæ et existentiæ; *logica*, eam compositionem excludens quæ oritur, v. g., ex genere proximo et differentiâ specificâ.

2° **Errores.** Pagani putârunt Deum esse universalem mundi animam ubique diffusam; *anthropomorphitæ* (sæc. IV)

---

[1] *Jerem.*, XXXII, 18. — [2] *Jerem.*, XXXII, 18.

humanam figuram Deo affinxerunt; *Gilbertus Porretanus* realem distinctionem inter essentiam et attributa divina docuit, necnon *Joachim Abbas* inter essentiam divinam et personas realem distinctionem posuisse videtur.

449. 3° **Thesis** : *Deus est substantia omnino simplex et a quâcumque compositione immunis. De fide est* ex *Vaticano :* " Qui cum sit una, singularis, *simplex omnino* et incommutabilis substantia spiritualis ".

A) *Script.* in quâ Deus exhibetur ut : a) *incorporeus* qui imaginibus repræsentari non possit : " Cui ergo similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei?[1] " " Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis et cogitationis hominis, Divinum esse simile[2] "; b) *mere spiritualis* : " *Spiritus* est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare[3] "; c) ita simplex et spiritualis est, ut in eo non sit compositio ex essentiâ et attributis; creaturæ quidem *habere* dicuntur vitam, sapientiam, sed Deus est *ipsa sapientia*, *ipsa vita*, *ipsa veritas*, *ipsa lux*, *ipsa caritas*[4]. Quod sic contrahit *S. Augustinus :* " Ideo simplex dicitur Deus, quoniam quod habet, hoc est[5] ".

450. B) *Rat.*[6] In Deo : a) *nulla est compositio physica :* nam physica compositio reperitur in materiâ, vel corporibus, vel componentibus; atqui Deus *non est materia*, cùm hæc sit pura potentia, dum Deus est actus purus; *nec corpus*, cùm hoc pariter includat potentiam, v. g., propter suam divisibilitatem; *nec pars compositi*, v. g., anima mundi, nam Deus est *causa efficiens* omnium rerum (n. 432) : porro causa efficiens non potest esse simul causa formalis intrinseca sui effectûs.

b) *Nulla compositio metaphysica :* 1) sive *actûs et potentiæ;* nam Deus est actus purus sine admixtione ullius defectûs et potentiæ; 2) sive *substantiæ et accidentium :* nam Deus est per essentiam omnimoda perfectio nec proinde *particeps* esse potest ulterioris perfectionis per accidentia; 3) sive *essentiæ et existentiæ :* nam ubi existentia et essentia differunt, essentia comparatur ad existentiam si-

1 *Isa.*, XL, 18. — 2 *Act.*, XVII, 29. — 3 *Joan.*, IV, 24.
4 *Prov.*, I, 20; *Joan.*, I, 4, 8-9; XIV, 6; *I Joan.*, IV, 8.
5 S. August., *De Civit. Dei*, lib. XI, c. 10, n. 1.; *P. L.*, XLI, 325.
6 Cf. *S. Theol.*, I p., q. 3; *C. Gentil.*, lib. I, cc. 16-27.

cut potentia, in quâ existentia recipitur; atqui in essentiâ divinâ nulla est potentialitas.

c) *Nulla compositio logica;* seu aliis verbis Deus *non est in aliquo genere*, *neque directe*, sicut species quæ sub genere continentur; nam in iis quæ sub aliquo genere continentur invenitur genus, quod est quædam potentia, et differentia specifica, quæ est veluti actus, aliquid generi addens; atqui in Deo nec est nec etiam concipi potest compositio actûs et potentiæ, — *neque indirecte*, sicut principia quæ ad aliquod genus reducuntur; nam principium, quod ad aliquod genus reducitur, non se extendit ultra illud, dum Deus transcendit omnia genera.

II. *De Immutabilitate Dei.*

451. 1° **Notio** : Immutabilitas mutationi opponitur; mutatio autem est transitus ab uno statu essendi ad alium, scilicet a potentiâ ad actum. Doctrina catholica est Deum esse *immutabilem* non solum quoad *substantiam*, sed etiam quoad *cognitionem* et *volitionem*, quatenus nil novi cognoscere aut decernere valet, cùm omnia a totâ æternitate cognoverit et decreverit. Quod statuimus contra *Stoicos*, *Hegel* et *Renan*, qui contendunt ens perfectum non esse *actu*, sed *in fieri*[1]; et *Socinianos* qui contendunt Deum esse mutabilem in suis decretis.

452. 2° **Thesis** : *Deus est omnino immutabilis.* De fide est ex *Vaticano* : " Qui cum sit *incommutabilis* substantia ". Probatur :

A) *Script.:* a) verbis, in quibus omnis mutatio de Deo negatur : " Ego Dominus et non mutor[2] "; " Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio[3] "; b) ex locis, ubi consilii mutatio denegatur : " *Pœnitudine non flectetur;* neque enim homo est, ut agat pænitentiam[4] ".

453. B) *Rat.*[5] a) Omne quod mutatur, est in potentiâ ad statum qui acquiritur, et motu suo aliquid novi acquirit; atqui in Deo nulla est potentialitas, cùm sit

---

[1] RENAN, *Averrhoës*, Préf., p. VII.
[2] *Mal.*, III, 6. — [3] *Jac.*, I, 17. — [4] *I Reg.*, XV, 29.
[5] S. THOM., 1, q. 9, a. 1.

actus purus, nulla possibilitas aliquid acquirendi, cùm sit infinite perfectus; ergo Deus non mutatur. **b**) Ens intelligens voluntatem suam non mutat, nisi motiva, antea ignota, ejus menti occurrant; atqui Deus, a totâ æternitate, omnia perfecte unicâ intellectione cognoscit; ergo et unâ volitione immobili omnia decernit [1], etiam rerum mutationem. Licet enim immotus et immobiliter volens, Deus potest velle creaturarum vicissitudines. Hinc apparet orationem non esse inutilem : cùm enim Deus preces nostras ab æterno prævideat, eventus secundum petitiones nostras dirigere valet.

III. *De Æternitate Dei.*

454. 1° **Notio.** Æternum **a**) *lato sensu* sumitur tùm pro longâ duratione utrimque tamen terminatâ, tùm pro duratione quæ initium habuit, sed fine carebit : quo ultimo sensu justorum gaudia æterna dicuntur; **b**) *stricto autem sensu* æternitas definitur a *Boetio* [2] : " interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio ".

Dicitur *interminabilis*, quia nec principium nec finem habet; *tota simul*, quia sine successione seu vicissitudine durat : Deus enim vitam infinitam totaliter possidet in uno instanti, ita ut in divinâ essentiâ nihil præteriti vel futuri sit, sed perpetuum præsens; *perfecta possessio :* eo ipso enim quòd Deus uno perpetuo instanti vivit, totâ suâ vitâ simul fruitur, et exinde infinite perfectiùs ac si quasi guttatim duraret, etiam per infinita momenta et sæcula.

455. 2° **Thesis** : *Deus est stricte et perfecte æternus.* De fide est ex *Vaticano :* " Sancta Catholica Apostolica Ecclesia credit et confitetur esse Deum... *æternum*, immensum... " Probatur :

A) *Script.:* **a**) " Ego sum α et ω, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est et qui erat, et qui venturus est [3] " : quibus verbis significatur Deum principio et fine carere; **b**) " Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis, a sæculo et usque in sæculum tu es Deus... [4] Tu autem *idem ipse es*, et anni tui non defi-

[1] S. Th., q. 19, a 7. — [2] *De Consol. philos.*, lib. V pr. 6.
[3] *Apoc.*, I, 8. — [4] *Ps.* LXXXIX, 2.

cient[1] ": quibus verbis declaratur æternitatem Dei carere successione.

B) *Rat.*[2] Æternitas Dei ex ejus summâ perfectione et immutabilitate necessario dimanat; nam quod est infinite perfectum, actus purus ac propterea immutabilis, nihil omnino acquirere aut amittere potest; porro aliquid acquireret incipiendo aut successive existendo, aliquid amitteret desinendo. Ergo Deus est perfecte æternus.

IV. *De Immensitate Dei.*

456. 1° **Notio.** Triplex immensitas in Deo distinguitur : siquidem ubique est : 1) ratione *scientiæ*, quatenus omnia cognoscit, 2) ratione *potentiæ*, quatenus in omnibus entibus agit, 3) ratione *substantiæ*, quatenus omnibus rebus substantialiter præsens est, non *circumscriptive*, modo corporum quorum variæ partes variis loci partibus respondent; neque *definitive*, sicut Angeli, qui licet toti in quâlibet parte loci sint, in loco tamen continentur; sed modo quodam ineffabili, quatenus *totus* est *ubique*, *totus in omni loco*, et *totus sine loco*, cùm in loco non contineatur. 4) Insuper Deus ex præcellenti perfectione suâ præsens esse valet omnibus rebus possibilibus.

Hanc Dei immensitatem impugnârunt : 1) antiqui philosophi qui Deum in *primo cælo* collocabant, quidam *Calvinistæ*, ut *Vorstius* et *Sociniani*, juxta quos Deus per suam substantiam summo cælo insidet, et nonnisi *potentiâ* terris præsens est; 2) nonnulli *Rationalistæ*, inter quos *Hauréau*, *Rémusat*, *Crombie* qui dicunt Deum non esse ubique per suam substantiam.

457. 2° **Thesis :** *Deus est perfecte immensus, rebusque omnibus præsens per scientiam, potentiam et essentiam.* De fide est ex *Vaticano* Deum esse immensum; modus autem quo præsens est, certo Scripturâ ac ratione determinatur.

A) *Script.:* a) Deus omnibus præsens est *cognitione :* " Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus[3] "; b) *potentiâ :*

---

[1] *Ps.* CI, 26-28; cf. *II Petr.*, III, 8; *Joan.*, VIII, 58; *I Tim.*, VI, 16, etc.
[2] Cf. S. TH., I, q. 10, a. 2; *Cont. Gentil.*, l. I, c. 15.
[3] *Hebr.*, IV, 13.

" Attingit a fine ad finem fortiter et disponit omnia suaviter... portans omnia verbo virtutis suæ[1] "; c) *essentiâ :* " Non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus[2] "; nec tamen rebus creatis circumscribitur : " Si cælum et cæli cælorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificavi?[3] "

458. B) *Ratione.* Deus, utpote causa prima et universalissima totius *fieri* et *esse*, in omnibus rebus agit ad eas producendas, conservandas et regendas; atqui non potest agere ubi non est; ergo Deus est in omnibus etiam per essentiam.

Neque hoc Pantheismo favet, ut quidam Rationalistæ contendunt, nam substantia divina, licet ubique præsens, est ab omnibus substantiis creatis realiter distincta, nec proprie in eis continetur, sed potius eas continet, ut recte ait *S. Thomas*[4].

459. **Corollarium.** Divinæ præsentiæ consideratio est maxime virtutis incentiva, juxta illud : " Ambula coram me, et esto perfectus[5] ". Siquidem a) *a peccato removet :* ideo enim peccamus quia Dei præsentiam non recordamur : " Non est Deus in conspectu ejus : inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore[6] "; b) *fiduciam excitat :* prope nos, intra nos est qui facit ut diligentibus se omnia cooperentur in bonum; c) *gaudium affert*, sicut et Macchabæis qui acriter decertabant, " præsentiâ Dei magnifice delectati[7] "; d) ad *majorem perfectionem* incitat: qui enim de Deo cogitat, quem sanctitatis fontem esse noscit, melius intelligit se omnibus virtutibus ornatum esse debere, ut divinæ majestati placeat : " Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est[8] ".

V. *De Infinitate Dei.*

460. 1° **Notio.** Infinitum in genere est id quod limitibus caret. Duplex distingui potest: infinitum *absolute*, seu in ratione entis, quod omnibus modis infinitum est; infinitum in *certo genere*, quod continet omnem perfectionem

---

[1] *Sap.*, VIII, 1; *Hebr.*, I, 3. — [2] *Act.*, XVII, 27.
[3] *II Parap.*, VI, 18. — [4] *Sum. theol.*, I, q. 8, a. 1, ad 2.
[5] *Genes.*, XVII, 1. — [6] *Ps.* IX, 26. — [7] *II Mac.*, XV, 27.
[8] *Matth.*, V, 48.

possibilem in illo genere. Jamvero Deus est infinitus priori sensu, seu *absolute*, quippe qui totam entis plenitudinem complectatur, et exinde omnes perfectiones, sed diversimode. Distinguuntur enim perfectiones duplicis generis : a) *simplices*, quæ nullam habent sibi adjunctam imperfectionem, et quas melius est habere quam non habere, quales sunt sapientia, bonitas, justitia, etc.; b) *mixtæ* seu *secundum quid*, quæ aliquid habent imperfectionis, et majori perfectioni opponuntur, ut vis ratiocinandi, quæ in homine perfectio est, sed in se multo imperfectior virtute res uno intuitu intelligendi. Porrò Deus possidet perfectiones simplices *formaliter*, i. e., secundum suum proprium conceptum (analogice tamen), perfectiones autem mixtas *eminenter*, i. e., non cum imperfectionibus, quas adjunctas habent, sed altiori modo.

461. 2° **Thesis** : *Deus est infinite perfectus, seu omnes perfectiones possidet, et quidem gradu infinito.* De fide est *ex Vaticano* declarante Deum esse "intellectu ac voluntate *omnique perfectione infinitum*". Probatur :

A) *Script. :* a) ex verbis Dei ad Moysen jam pluries citatis : " Ego sum qui sum "; his enim verbis declaratur, juxta Patres ac theologos, Deum esse τὸ esse simpliciter, seu plenitudinem entis habere [1]; b) ex illis textibus, in quibus ita extollitur Dei magnitudo ut nullos limites habeat : " Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis ejus non est finis [2]"; c) ex verbis quibus asseritur eum esse *solum* potentem, justum, æternum : " beatus et *solus* potens... qui solus habet immortalitatem [3]"; hæc enim omnia ostendunt has perfectiones soli Deo competere per antonomasiam, seu gradu excellentissimo.

462. B) *Ratione.* a) Illud est infinitum simpliciter et absolute quod neque ab extrinseco neque ab intrinseco limitatur; atqui Deus non limitatur *ab extrinseco*, quia est prima causa absolute independens; neque *ab intrinseco*, nàm, utpote causa prima, nullam in se habet potentialitatem, quæ sane involveret respectum ad causam altiorem.

[1] Qui vero dicunt his verbis directe significari Deum ut *Causam totius entis*, eamdem conclusionem deducere possunt : Deus enim non potest causare quidquid existit, nisi in se habeat plenitudinem entis.
[2] *Ps.* CXLIV, 3. — [3] *I Tim.*, VI, 15-16 cf. *II Mac.*, I, 8.

b) Ceterum, cùm sit ipsum esse in actu, habet omnes omnino perfectiones et sine ullo defectu aut limitatione [1].

463. 3° **Corollaria**. Triplex præsertim fructus, juxta *Lessium*, ex consideratione divinæ infinitatis colligi potest : **A**) Primus est ut summâ reverentiâ et humilitate cum Deo agamus : quo enim major princeps, eo majorem ei reverentiam exhibemus.

B) Secundus est ut Deum supra omnia amemus. Quo enim excellentius est aliquid, eo dignius amore.

C) Tertius fructus est, ut cognoscamus Dei servitium esse quàm nobilissimum : quo enim princeps aliquis est major, eo nobilius est ei famulari.

II. De attributis Dei positivis.

Quinque præcipua numerari possunt : *sapientia*, *potentia*, *sanctitas*, *bonitas et justitia*.

I. *De Sapientiâ Dei.*

464. 1° **Notio**. Sapientia divina est summus amor ordinis, quo fit ut Deus fines intendat naturæ suæ perfectioni respondentes, eosdemque assequatur per media optima. Sapientia igitur supponit *scientiam*, quæ perfecte cognoscit quid sit bonum et quæ sint optima ad finem assequendum media; supponit *voluntatem*, quæ fertur in bonum, necnon *potentiam*, cùm in rebus agendis versetur.

465. 2° **Thesis** : *Deus est infinite sapiens in omnibus viis suis et operibus.* Certum est.

A) *Script.* In sacris Litteris sæpe dicitur Deum omnia in sapientiâ fecisse, imo ejus sapientiam esse infinitam : " Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! Omnia in *sapientiâ* fecisti... et *sapientiæ* ejus *non est numerus*... [2]. O altitudo *sapientiæ* et scientiæ Dei ! [3]"

466. **B**) *Ratione.* **a**) Pulcherrimus ordo et optima mediorum ad finem adaptatio quæ cernuntur in mundo

---

[1] S. TH., I, q. 4, a. 2; cf. q. 7, a. 1-2; *C. Gent.*, l. I, c. 43.
[2] *Ps.* CIII, 24; CXLVI, 5. Cf. *Prov.*, III, 10 sq.; *Sap.*, VII-VIII; *Eccli.*, XXIV.
[3] *Rom.*, XI, 33.

sapientem ordinatorem produnt, sicut domus bene exstructa sapientem architectum demonstrat. **b**) Præterea ibi perfecta sapientia est, ubi intelligentia summa est, cum optimâ voluntate et virtute operandi conjuncta; atqui hæc tria in Deo invenire est, ex infra dicendis.

467. 3° **Corollaria.** **A**) Si non intelligimus cur et quomodo Deus hæc vel illa agat aut permittat, hoc tribuendum est infirmitati mentis nostræ, quæ secreta Dei scrutari non valet, nec operum ejus universalitatem complecti.

B) In rebus adversis, aut si videmus impiis omnia prospere cedere, non conqueramur : Deus enim sapientissime omnia disponit; quidquid decernit, vel permittit, eo tendit ut peccata castiget, vel nos ad bonum excitet.

II. *De Potentiâ Dei.*

468. 1° **Notio.** Potentia *activa* est principium ad aliquid producendum; potentia *passiva* est principium ad aliquid recipiendum. Nulla est in Deo potentia passiva, quippe quæ imperfectionem involvat. Potentia autem activa vera est perfectio, proindeque in Deo existit et quidem infinito gradu, quia operatio sequitur esse. Deus scilicet est *omnipotens*, seu facere potest omnia possibilia absolute, i. e., quidquid habet, vel habere potest rationem entis, non autem quod contradictionem involvit.

469. 2° **Thesis** : *Deus est omnipotens seu facere potest quidquid non est impossibile.* De fide est tum ex variis Symbolis, tum ex *Vaticano* quod confitetur " unum esse Deum verum et vivum, Creatorem cæli et terræ, *omnipotentem*". Probatur :

A) *Script.* **a**) In V. Test. plusquam septuaginta loca numerantur in quibus Deus vocatur *Shaddai*, id est, omnipotens, v. g. : " Ego Deus omnipotens [1] "; **b**) declaratur Deum omnia posse, ita ut nihil difficile aut impossibile sit apud eum, et nemo possit ejus voluntati resistere : " Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo, et in terrâ, in mari et in omnibus abyssis [2]... Numquid Deo

---

[1] *Gen.*, XVII, 1. — [2] *Ps.* CXXXIV, 6.

quidquam est difficile [1]?... Non erit impossibile apud Deum omne verbum [2] "

470. B) *Ratione.* Tantùm ac taliter aliquod ens agere valet quantùm et qualiter est : *operatio* enim *sequitur esse;* atqui Deus est essentialiter ipsum esse infinitum; ergo potest agere quidquid habet rationem entis, seu est omnipotens.

471. 3° **Corollaria.** A) Potentia Dei infinita est tum ratione *sui*, cùm sit ipsa essentia divina; tum ratione *actionis et modi agendi*, cùm sit plane independens, nullo egeat instrumento, nullâ præjacente materiâ, statimque uno verbo omnia producere valeat : " Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt [3] "; tum ratione *objecti*, quia alia perfectioraque sine fine producere potest, cùm esse divinum sit in infinitum participabile.

472. B) Ex consideratione divinæ potentiæ duo potissimum nascuntur affectus : a) *humilis Deo submissio* tanquam habenti in nos summum jus et summam potestatem : " Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis [4] "; b) *fiducia in Deum :* si enim Omnipotens nobis assistit, cur timeamus? Nihil enim nobis inferri potest mali nisi ipse annuerit; non annuet autem nisi id nobis ad vitam æternam conferat : " Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum [5] ".

III. *De Dei Sanctitate.*

473. 1° **Notio.** Sanctitas, quæ sæpe justitia in S. Litteris nuncupatur, est immunitas ab omni malo morali, et conformitas cum supremâ regulâ morum. Cùm autem Deus ipse sibi sit lex, sanctitas divina bene dicitur immutabilis voluntas cum perfectionibus suis consentanee agendi.

474. 2° **Thesis** : *Deus est infinite et substantialiter sanctus.* Certum est.

A) *Script.* a) Deus *ab omni malo morali immunis* prædicatur : " Deus fidelis, et absque ullâ iniquitate justus et

[1] *Gen.*, XVIII, 14. — [2] *Luc*, I, 37. — [3] *Ps.* XXXII, 9.
[4] *I Petr.*, V, 6. — [5] *Rom.*, VIII, 28.

rectus[1]"; "Mundi sunt oculi tui, ne videas (cum approbatione) malum : et respicere ad iniquitatem non poteris[2]". b) Ejus sanctitatem imitari jubemur : "Sancti estote, quia ego sanctus sum[3]"... "Et ipsi in omni conversatione sancti sitis : quoniam scriptum est : sancti eritis, quoniam ego sanctus sum[4]".

475. B) *Ratione.* Sanctitas consistit in conjunctione cum Bono per affectum, et conformitate voluntatis cum supremâ regulâ morum ; atqui Deus, cognitione, voluntate et essentiâ, cum Supremo Bono identificatur, et aliunde ejus voluntas deficere non potest a regulâ morum, quæ ab ipsâ divinâ voluntate non distinguitur; ergo Deus est essentialiter sanctus.

IV. *De Dei Bonitate et Misericordiâ.*

476. 1° **Notio.** De bonitate Dei *naturali* jam egimus ubi de infinitâ ejus perfectione, de bonitate *morali* ubi de sanctitate; dicendum igitur superest de *bonitate ejus relativâ*, quæ idem est ac *amor Dei* erga creaturas : nam in quantum eas diligit, in tantum eis bona vult et confert.

Hæc divina bonitas varia accipit nomina : dicitur *benevolentia*, quatenus in affectu voluntatis consistit, *beneficentia*, dum factis sese manifestat, *gratia*, cùm creaturis non merentibus bona supernaturalia dispensat, *liberalitas*, cùm copiose beneficia largitur, *misericordia*, quando miseris succurrit, *patientia* seu *longanimitas*, cum malos punire retardat, *clementia* seu *magnanimitas*, quando peccata condonat pœnasque remittit.

477. 2° **Thesis** : *Deus est infinite bonus et misericors.* Certum est.

A) *Script.* a) Modo generali Deus dicitur omnes creaturas diligere, omnibusque bona largiri : "Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti...[5]"; "Oculi omnium in te sperant, Domine; et tu das escam illorum in tempore opportuno : aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione[6]". b) Exhibetur ut *pater* optimus, qui nos tanquam filios carissimos diligit :

[1] *Deut.*, XXXII, 4. — [2] *Habac.*, I, 13. — [3] *Levit.*, XI, 44.
[4] *I Petr.*, I, 15. — [5] *Sap.*, XI, 25. — [6] *Ps.* CXLIV, 15-16

" Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?[1] " c) Sæpe etiam vocatur *misericors*, *clemens*, *patiens*, *longanimis*, et innumera misericordiæ exempla in S. Litteris referuntur : " Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se; Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multæ miserationis...[2] ". d) Idem constat ex parabolá boni Pastoris amissam ovem quærentis, eamque humeris suis impositam ad ovile reportantis; ex ratione agendi Christi cum *muliere samaritanâ*[3], *Magdalenâ*[4], *Zachæo*[5], *latrone* in cruce[6], etc.; sed præsertim ex eo quod Deus " proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum[7] ".

478. B) *Rat. conven.* a) Deus est summum Bonum; atqui bonum est sui diffusivum, seu naturaliter tendit ad communicationem sui; ergo Deus naturaliter ad suas perfectiones aliis communicandas tendit. b) Quoad misericordiam, Deo tribuenda est secundum *effectum*, non autem secundum passionis affectum : tristari quidem de miseriâ alterius Ei non competit, quia est impassibilis, sed hanc miseriam tollere Ei convenit, quia bonus est[8].

479. 3° **Coroll.** a) Nihil est quod nos magis ad *amorem Dei* sollicitet quam consideratio divinæ bonitatis : " sic nos amantem quis non redamaret? "

b) Ex eâdem consideratione *fiducia* excitatur; quis enim fiducialiter ad Deum accedere formidabit, dum divinam liberalitatem et misericordiam recordatur, præsertim vero parabolam filii prodigi?

---

[1] *Deut.*, XXXII, 6; *Isa.*, LXIII, 16; XLIX, 15.
[2] *Ps.* CII, 13; *Exod.*, XXXIV, 6; *Ps.* CXXIX, 7; *Sap.*, IX, 24. Cf. *Ps.* CII et CXXV ex integro; *Isa.*, LV, 7; *Ezech.*, XXXIII, 11; *Joel*, II, 12-13; *Matt.*, V, 45; *Luc.*, V, 31; *Rom.*, II, 4; *II Petr.*, III, 9; *II Cor.*, I, 3, etc.
[3] *Joan.*, IV. — [4] *Luc.*, VII, 37 sq. — [5] *Luc.*, XIX, 2 sq.
[6] *Luc.*, XXIII, 42.
[7] *Rom.*, VIII, 32. — Quæ quidem omnia sic optime contrahit Contenson, *Theolog. mentis et cordis*, l. I, dis. 3, c. 2., spec. 3 : " Deus autem bona sua non parce sed effusissime emittit : nam quod magnum est, *omnibus* beneficia donat; quod majus est, donat *indignis;* quod maximum est, donat *ingratis;* quod maximo majus, donat *invitis;* quod divinum est, post dona sua dat seipsum, dat Filium suum, dat osculum cordis sui, qui est Spiritus S.: ire ulterius non potest divina misericordia, nisi aliquid quæramus post omnia ".
[8] S. Th., I, q. 21, a. 3.

c) Bonitatem et misericordiam Dei *imitari* etiam oportet : " Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos[1] ".

V. *De Dei Justitiâ.*

480. 1° **Notio.** Justitia *stricte sumpta*[2] est virtus quâ voluntas inclinatur ad reddendum unicuique suum. Duplex est : *commutativa*, quâ ad æqualitatem redditur alteri quod ei stricte debetur pro accepto vel ablato, et *distributiva*, quâ communitatis Rector officia et onera, præmia vel pœnas, pro meritis rependit. Justitia autem *commutativa* Deo non competit, quia nihil a nobis accipere potest quod jàm non sit et quam maxime suum : " Quis prior dedit illi, et retribuetur ei ?[3]"

481. 2° **Thesis** : *Admittenda est in Deo justitia distributiva sive remuneratoria, sive vindicativa.* Certum est.

A) *Scriptura :* a) modo generali declarat Deum justum esse : " Justus es, Domine, et rectum judicium tuum...[4]"; " Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viæ tuæ misericordia, et veritas, et judicium[5] ". b) Affirmat modo speciali esse in Deo justitiam *remuneratoriam :* " In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex[6] "; simul et *vindicativam :* " Mihi vindicta : ego retribuam...[7] "

482. B) *Rat.* a) Voluntas divina, utpote sanctissima, essentialiter bonum amat malumque odio prosequitur; atqui in Deo amare est velle et facere bonum, odisse autem est subtrahere gratiam pœnamque infligere; ergo Deus bonos remunerat malosque punit. b) Voluntas divina, utpote rectissima, ordinem moralem efficaci sanctione servare debet, et ideo bonos præmiis, malos pœnis

---

[1] *Matt.*, V, 46; cf. *I Joan.*, IV, 7, 11, 16.
[2] Justitia *lato sensu* accepta est omnium virtutum complexus, et sic a sanctitate non distinguitur.
[3] *Rom.*, XI, 35. — [4] *Ps.* CXVIII, 137. — [5] *Tob.*, III, 2.
[6] *II Tim.*, IV, 8.
[7] *Rom.*, XII, 19; cf. *Ps.* V, 7; *Rom.*, I, 18; *II Petr.*, II, 4.

afficere. Deus tamen tam bonus est et pius ut virtutem sponte remuneret, vitium quasi coacte coerceat.

483. 3° **Coroll.** Divinæ justitiæ meditatio duos præsertim effectus producit : **a**) *timorem Dei*, de quo dictum est : " Initium sapientiæ timor Domini[1] "; hoc enim salutari timore a peccato deterremur, et ad pænitentiam excitamur; **b**) *spem*, nam si in hâc vitâ rebus adversis affligimur, certissime scimus passiones hujus temporis nihil aliud esse nisi totidem gradus quibus majorem gloriam consequi possumus[2].

CAPUT III.

De operationibus divinis.

Dicemus de *scientiâ*, quæ ad intellectum pertinet, de *volitione*, quæ ad voluntatem refertur, de *providentiâ* et *prædestinatione*, quæ ad utrumque spectant.

Art. I. De scientiâ divinâ.

484. *In Deo perfectissima est scientia.* Etenim in tantum ens cognoscitivum est, in quantum est immateriale; cognitio enim perficitur in quantum forma cogniti est in cognoscente; atqui quo immaterialior est aliqua substantia, eo facilius in seipsâ recipere potest formam alterius rei; hinc plantæ cognoscere nequeunt propter suam materialitatem, bruta jam cognoscunt quia eorum anima minùs materiæ immergitur, et intellectus est entis universaliter cognoscitivus, quia separatus est a materiâ. Intellectus tamen creati, licet materiæ corporalis expertes, sunt tamen omnes plus minusve potentialitati immixti. Sed Deus est in summo immaterialitatis et actualitatis gradu; ergo est summe intelligens. Paulo fusiùs de *objecto*, *dotibus*, *speciebus* ac *medio* scientiæ divinæ, edisserendum est.

I. *De objecto scientiæ divinæ.*

485. *Cognoscit Deus :* **A) seipsum** : **a**) Deus enim, cùm sit in summo intellectualitatis gradu, intelligit sine ullâ omnino potentialitate, seu est actus purus in ordine intellectionis : unde in ipso intellectus intelligens et res

[1] *Ps.* CX, 10. — [2] *Rom.*, V, 3-5.

intellecta et intellectio sunt unum et idem : ergo Deus se quàm intime intelligit. **b**) Ceterum objectum proportionatum et proprium intellectûs divini est sane ipse Deus; tantum autem seipsum cognoscit quantum cognoscibilis est, ideoque seipsum perfecte comprehendit[1].

486. **B) Alia a se.** Etenim : **a**) Cùm seipsum perfecte cognoscat Deus, cognoscit perfecte virtutem suam; et " cùm virtus divina se extendat ad alia, eo quod ipsa est prima causa effectiva omnium entium, necesse est quod Deus alia a se cognoscat[2] "; **b**) ipsum esse Dei est ejus intelligere : ergo quæcumque præexistunt in eo sicut in causa primâ, sunt et ab eo ab æterno intellecta.

487. **C) Omnia, etiam futura libera.** Certum est. **a**) *Script.* 1) Modo generali asseritur Dei scientiam esse *universalem :* " Cognovit Dominus omnem scientiam[3] ". 2) Cognoscit *omnes creaturarum actiones*, imo et *arcanas cogitationes :* " Vidit omnes filios hominum... qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum... omnia corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit... scrutans corda et renes Deus[4] ". 3) Cognoscit omnia *futura* sive *necessaria* sive *libera :* " Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua "; " intellexisti cogitationes meas de longe... et omnes vias meas prævidisti[5] "; hinc de Christo dicitur : " Sciebat ab initio Jesus qui essent non credentes[6] ". 4) Novit etiam *possibilia*, nam dicitur : " Vocat *ea quæ non sunt*, tanquam ea quæ sunt[7] ".

b) *Ratione.* Deus enim cognoscere nequit perfecte seipsum et suas creaturas quin cognoscat simul omnia quæ sunt in potentiâ suâ vel creaturæ; sed inter hæc quædam sunt contingentia nobis futura. Non ea vero cognoscit quatenus sunt in causis suis proximis seu creaturis, sed prout sunt in seipsis; et tamen ejus cognitio non est successiva, quia mensuratur æternitate sicut et suum esse : æternitas autem tota simul existens ambit totum tempus[8].

[1] *Sum. th.*, 1ª pars, q. 14, a. 3. — [2] Ibid., a. 5.
[3] *Eccli.*, XLII, 19; *Hebr.*, IV, 13.
[4] *Ps.* XXXII, 13-15; *I Reg.*, XVI, 7; *I Parap.*, XXVIII, 9.
[5] *Ps.* CXXXVIII, 3-5. — [6] *Joan.*, VI, 65; *Rom.*, IV, 17.
[7] *Rom.*, IV, 17. — [8] 1ª pars, q. 14, a. 13.

Hinc errarunt multi Gentiles, inter quos *Cicero*, quidam hæretici ut *Marcion* et *Sociniani*, et plerique hodierni *Rationalistæ* futurorum præscientiam Deo denegantes, quo melius humanam libertatem salvarent.

488. D) *Deus infallibiliter cognoscit* **futura conditionate libera**, id est *ea quæ sub certâ conditione futura essent, sed non erunt præ conditionis defectu.* Ita communis et certa sententia. Probatur **a**) *Scripturâ :* 1) ex his Christi verbis : " Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere et cilicio pænitentiam egissent[1] "; 2) ex asseveratione quâ Deus respondit Davidem tradendum esse Sauli a Ceilitis si in eorum civitate remaneret[2]. **b**) *Rat.* Deus cognoscit quidquid est verum et habet rationem entis; atqui futura conditionata sunt in se aliquid verum; ergo Deus ea cognoscit, et cùm ejus scientia perfecta sit, ea non conjecturaliter, sed infallibiliter præenoscit.

489. E) **Quoad difficultatem conciliandæ præscientiæ divinæ cum libertate humanâ**, ponderentur sequentes animadversiones.

a) Tota difficultas est circa *modum* quo ambæ veritates consistunt; jamvero ignorantia modi non tollit certitudinem facti; **b**) falleretur Deus, si actiones quas futuras esse liberas prænoscit, libere non peragerentur; **c**) scientia divina, utpote tota in puncto immutabili æternitatis collecta, se habet ad futura omnia, sive necessaria, sive libera, sicut visio nostra ad præsentia; sed visio nostra non tollit contingentiam eorum quæ videntur, sicut memoria nostra non cogit facta esse quæ præterierunt[3]; **d**) quod Deus prævidet, *infallibiliter* quidem, id est *certo* eveniet, sed *non semper necessario :* necessitas enim sumitur ex ordine ad causas proximas, non ex ordine ad primam causam.

Ex quibus intelligi datur quomodo solvi possit hæc trita objectio : Deus prævidit me vel salvum fore, vel damnandum; si prius, quidquid egerim, in tuto est salus mea; si posterius, quidquid fecerim, certa est damnatio mea. Minor siquidem hujus argumenti omnino falsa est; nam si Deus prævidit me salvum fore, eo ipso prævidit me bene acturum, pariter si prævidit me esse damnandum, prævidit etiam me male acturum; proinde minor contradictionem involvit. Ut vero hujus sophismatis vitium detegatur, contra arguentem sic retor-

[1] *Matth.*, XI, 21. — [2] *I Reg.*, XXIII, 11 sq.
[3] S. AUGUSTINUS, *De libero arbit.*, l. III, c. 4.

queatur : Deus prævidit te futurum esse divitem vel non : si prius, quidquid feceris, dives eris; si posterius, frustra desudas, nam semper remanebis pauper; ergo otiosam vitam agere debes. Falsa est conclusio; ergo peccat argumentum.

II. *De dotibus scientiæ divinæ.*

490. **Scientia Dei est non solum universalis,** seu omnia omninò comprehendens (n. 485-488), sed etiam :

1° **Una et simplicissima,** quatenus *unico actu* immutabiliter permanente Deus seipsum cognoscit, et in suâ essentiâ essentias omnium, et quæcumque eis accidere possunt : nam in Deo idem est esse et intelligere : sed esse divinum est unum et simplex. Hæc autem simplicitas compossibilis est cum pluralitate idearum : quod enim Deus intelligat plura objecta seu plures modos quibus sua essentia est participabilis, non officit simplicitati ipsius intellectûs divini.

2° **Intuitiva,** quatenus *unico intuitu* omnia plene perspicit, sine ullo discursu seu ratiocinio quo duplex imperfectio induceretur, successio scilicet et progressus in cognoscendo.

3° **Independens,** i. e., nullâ re externâ indigens a quâ suas cognitiones emendicet, quippe qui sit omnium causa efficiens simul et exemplaris.

4° **Infallibilis,** cùm intelligere divinum sit ipse Deus, ac simul causa et mensura omnis rei et veritatis, et exinde repræsentatio essentialiter adæquata tùm essentiæ divinæ, tùm omnium rerum creatarum.

491. Divinæ scientiæ consideratio *piis solatium*, et *impiis terrorem* affert : a) novit enim Deus justorum vota, lacrymas, luctam adversus vitia, bona opera, omniaque et singula remunerabit; novit pariter quibus gratiis indigeamus : "Scit Pater vester quia his omnibus indigetis [1]"; et si speramus in eum, non confundemur; b) sed videt pariter impiorum cogitationes etiam secretissimas, et secreta eorum delicta stricte puniet [2].

[1] *Matth.*, VI, 32.
[2] Cf. Monsabré, Carême 1874, 7e *Confér.*

III. *De speciebus et medio scientiæ divinæ.*

492. Quamvis scientia Dei sit simplicissima ex parte *cognoscentis*, ex parte tamen *cogniti* divisionem admittit. Sic distinguitur : a) scientia *speculativa*, quæ res contemplatur, et scientia *practica*, quæ, quatenus cum voluntate conjungitur [1], est causa rerum : scientia enim Dei se habet ad res creatas sicut scientia artificis ad artificiata; b) scientia *approbationis*, quando adjunctum habet actum voluntatis *complacentiæ*, et scientia *improbationis* seu *reprobationis*, quæ adjunctum habet actum *displicentiæ* seu aversionis. Sed in scholis potior est c) *divisio*, quæ desumitur ex *medio* in *quo* Deus perspicit res a se distinctas. Medium autem *in quo* est id cujus cognitio ducit ad cognitionem alterius [2].

493. 1° Sub hoc respectu, *Thomistæ* duplicem scientiam distinguunt in Deo : a) scientiam *simplicis intelligentiæ*, quâ Deus videt omnes essentias rerum *possibilium* in suâ *essentiâ*, quæ est omnis entis creabilis exemplar; b) scientiam *visionis*, quâ cognoscit omnia *existentia* sive sint præsentia, sive præterita, sive futura, non præcise in suâ essentiâ, sed in libero *decreto* suæ voluntatis, quatenus ab æterno decrevit quædam possibilia præ aliis producere in actum. Si autem quæratur quomodo *peccata* prævideantur, respondent ea cognosci *non* in decreto *approbativo*, sed in decreto *permissivo*, quatenus Deus ab æterno decernit in tali vel tali casu justis de causis suspendere seu denegare auxilium, quo vitaretur peccatum. Quoad *futura conditionata*, dicunt ea cognosci in decretis subjective absolutis et objective conditionatis; v. g., ab æterno Deus vult quod Tyrii convertantur, si ipsis Evangelium prædicetur; decretum illud est absolutum subjective " volo Tyrios converti ", sed conditionatum ex parte objecti " posito quod ipsis Evangelium prædicetur ".

494. *Objiciunt* quidem Molinistæ his decretis destrui libertatem. *Respondent* Thomistæ : quidquid Deus ab æterno decernit, certo quidem et infallibiliter evenit, non autem necessario [3]. Notetur insuper non esse de essentiâ causæ

[1] 1a pars, q. 14, a. 5.

[2] Unde distingui debet sedulo a *medio quo :* hoc enim est id quod concipitur ut integrans et perficiens principium elicitivum cognitionis seu intellectum : medium *quo* in nobis est species intelligibilis, in Deo est ipsa essentia divina.

[3] S. THOMAS, I, q. 19, a. 8.

secundæ, etiam liberæ, ut agat independenter a primâ causâ : omnis enim creatura penitus et undequaque a causâ primâ pendet quoad esse, ergo et quoad agere.

495. 2° Juxta *Molinistas*, præter scientiam simplicis intelligentiæ et visionis, alia admittenda est, circa futura conditionata, quæ *media* vocatur, quia ejus objectum inter mere possibilia et absolute futura interjacet. Docent siquidem futura libera non in divinis decretis cognosci, sed in seipsis, in suâ *veritate objectivâ*. Ex duabus enim propositionibus contradictoriis, v. g., "si Petrus in his adjunctis constitueretur, *peccaret*", et "si Petrus constitueretur in his adjunctis, *non peccaret*", una est determinate vera, et altera determinate falsa; atqui Deus cognoscere potest quidquid est determinate verum.

Reponunt *Thomistæ* Molinistas satis evidenter egredi quæstionem. Non quæritur *num* Deus cognoscat futura, sive absoluta, sive conditionata, sed in *quo medio* Deus hæc cognoscat. Cui quæstioni directiùs satisfit per argumentum sequens : Futura libera Deus cognoscit vel in seipsis, vel in voluntate creatâ, vel in essentiâ divina, vel in decretis suis. Atqui non cognoscit futura in seipsis, cùm Deus suam scientiam non emendicet ab extrinseco; nec in voluntate creatâ, quæ est de se indeterminata; nec in suâ essentiâ quæ res tantùm exhibet ut possibiles et abstrahendo ab existentiâ. Restat igitur ut Deus futura omnia, sicut et omnia præterita et omnia præsentia, cognoscat in decreto objective multiplici suæ voluntatis. Ergo superflua est scientia media.

Art. II. De voluntate divinâ.

496. **Voluntatem** *esse in Deo* ratio facile demonstrat; nam, ut recte ait *S. Thomas*, voluntas intellectum consequitur, proindeque in quolibet habente intellectum est voluntas. Voluntas autem Dei nec ab essentiâ nec ab intellectu realiter distinguitur, sed "sicut suum intelligere est suum esse, ita et suum esse est suum velle". Dicemus de *objecto*, *libertate* et *divisionibus* divinæ voluntatis.

I. *De objecto divinæ voluntatis.*

497. 1° *Objectum voluntatis divinæ* **bonum** *esse*, nemo est qui dubitet, cùm Deus, utpote essentialiter sanctus (n. 474), nonnisi bonum appetere valeat. Duplex autem objectum divinæ voluntatis distingui potest : *primarium* est ipsa divina essentia seu bonitas, *secundarium* sunt

creaturæ : essentia enim divina est summum bonum, dum creaturæ non habent nisi bonum participatum; ergo Deus vult se primario, creaturas autem secundario. Quod sic breviter contrahit *S. Thomas :* " Sic igitur vult et se et alia : sed se ut *finem*, alia vero ut *ad finem* [1] ".

498. 2° *Relate ad* **malum**, *hæc statuenda sunt.*

A) *Deus malum physicum non intendit nisi per accidens.* Id enim per accidens appetitur quod quis vult non ratione sui, sed ratione alterius quocum conjungitur; atqui Deus nullum malum vult ratione sui, cùm voluntas quæ sequitur intellectum essentialiter inerrantem, bono tantum inhæreat, sed cùm majus bonum, sive physicum sive morale, ex aliquo malo physico sequi possit, nil impedit quin malum physicum *per accidens* velit propter majus bonum.

499. B) *Deus malum morale non intendit, sed solum permittit.* De fide est ex *Trident.*[2] : " Si quis dixerit... mala opera ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium opus ejus non minus proditio Judæ quam vocatio Pauli, A. S. "

a) *Scriptura* enim diserte affirmat : 1) Deum odisse et abominari peccatum : " Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit juxta te malignus... [3] "; 2) Deum neminem tentare : " Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est : ipse autem neminem tentat [4] "; 3) imo Deum non posse ad iniquitatem respicere, sed eam æternis suppliciis punire : " Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris [5] "... " An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? [6] "

500. b) *Peccata autem fieri permittente Deo*, constat ex eo quod nihil contingat nisi Deo volente vel permittente, qui est omnium Supremus Rector et Gubernator.

Si autem inquiritur cur Deus peccatum permittat, respondetur quia ex malo novit elicere maxima bona.

---

[1] I, q. 19, a. 1. — [2] *Trid.*, sess. VI, c. 6. — [3] *Ps.* V, 5, 7.
[4] *Jac.*, I, 13. — [5] *Hab.*, I, 13. — [6] *I Cor.*, VI, 9.

Unde ait *S. Augustinus*[1] : "Neque Deus omnipotens ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo". Præcipua vero bona quæ ex malo eliciuntur sunt ostensio *justitiæ* in puniendis peccatis, aut *misericordiæ* in eis condonandis, *virtutum* exercitium, v. g., *patientiæ* ex afflictionibus irrogatis ab impiis, *humilitatis* ex proprii lapsûs consideratione, etc.

II. *De libertate divinæ voluntatis.*

501. 1° Notio. Libertas, de quâ agitur, est *immunitas a necessitate tum externâ tum internâ*, et definiri potest *potestas inter plura eligendi.* Deum autem non esse liberum erga suam ipsius bonitatem ab omnibus conceditur : necessario enim seipsum vult et amat.

502. 2° Thesis : *Deus liber est in omnibus operibus ad extra.* De fide est, quoad creationem, ex *Vaticano :* "Si quis... Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate liberâ, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum, A. S." Probatur :

A) *Script.* **a)** De operibus enim *naturalibus* dicitur : "Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo, in terrâ, in mari et in omnibus abyssis[2]..." **b)** De operibus autem *supernaturalibus :* "Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult[3]..." **c)** Deum autem *non teneri optimum eligere* colligitur præsertim ex eo quod Incarnatio, quæ est Dei opus optimum, libere decreta fuerit, ut infra probabitur.

B) *Rat.* Voluntas divina, cùm a sapientiâ dirigatur, non necessario sed libere vult ea quæ ei necessaria non sunt; atqui nihil eorum quæ sunt extra Deum, ipsi necessarium est, cùm nihil ei perfectionis ex eis accrescat : ergo Deus alia a se vult libere[4].

Ergo erraverunt *Abælardus* (1116), *Wicleffus* (1375), *Calvinus* (1536) qui docuerunt Deum facere non posse nisi ea quæ fecit; *Leibnitzius* et *Optimistæ*, qui contenderunt Deum esse liberum eo sensu quod possit creare vel non, sed, posito

---

[1] *Enchiridion*, cap. XI, *P. L.*, XL, 236.
[2] *Ps.* CXXXIV, 6. — [3] *I Cor.*, XIII, 11. — [4] S. Th., I, q. 19, a. 3.

quod creare velit, optimum eligere teneri; præsertim vero *Rationalistæ*, ut *Cousin, Saisset*, qui tenent creationem esse necessariam[1].

503. 3° *Conciliatio libertatis cum immutabilitate Dei.* Difficultas in eo sita est quod, ex unâ parte, quidquid in Deo reperitur, immutabile et necessarium sit, et ex alterâ, actus liber aliquo modo contingens esse debeat, cùm possit esse vel non esse. Duplex systema a theologis excogitatum est ad hanc difficultatem, quam fere insuperabilem esse fatemur, aliquo modo solvendam.

504. A) *Scotistæ*, cum paucis aliis, duplicem in Deo actum admittunt, unum quidem essentialem et necessarium, quo seipsum vult et amat, alterum vero accidentalem et liberum, quo creaturas vult et diligit : quo pacto facile libertatem explicant. Ad salvandam vero immutabilitatem, dicunt non quamlibet mutationem ab eâ excludi, sed solum eam mutationem, quâ Deus pejor vel melior foret; jamvero actus liber, quo creaturas creat vel diligit, eum nec pejorem nec meliorem facit. Quod systema communius rejicitur, quia in Deo modos accidentales supponit; quod ejus perfectissimæ simplicitati repugnat.

505. B) *Thomistæ* autem, cum aliis theologis communiter, docent unicum esse actum in Deo, qui, propter suam infinitam perfectionem, potest esse simul necessarius et liber: necessarius, prout ad esse divinum terminatur; liber, prout ad creaturas terminatur. Sic optime salvatur Dei immutabilitas, cùm unus in eo sit actus. Quod autem libertas salva sit, minus facile ostenditur. Ad hoc autem utcumque evincendum, in libero actu tria distinguuntur : subjectum volens, res volita, et relatio inter utrumque; jamvero, ut aliqua res libere producatur, sufficit ut relatio inter subjectum et rem volitam sit libera; atqui res ita se habet quando Deus vult creaturas : nam licet actus volitionis, in Deo spectatus, sit necessarius, relatio quam habet ad rem volitam non est necessaria, cùm res illa sit ex se contingens et possit existere vel non[2]. — Ceterum duplex est perfectio et quidem utraque omnino digna Deo : seipsum diligere et velle necessariò, creata verò pro suo merito libere velle : unde nil impedit quin hæ duæ perfectiones in Deo coalescant in unam ac transcendentalem perfectionem, sicut unitas et Trinitas coalescunt in unum ac simplicissimum esse.

[1] " Deus, si causa est, creare potest, et si causa absoluta est, non potest non creare ". (COUSIN, *Introd. à l'Hist. de la Philos.*, leç. 5.)
[2] Cf. BILLUART, *de Deo*, disp. VII, a. 4.

III. *De divisionibus divinæ voluntatis.*

506. 1° Voluntas divina, *virtualiter* seu secundum nostrum concipiendi modum (n. 447), dividitur in voluntatem *beneplaciti*, et voluntatem *signi : prior* est voluntas proprie dicta, seu interna volitio; *posterior* est solum externum divinæ voluntatis signum, quod per metaphoram voluntas dicitur. Quinque hujusmodi signa vulgo numerantur :

Præcipit, et prohibet, permittit, consulit, implet[1].

507. 2° Voluntas beneplaciti dividitur in *antecedentem* et *consequentem;* sed hæc divisio non eodem modo declaratur a variis theologis :

A) Juxta *Thomistas*, voluntas dicitur *antecedens*, quatenus fertur in objectum secundum se consideratum, et præcisum a circumstantiis; *consequens*, quatenus fertur in objectum vestitum omnibus suis circumstantiis; sic, v. g., judex *antecedenter* vult omnem hominem vivere, sed *consequenter* vult homicidam suspendi; similiter Deus considerans homines secundum se, vult *antecedenter* omnes salvare, considerans vero pluribus de causis expedire ut permittat aliquos voluntarie ac libere in peccato remanere, *consequenter* vult quosdam propter peccata sua damnari[2].

B) Juxta *Molinistas*, voluntas *antecedens* illa est quâ Deus, antecedenter ad absolutam prævisionem boni vel mali usûs libertatis, aliquid decernit facere; voluntas *consequens* ea est quâ Deus vult aliquid, consequenter ad absolutam prævisionem boni vel mali usûs liberi arbitrii[3].

508. 3° Voluntas Dei est *conditionata*, si ejus exsecutio ab aliquâ conditione pendet; *absoluta*, si a nullâ pendet conditione.

Quidquid autem Deus vult simpliciter, absolute et consequenter, semper impletur. Sed quod Deus vult antecedenter vel conditionate, aliquando non fit; v. g. : " Mundare te *volui*, et *non es mundata*... Quoties *volui* congregare filios tuos... et *noluisti*[4]". Unde potest distingui voluntas Dei *efficax* vel *inefficax*.

---

[1] S. TH., I, q. 19, a. 12.
[2] Cf. BILLUART, *de Deo*, dis. VII, a. 5.
[3] Cf. DE AUGUSTINIS, *de Deo uno*, pars IV, a. 6; PESCH, n. 321.
[4] *Ezech.*, XXIV, 13; *Matt.*, XXIII, 37.

Art. III. De Providentiâ Dei.

509. 1° **Notio.** Providentia definiri solet : *ordinatio rerum ad debitum finem, per media apta ad illum finem assequendum.* Unde Providentia est formaliter actus intellectûs, cujus est *providere* seu excogitare finem et media ad illum proportionata, sed supponit etiam actum voluntatis, quia importat intentionem finis et mediorum. Executio autem in tempore rerum ab æterno provisarum vocatur a S. Thomâ *gubernatio divina* [1].

Existentiam divinæ providentiæ impugnârunt *Epicuræi*, qui Deum finxerunt otiosum nec de creaturis curantem; *Stoici*, qui putârunt nobiliora non autem minuta ipsi curæ esse; plerique *Deistæ* seu Rationalistæ, juxta quos mundus legibus naturalibus gubernatur sine ullo Dei interventu; necnon *Pessimistæ*, ut *Schopenhauer* et *Hartmann*, qui contendunt mundum, prout existit, esse absolute malum.

510. 2° **Thesis** : *Deus omnium rerum curam habet, easque ad determinatum finem dirigit.* De fide est ex *Vaticano :* " Universa vero quæ condidit, Deus providentiâ suâ tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter [2] ". Probatur :

A) *Script.* quæ declarat Deum : a) *omnibus* rebus providere : " Attingit a fine ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter "... " Non est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus [3] "; b) etiam *minimis :* " Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? [4] "; c) et iis quæ *fortuita* esse videntur : " Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur [5] "; d) *speciatim* tamen *hominibus* sive quoad temporalia, sive quoad spiritualia : " Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini... Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis... [6] ". e) Eadem providentia ad *actus liberos* se extendit, quibus homines ad finem suum tendunt : " Sicut divisiones

[1] S. Th., I, q. 22, a. 1, ad 2.
[2] *Sess. III*, cap. 1, Denz.-Bann., 1784 (1633).
[3] *Sap.*, VIII, 1; XII, 13. — [4] *Matt.*, X, 29; cf. VI, 25 sq.
[5] *Prov.*, XVI, 33. — [6] *Matt.*, VI, 25 sq.; X, 29 sq.

aquarum, ita cor regis in manu Domini [1]". f) *Eventus* etiam a Deo diriguntur, et quidem ita ut ad electorum salutem conferant : " Vos cogitâstis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum... Omnia enim propter vos, ut gratia abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei [2] ".

B) *Ratione*[3]. Providentia enim duo importat : assignationem finis et mediorum ad finem assequendum; atqui hæc duo supremo Numini conveniunt; cùm enim omne agens agat propter finem, Deus, varia entia creando, ad finem determinatum ea ordinavit; cùm volens finem, velit media, Deus media determinavit idonea ad finem attingendum, ita ut ipse creaturas ad suum finem dirigat, et de omnibus curam habeat.

511. **3° Solv. diffic.** Difficultates desumuntur præsertim ex *malorum* existentiâ in ordine tum *physico* tum *morali;* et ex *inæquali*, imo injustâ, ut aiunt, *bonorum distributione.* Hæc vero divinæ Providentiæ non obstant.

A) *Mala physica* sic explicari possunt : a) Ordo physicus, utpote inferior ordini morali, ei subordinari debet, proindeque mala physica per accidens intendi possunt a provisore universali dummodo ad bonum universale et gloriam Dei conducant; atqui res ita se habet; nam, ut ait *S. Thomas*[4], " si omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo ".

b) Posito originali peccato, cujus existentia alibi probatur, jam facilius mala physica intelliguntur : sunt enim : 1) sequela peccati, proindeque protoparentibus, non Deo ascribenda; 2) actualium peccatorum pœna juste irrogata; 3) insuper occasionem præbent satisfactionis et meriti, virtutisque colendæ, cùm homo hujus vitæ miseriis perpetuo admoneatur se non habere hìc *manentem civitatem*, sed futuram inquirendam esse : sic igitur mala physica ad altioris ordinis bonum prosunt.

512. B) Quoad *malum morale*, sic arguimus : in tantum malum morale divinæ obesset Providentiæ in quantum nulla adesset ratio illud permittendi; sed *adest ratio peccatum permittendi :* a) ex parte *Dei*, nam independentia ipsius postulat ut creaturarum malitiâ impediri nequeat a creandis iis quæ

---

[1] *Prov.*, XVI, 9; XXI, 1.
[2] *Gen.*, L, 20; *II Cor.*, IV, 15; cf. *I Cor.*, III, 22-23.
[3] S. TH., I, q. 22, a. 1-2. — [4] S. TH., I, q. 22, a. 2, ad 2.

possibilia et utilia sunt; b) ex parte *creaturæ*, nam " sicut perfectio universitatis rerum requirit ut non solum sint entia incorruptibilia, sed etiam corruptibilia; ita perfectio universi requirit ut sint quædam quæ a bonitate deficere possint; ad quod sequitur ea interdum deficere[1] ".

513. C) *Inæqualis* autem *bonorum distributio* in se nullo modo divinæ obstat Providentiæ, cùm ad perfectionem universi requiratur ut creaturæ sint aliæ aliis perfectiores. Sed objicitur pios homines sæpissime calamitatibus affligi, dum impii honoribus et divitiis affluunt.

Respondetur : a) non semper bona malis et mala bonis obvenire, sed plerumque bona et mala indiscriminatim utrisque evenire, juxta illud : " Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos[2] "; b) esto justos multo plus affligi quam injustos, sic explicatur Dei agendi ratio : ex unâ parte, nullus est impiorum qui aliquid boni non fecerit, et convenit ut Deus eis præmium temporale largiatur, cùm ab æternâ beatitudine excludantur; ex alterâ, vix ullus justorum est qui non peccaverit, et convenit eos temporaliter affligi, quo citius æternam adipiscantur beatitudinem.

Art. IV. De Prædestinatione et Reprobatione.

514. **Status quæstionis.** 1° Prædestinatio, in sensu *stricto*, est actus quo Deus certos homines ad salutem consequendam efficaciter destinat[3]. Duos complectitur actus, unum *intellectûs*, quo Deus quorumdam salutem disponit et ordinat, alterum *voluntatis*, quo vult eos salvari. Duplex distingui potest, alia *completa* seu *adæquata*, quæ complectitur totam seriem gratiarum ad salutem perducentium, et salutem ipsam; alia autem *incompleta* seu *inadæquata*, quæ refertur vel ad gratias singulas, vel ad seriem gratiarum seorsim a gloriâ, vel ad gloriam seorsim spectatam; hinc datur prædestinatio ad *fidem*, *ad justificationem* seu *gratiam*, *ad gloriam*. Sæpe sæpius prædestinatio in S. Litteris vocatur *propositum*, *electio*, et prædestinati dicuntur *electi*, *dilecti*, *salvati*[4].

515. 2° *Prædestinationem tum ad gratiam, tum ad gloriam exsistere certum est*, imo *de fide divinâ*.

---

[1] I, q. 48, a. 2. — [2] *Matth.*, V, 45.
[3] S. August., *De dono persev.*, c. 14, n. 35; *P. L.*, XLV, 1014.
[4] *Ephes.*, I, 1-11; *Rom.*, XI, 5-7; *I Thess.*, I, 4; *I Petr.*, I, 1.

A) In *Script.* 1) de priore dicitur : " Qui prædestinavit nos in *adoptionem filiorum* per Jesum Christum[1] ", id est ad gratiam, quâ filii Dei adoptivi efficimur; 2) de posteriore : " Venite, benedicti Patris mei, possidete *paratum vobis regnum a constitutione mundi*[2] "; 3) de utrâque : " Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui... quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et *justificavit;* quos autem justificavit, illos et *glorificavit*[3] ".

B) Deus nihil facit in tempore quod ab æterno non præordinaverit; atqui in tempore quosdam præ aliis salvat; ergo hos ab æterno præelegit.

516. 3° De *extensione* vero et *causâ* prædestinationis multæ quæstiones agitantur. Ut autem certa ab incertis secernamus, primum catholicam doctrinam contra Protestantes et Jansenistas vindicabimus, postea vero præcipua theologorum systemata exponemus.

I. *De voluntate salvificâ Dei doctrina catholica.*

517. 1° Errores. A) *Prædestinatiani*, quorum præcipui duces fuere *Lucidus* presbyter, in Conc. *Arelatensi* damnatus (474); et *Gothescalcus*, in Conc. *Moguntino* (848) et *Carisiaco* (849) condemnatus, docuerunt Deum nolle omnes homines salvos fieri, nec Christum pro omnibus, sed pro solis prædestinatis, mortuum fuisse.

B) *Calvinus* eumdem errorem renovavit; ait enim[4] : " Non enim pari conditione creantur homines, sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur ".

Ejus discipuli, *Calvinistæ*, qui etiam *Presbyteriani* dicuntur, in duas sectas divisi sunt : a) *Antelapsarii*, seu *Supralapsarii*, contenderunt, etiam ante lapsum primi hominis prævisum, aliquos ad vitam æternam, alios vero ad pœnas æternas fuisse destinatos, eâ solâ ratione quia Deus vult tum misericordiam, tum justitiam suam manifestare. b) *Postlapsarii* docuerunt, nonnisi post Adami lapsum prævisum, Deum aliquos homines ad æternam beatitudinem destinâsse, ceteros vero, in pœnam peccati originis, ad infernum.

C) *Janseniani* docuerunt quidem Deum, ante prævisum lapsum, sincere velle salutem omnium, sed, post prævisum

---

[1] *Ephes.*, I, 5. — [2] *Matt.*, XXV, 34. — [3] *Rom.*, VIII, 29-30.
[4] *Instit.*, l. III, c. 21, n. 5-7.

lapsum, non velle vere et sincere nisi salutem electorum; his præparâsse gratias efficaces, aliis autem gratias quæ, licet *in se* sufficientes, non sufficiunt tamen ad concupiscentiam hìc et nunc prementem superandam.

518. 2° Thesis : *Deus voluntate antecedenti verâ et sincerâ vult, etiam post prævisum lapsum, salutem omnium hominum, nec ullum ad æterna supplicia destinat, ante prævisa demerita*[1]. a) De fide est Deum sincere velle salutem quorumdam saltem qui non sunt prædestinati, imo omnium fidelium; nam 1) propositio Jansenii asserens " semipelagianum esse dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse", intellecta eo sensu quod *Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit*, ut *hæretica* damnata est[2]; 2) omnes fideles Symbolum profiteri tenentur, in quo dicitur : " qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cælis"; ergo de fide est Christum pro omnibus saltem fidelibus mortuum esse, proindeque Deum sincere eorum velle salutem. b) *Certum est et fidei proximum* Deum sincere velle salutem *omnium adultorum*, etiam infidelium. c) *Communiter* tenetur Deum sincere velle etiam salutem infantium, qui moriuntur antequam baptizari possint.

519. A) *Script.* a) Deus, etiam post originale peccatum, omnes creaturas diligit et omnium miseretur : " Misereris omnium quia omnia potes et dissimulas peccata hominum propter pænitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti[3]"... Sed Deus non omnes diligeret, nec omnium misereretur, si ab æterno decrevisset quosdam quidem salvari, alios autem damnari, ante prævisa eorum demerita. b) Speciatim quoad *fideles* ait *S. Paulus*[4] : " Speramus in Deum vivum qui est salvator *omnium*, maxime *fidelium* ". c) Quoad *infideles*, demonstratur præsertim ex textu *S. Pauli*[5] : " Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes... pro *omnibus* hominibus, pro *regibus* et omni-

---

[1] Præter opera in *Maj. Syn.* citata, cf. L. CAPÉRAN, *Le Problème du salut des infidèles, Essai théologique*, 1912, p. 32-35, et *Essai historique*, passim.

[2] DENZING., n. 1096 (970). — [3] *Sap.*, XI, 24-27; XII, 19.

[4] *I Tim.*, IV, 10. — [5] *I Tim.*, II, 1-6.

bus qui in sublimitate sunt... Hoc enim bonum et acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui *omnes* homines vult *salvos fieri*, et ad *agnitionem veritatis* venire." In hoc textu S. Paulus obsecrat ut fiant orationes pro *omnibus*, quia Christus dedit semetipsum *redemptionem* pro *omnibus*, proindeque agitur etiam de homine lapso; atqui, ex contextu apparet vocem illam *omnibus* complecti etiam *infideles*, quia in versiculo secundo agitur de regibus et magistratibus hujus temporis, qui adhuc infideles erant. d) Christi sententia in ultimo judicio manifeste supponit reprobos nonnisi propter opera sua mala damnandos esse, non autem ex beneplacito Dei, vel originali peccato; sic enim Christus eos alloquetur [1]: "Discedite a me, maledicti, in ignem æternum... esurivi enim et non dedistis mihi manducare, etc."

520. B) *Traditione.* Thesi nostræ suffragantur aperte Concilia *Arausicanum II*, et *Arelatense* [2]; suffragantur omnes Patres græci, et etiam Latini [3] usque ad S. Augustinum; imo et suffragatur ipse S. Augustinus, quidquid effutiunt Protestantes et Janseniani.

Etenim sanctus Doctor, in libro de *Catechiz. rudibus*, quem scripsit a. 400, jam a quinque annis Episcopus, postquam errorem Semipelagianorum exuerat, dicit : "A quo interitu, hoc est pœnis sempiternis, Deus misericors volens homines liberare, *si sibi ipsi non sint inimici*, et *non resistant misericordiæ* Creatoris sui, misit Unigenitum suum [4]". Nec minus aperte in opere *de Spiritu et Litterâ* (a. 412) loquitur : "Vult autem Deus *omnes homines salvos fieri* et in agnitionem veritatis venire; non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes, justissime judicantur [5]". Similia invenire est in aliis operibus S. Doctoris. Si qua igitur sint dubia loca, explicanda sunt per clariora; nec mirum est aliquando S. Augustinum Pelagianorum errores confutando, verba adhibuisse quæ nimis dura videntur, et quæ ex contextu et aliis locis emolliri debent.

521. C) *Rat. theol.* a) Constat *supralapsariorum* systema manifeste divinis attributis adversari : *bonitati*, cùm crudele sit aliquot creaturas, ante ullum peccatum

[1] *Matth.*, XXV, 41 sq. — [2] DENZ-BANN., 200 (169).
[3] JOURNEL, n. 125 sq. *Ind. theol.* — [4] Cap. 26, n. 52, P. L., XL, 345.
[5] Cap. 33, n. 58; JOURNEL, 1735.

prævisum, suppliciis æternis devovere; *sapientiæ*, nam sapiens legislator non intendit pœnas, nisi quatenus necessariæ sunt ad peccatum puniendum; *sanctitati*, quia Deus, quosdam ad infernum prædestinando, eosdem ad peccatum prædestinare debet, sicque fit auctor peccati; tandem *justitiæ*, licet enim Deus non teneatur creaturas ad finem supernaturalem destinare, si de facto eis finem supernaturalem assignat, sibimetipsi debet ut media supernaturalia ad hunc finem attingendum necessaria concedat.

b) Quæ argumentatio etiam contra *Infralapsarios* militat. Si enim, post originale peccatum, Deus nonnisi aliquos ex iniquitatis massâ salvare vult, ubi est *sapientia?* Ex unâ parte, homines ad finem supernaturalem destinati manent, et ex alterâ, propter culpam non personalem sed capitis sui, incapaces sunt hunc finem assequendi. Ubi ejus *bonitas?* cùm enim facillime omnibus media ad salutem necessaria præparare valeat, mediumque redemptionis de facto instituerit quod ex se omnibus prodesse potest, positive et directe multos ab hoc medio prohibet. Ubi ejus *amor?* Deus, in hâc hypothesi, quosdam quidem diligit, eos eligendo, alios vero odio gratis habet. Cum Psalmistâ igitur concludamus : " Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se; quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est quoniam pulvis sumus [1] ".

II. *Theologorum de prædestinatione systemata.*

522. *Status quæstionis.* Sciendum est imprimis in quibus omnes catholici theologi conveniant : **a**) Prædestinatio ad primam gratiam fit ante prævisionem omnis meriti, cùm hæc gratia nullo modo mereri possit. **b**) Prædestinatio ad ultimam gratiam seu ad perseverantiam finalem, non cadit sub merito de condigno. **c**) Prædestinatio adæquate sumpta, quatenus totam gratiarum seriem complectitur, a primâ gratiâ usque ad gloriam, est gratuita, ideoque fit ante prævisa merita; nam ordo supernaturalis vires et exigentias naturæ superat, proindeque destinatio ad illum est omnino indebita.

Quæstio est igitur *de prædestinatione ad gloriam præcisive sumptam.* Hìc etiam omnes conveniunt gloriam *in ordine exsecutionis* propter merita conferri; sed quæstio est utrum

---

[1] *Ps.* CI, 13-14.

Deus ab æterno decreverit gloriam electis dare *post* an *ante* eorumdem prævisa merita supernaturalia.

523. 1° *Molinistæ* tenent prædestinationem adultorum ad gloriam esse *post prævisa merita;* et, ad suam mentem melius aperiendam, sic proponunt ordinem divinorum decretorum : a) Deus vult, etiam supposito peccato originali, voluntate antecedente verâ et sincerâ, omnes homines salvari, eisque præparat media saluti remote vel proxime sufficientia; b) ex speciali prædilectione aliquibus destinat gratias, quibus prævidet, mediæ scientiæ ope, eos esse consensuros; c) scientiâ visionis prævidet eos bene acturos, et in statu gratiæ morituros, et, post prævisa eorum merita, eosdem ad gloriam prædestinat; d) prævidet pariter alios in peccato mortali esse morituros, et, post prævisa eorum demerita, eos ad gehennam condemnat.

Ad hunc conceptum fulciendum : a) allegant plures textus Scripturæ et imprimis verba quibus Christus in ultimo judicio electos sit allocuturus [1] : " Venite, benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare, etc. "; b) contendunt ex sententiâ oppositâ exhortationes vim suam amittere, torporem et incuriam de salute induci.

524. 2° *Thomistæ* autem, *Augustiniani*, *Congruistæ* et *Scotistæ* non pauci, tenent prædestinationem ad gloriam fieri ante prævisa merita, licet reprobatio positiva prævisionem meritorum sequatur. Sic decreta divina ordinare solent : a) Deus voluntate antecedente, verâ et sincerâ, omnes creaturas rationales ad æternam felicitatem ordinat, etiam supposito originali peccato, eisque gratias vere sufficientes præparat; b) quasdam vero præ aliis eligit, quas decreto absoluto et efficaci vult salvare; c) et eisdem gratias præparat *ex se* efficaces, quibus infallibiliter, etsi libere, bene agant et salventur; d) prævidens, in suis decretis, electos bona opera acturos et usque ad finem perseveraturos, decernit in ordine exsecutionis eis gloriam ut mercedem conferre; e) cùm vero pariter in decretis prævideat alios in statu mortalis peccati morituros, eos ad pœnas æternas destinat.

Quod probatur præcipue ex testimonio *S. Pauli* ad *Rom.*, c. 8, 9 et 11, ubi ex proposito de prædestinatione gratuitâ agens, eam *explicat*, *probat* et contra impugnantes *defendit :* a) eam definit *propositum Dei*, *propositum secundum electionem* Dei [2], *electionem gratiæ*, id est gratuitam, nam " si gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia [3] "; explicat quomodo hujusmodi vocatis omnia cooperentur in bonum : " Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur

---

[1] *Matth.*, XXV, 34 sq. — [2] *Rom.*, XI, 11. — [3] *Rom.*, XI, 5-6.

in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti[1]"; declarat ex tali proposito fluere vocationem efficacem, justificationem et glorificationem : "Quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit[2]"; b) deinde quærens cur ex Israeliticis tam pauci in Christum credant, respondet non omnes fuisse efficaciter prædestinatos, sed aliquos tantum præ aliis a Deo gratis electos; et hanc gratuitam electionem variis illustrat exemplis[3]; c) tandem objectiones contra gratuitam prædestinationem solvit, more Thomistarum, tum principio generali : "O homo, tu quis es qui respondeas Deo?[4]" tum exemplo figuli qui ex eodem luto fingit aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam[5]. Porro hæc omnia nihil aliud sunt nisi ipsissima Thomistarum thesis; supponunt enim Deum nos eligere ad gloriam beneplacito suo, omnia bona fluere ex hâc electione, etiam merita nostra. Aliunde, quicumque prudenter et ordinate agit, prius intendit finem quam media; atqui Deus prudenter et ordinate agit, et aliunde merita sunt media, gloria est finis; ergo prius intendit gloriam quam merita.

525. 3° **Conclusio**. Mysterium divinæ prædilectionis erga electos manet in utrâque explicatione : *gratuito* enim eligit Deus prædestinatos in ordine *exsecutionis* primo ad perseverantiam finalem in gratiâ et deinde ad consecutionem gloriæ. Hoc autem attente perpenso, nulla videtur remanere difficultas ad ponendam in æternâ divinæ Providentiæ *intentione* primo electionem ad gloriam, secundo et in ordine ad gloriam, electionem ad gratiam et perseverantem famulatum in gratiâ; imo sententia Thomistarum sententiæ Molinistarum præcellere videtur in eo quod ponit in Deo consilium magis ordinatum.

Remanet igitur ut Thomistæ et Molinistæ exclament cum S. Paulo : "O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis ejus consiliarius fuit?[6]" Duo ex Scripturâ certo colliguntur, scilicet salutem nostram esse tum in manu Dei, tum in manu consilii nostri. Deus certo non deficiet, sed e contra gratias non solum sufficientes, sed etiam abundantes nobis largietur; necesse est igitur ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus.

526. 4° *Corollaria*. A) Disputatur etiam de *numero*

[1] *Rom.*, VIII, 28. — [2] *Rom.*, VIII, 30. — [3] *Rom.*, XI, 6-18.
[4] *Rom.*, IX, 20. — [5] *Rom.*, IX, 21. — [6] *Rom.*, XI, 33-34.

prædestinatorum; nil certi hâc de re statui potest. a) Magnum esse electorum numerum ex his verbis colligitur : " Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus et populis, et linguis, stantes ante thronum et in conspectu Agni[1] ".

b) Communiter asseritur pauciores esse electos quam reprobos, si *universum genus humanum* spectatur; sed textus Scripturæ, ex quibus hoc colligitur, videntur vim demonstrativam non habere[2]. Unde ait Gener[3] : " Neque vero tot sunt reprobi... quot vulgo declamantur ; nam Ecclesia habet innumeros filios occultos, de quibus ipsa dicet in die novissimo : quis genuit mihi istos, et isti ubi erant? " Quidquid est de eâ re quæ nobis valde incerta remanet, unum extra dubium est, videlicet nullum adultum, etiam inter infideles, damnatum iri, nisi scienter et volenter contra leges sibi cognitas graviter deliquerit, atque in suo peccato pertinaciter usque in finem perseveraverit.

c) Si agitur de solis *catholicis*, communiter docetur, cum *Suarez*, etiam inter adultos, plures esse electos quam reprobos; licet enim major pars hominum mortaliter peccent, tamen in sacro tribunali resurgunt, et pauci sunt qui in fine vitæ de peccatis suis sincere non doleant et sacramenta recipere recusent.

d) Si quæstio est de omnibus *christianis*, sive catholicis, sive schismaticis, sive hæreticis, multi tenent damnatorum numerum majorem esse quam electorum. Contraria tamen sententia aliis probabilior videtur; nam tertia pars eorum, antequam rationis usum attigerint, moriuntur, et cùm plerique baptizati fuerint, salvantur; insuper multi inter Protestantes vel Schismaticos hodie in bonâ fide versantur : possunt igitur, etiam quando in peccatum mortale lapsi sunt, Deo reconciliari per actum contritionis perfectæ; imo si de schismaticis agitur, per absolutionem, quæ saltem in articulo mortis valida erit; aliunde Deus in necessariis non deficit, proindeque ultimo vitæ

[1] *Apoc.*, VII, 9. — [2] Cf. *Matth.*, XXII, 14; VII, 13, 14.

[3] *Theol. dogm. schol.*, 2, 342. Cf. HURTER, n. 145, not. 2; GODTS, C. SS. R., *De paucitate salvandorum*, Bruxelles, 1899; CASTELEIN, S. J., *Le rigorisme, le nombre des élus et la doctrine du salut*, Bruxelles, 1899.

instanti speciales gratias eis concedet, quibus pænitere possint; ergo nil prohibet multos ex eis salvari.

e) Neque inter sectas *non christianas* electi deerunt : *Judæi* siquidem et *Mahumetani*, qui non solum monotheismum, sed etiam fragmenta quædam primitivæ vel mosaicæ revelationis adhuc retinent, credere possunt in *Deum remuneratorem supernaturalem*, et actus contritionis perfectæ, Deo juvante, elicere[1]. *Ethnici* autem qui nulla revelationis vestigia servârunt, si legis naturalis præcepta custodierint, ad fidem, *internâ revelatione* aliisve mediis Deo notis, perduci possunt, ut exponitur in *Tr. de Gratiâ.*

527. B) *De signis prædestinationis.* Licet nemo possit, absque speciali revelatione, de suâ salute certus esse, dantur tamen probabilia signa, ex quibus de eâ bene sperare possumus. Hæc sunt modo generali ea omnia quæ ad vitam æternam nos ducere valent : a) *timorata conscientia*, quæ tanquam a facie colubri fugit peccatum[2]; nam solum peccatum causa damnationis esse potest. b) *Patientia* in adversis et voluntaria *mortificatio :* " Si tamen *compatimur*, ut et conglorificemur[3] ". c) Sincera veraque *humilitas*, quâ gratiam ad salutem necessariam abundanter obtinere valeamus : " humilibus autem dat gratiam[4] ". d) *Inimicorum dilectio* et *misericordia* in pauperes : " Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris...[5] Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur[6] ". e) *Zelus* pro salute animarum : " Qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum[7] ". f) *Devotio* singularis erga *SS. Cor Jesu* et *B. Virginem :* prior enim Christi amorem maxime fovet; porro qui Christum amat, cum

---

[1] Quod jam aperte docebat LUGO (*De Fide*, disp. XII, sect. 5, n. 50-51) : " Denique *Turcæ* et *Mahumetani*, si qui essent qui invincibiliter etiam errarent circa Christum et ejus divinitatem, non est cur non possint verâ fide supernaturali credere unum Deum remuneratorem supernaturalem : hoc enim non credunt propter argumenta ex creaturis naturalibus desumpta, sed dogma hoc ex traditione habent; quæ traditio processit a verâ Ecclesiâ fidelium et ad ipsos usque pervenit, licet alii errores admixti sunt in eorum sectâ... et consequenter poterunt aliquando in actum contritionis perfectæ ex tali fide prodire ".

[2] *Eccli.*, XXI, 2. — [3] *Rom.*, VIII, 17. — [4] *I Petr.*, V, 5.

[5] *Matt.*, VI, 12. — [6] *Matt.*, V, 7. — [7] *Jac.*, V, 20.

S. Paulo, fiducialiter dicere potest[1] : " Quis ergo nos separabit a caritate Christi?... " Idem fere dici potest de devotione erga B. Virginem; cùm enim hæc sit *mediatrix ad Mediatorem* et aquæductus gratiæ, qui ei adhærebit, gratiâ ad salutem necessariâ nunquam carebit, sed tuto ad Christum ibit, et per eum regnum Dei tandem ingredietur.



[1] *Rom.*, VIII, 35-39.

TRACTATUS VI.

DE DEO TRINO.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem... et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum... Credo in Spiritum sanctum.

528. Postquam de Deo uno ejusque attributis egimus, jam de *Deo trino* secundum personas, seu de ineffabili *SS. Trinitatis mysterio* disserere debemus.

In duplici articulo dicemus de mysterio SS. Trinitatis : 1° quatenus *ex fontibus Revelationis exponitur* 2° quatenus *ope philosophiæ plenius declaratur.* Cui tractationi præmittimus SS. Trinitatis notionem.

Notio mysterii SS. Trinitatis.

529. Fides catholica de SS. Trinitate sic a C. *Lateranensi* IV (1215) contrahitur[1] : " Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod *unus solus* est *verus Deus...* Pater, et Filius et Spiritus Sanctus : *tres quidem personæ*, sed *una essentia*, *substantia* seu *natura* simplex omnino : Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque... *consubstantiales* et *coæquales* et coomnipotentes et coæterni... Credimus et confitemur cum Petro Lombardo, quod *una quædam summa res est*, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, tres simul personæ, ac sigillatim quælibet earumdem : et ideo in Deo solummodo *Trinitas est, non quaternitas :* quia *quælibet* trium *personarum est illa res*, videlicet substantia, essentia seu natura divina ". Quam definitionem complevit, quoad processionem Spiritus Sancti, *Eugenius IV*, in decreto unionis Græcorum (1439), sacro approbante *C. Florentino*[2] : " Diffinimus ut hæc fidei veritas ab omnibus christianis credatur... quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio æter-

---

[1] Denz.-Bann., 428, 432 (355, 358).
[2] Denz.-Bann., 691 (586)

naliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet *ex Patre simul et Filio*, et ex utroque æternaliter tanquam ab *uno principio* et *unicâ spiratione* procedit ".

Ex quibus documentis SS. Trinitas potest definiri : mysterium *trium personarum realiter distinctarum in unâ et eâdem numerice substantiâ, naturâ aut essentiâ, quarum secunda a primâ procedit per veram generationem, tertia autem a primâ et secundâ, tanquam ab uno principio, per spirationem;* seu brevius : mysterium *unius Dei in tribus personis.*

530. Demonstrationi doctrinæ catholicæ viam parare expedit, explicando quid intelligi debeat per Dei substantiam, naturam, essentiam, personam.

531. A) Voces *essentia, natura, substantia*, eamdem rem significant quæ dicitur : a) *essentia*, quando spectatur ut ratio *essendi*, id nempe quo res est id quod est et a quâlibet aliâ re discernitur : ita essentia hominis est animalitas simul et rationalitas; b) *natura*, quatenus est principium *operationis*, sicut in homine natura constituitur ex corpore et animâ quibus homo agit et patitur; c) *substantia*, quatenus ei convenit esse *in se* et non in alio, et ita *stat sub* accidentibus, si qua sunt, ut in corpore substantia est id quod est maxime intimum et substat quantitati et qualitatibus.

Unde essentia, natura et substantia : a) differunt tantum virtualiter et in creaturis et in Deo; b) in Deo significant unam rem simplicissimam, sine accidentibus, maxime subsistentem, quâ Deus est id quod est et operatur.

532. B) Similiter *personalitas* non est omnino eadem in Deo et in creaturis.

a) *Notio personæ in creaturis.* Quando substantia existit non solum *in se*, sed etiam *sibi*, ita ut completa sit in suâ specie. individua, sui juris et incommunicabilis, vocatur *suppositum* aut *persona: suppositum* dicitur de entibus sive irrationalibus sive rationalibus, sed magis frequenter de prioribus; *persona* de solis entibus intellectu præditis. Persona igitur definiri potest : *substantia singularis, completa, sui juris, et intellectu prædita.*

Dicitur substantia : 1) *singularis*, non vero universalis et abstracta quæ, ut talis, est potius in mente, et exinde nequit

esse operationis causa et centrum; 2) *completa*, non indigens uniri alteri substantiæ ut plene sit et omnino par suæ connaturali operationi eliciendæ : substantiæ incompletæ specimen habetur in animâ, quæ non est nisi pars totius, completæ vero in toto homine; 3) *sui juris*, seu in se et sibi et incommunicabiliter subsistens, cui ultimo referuntur et proprie adscribuntur omnes operationes quas elicit; 4) *intellectu prædita :* quâ ratione a mero supposito differt, et invenitur plenius sui juris quia non solum sibi ultimo operatur ut attributionis centro, sed est domina suæ operationis per liberum arbitrium. Unde id quod naturæ addit personalitas est munus et functio in se subsistendi et sibi operandi [1] : natura est id *quo* alterum operatur, dùm persona est id *quod* operatur ope naturæ, et consequenter proprie est et agit.

b) *Notio personæ in Deo.* Deo inesse personalitatem omnes consentiunt. Etenim " cùm omne illud quod est perfectionis Deo sit attribuendum, eo quod ejus essentia continet in se omnem perfectionem, conveniens est ut hoc nomen *persona* de Deo dicatur; non tamen eodem modo quo dicitur in creaturis, sed excellentiori modo; sicut et alia nomina quæ creaturis a nobis imposita, Deo attribuuntur [2] ".

Infra (n. 573 sq.) melius intelligetur quomodo in Deo sint plures personæ et constituantur per relationes originis.

ART. I. DE SS. TRINITATIS MYSTERIO QUATENUS EX FONTIBUS REVELATIONIS EXPONITUR.

533. Nobis est probandum et explicandum in Deo esse : a) **tres personas** *realiter distinctas* ac simul *omnino consubstantiales*, ita ut sint una numerice essentia; b) *ineffabiliter ordinatas*, quatenus secunda a primâ procedit per veram generationem, tertia a primâ et secundâ tanquam ab uno principio, per spirationem; c) et exinde constitutas per *relationes* fundatas in utrâque processione. d) Deinde dicemus de *missionibus divinis*, quibus exterius manifestantur processiones.

---

[1] Utrum personalitas sic præcisive sumpta essentialiter consistat in aliquo *negativo* an in elemento *positivo*, opportunius dicetur in Tract. *de Verbo Incarnato.*

[2] 1 p., q. 29, a. 3.

§ I. De Trinitate personarum in unitate essentiæ.

534. **Thesis** : *Tres sunt in Deo personæ realiter ab invicem distinctæ, nempe Pater, Filius et Spiritus sanctus, in unâ eâdemque numerice naturâ. De fide est* (n. 529.)

I. *Probatur Scripturâ.*

1° In *Vet. Test.* **A**) Via paratur hujus mysterii revelationi : **a**) his aut similibus verbis quæ mirabilem prorsus plenitudinem vitæ indicant, nempe *verbis* Dei consilium suum de creando homine patefacientis : "*Faciamus* hominem ad imaginem et similitudinem *nostram*[1]"; Adamo exprobrantis suam prævaricationem : "Ecce Adam quasi *unus ex nobis*[2]"; et ædificatoribus turris Babel suam superbiam : "Venite igitur, *descendamus* et *confundamus* ibi linguam eorum[3]".

b) *Theophaniis :* Sic Yahweh dicitur apparuisse Abrahæ in valle Mambre[4] : "apparuit ei Dominus", statimque additur : "cumque elevâsset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum; quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et adoravit in terram[5]". Quod commentatur Breviarium Romanum dicens : "Tres vidit et unum adoravit[6]". — In his autem verbis et Theophaniis Trinitas quædam in divinis adumbratur, sed non ita perspicue ut Judæi ibi eam agnoscere potuerint.

535. **B**) Apertius secunda *persona*, etsi hoc nomine non designata, ejusque a primâ distinctio innuuntur : **a**) in *Proverbiis* ubi Sapientia, quo efficacius alliciat homines, suas dotes commemorat, suamque æternam originem : "Ego Sapientia, habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Per me reges regnant... Ego diligentes me diligo... Mecum sunt divitiæ et gloria... Dominus

---

[1] *Genes.*, I, 26. — [2] *Genes.*, III, 22.
[3] *Genes.*, XI, 7; cf. *Num.*, VI, 23-26; *Isai.*, VI, 19.
[4] *Genes.*, XVIII, 1 sq. — [5] *Ibid.*, 1-2.
[6] Domin. Quinquag., resp. 2. — Cf. *Genes.*, XXXI, 11-13; *Exod.*, III, 2 sq.

possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio : *ab æterno* ordinata sum... nondum erant abyssi et ego jam *concepta eram*... quando appendebat fundamenta terræ, cum eo *eram cuncta componens*...[1]"

b) In libro *Sapientiæ*[2], ubi exhibetur ut *spiritus*, emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei, candor lucis æternæ, speculum sine maculâ Dei majestatis, et imago bonitatis illius, omnia potest, et in se permanens omnia innovat, disponit omnia suaviter, doctrix est disciplinæ Dei et electrix atque artifex (τεχνῖτις) operum illius, primum hominem a delicto suo eduxit, populumque electum omnipotenti atque paternâ providentiâ direxit : quæ quidem omnia, *simul* sumpta, personam a Deo distinctam eique æqualem, non quidem evidenter, sed valde *probabiliter* innuunt[3].

c) In *libris Prophetarum* ubi Messias vocatur non solum Emmanuel (Deus nobiscum)[4], sed etiam " Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis[5] "; æternitas ei adscribitur : " Et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis[6] "; et suprema potestas : " Et dedit ei potestatem, et honorem et regnum; et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient : potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur[7] ".

C) *Spiritus* Dei frequenter quidem nominatur in Vet. Test. et exhibetur ut principium vitæ a quo facies terræ renovatur[8], cælestium donorum distributor[9]... Sed ejus distinctio personalis a Deo vix ex his textibus inferri potest.

[1] *Prov.*, VII, 1-36; cfr. *Eccl.*, XXIV.

[2] *Sap.*, I, 6; VII, 22; IX, 17; VII, 25-26, 27; VIII, 1-6; X-XI. Cf. *Sap.*, IX, 1; XVIII, 15.

[3] Ad rem J. Lebreton, *Les origines du dogme de la Trinité*, p. 118 : " Ce n'est point à dire que toute la Trinité soit là. Seule la Sagesse se distingue de Dieu, et encore n'a-t-elle pas tout le relief d'une personnalité vivante... Cependant c'est bien dans ce livre que nous trouvons le pressentiment le plus net du dogme chrétien, et bientôt l'interprétation authentique de l'épître aux Hébreux y fera apparaître en pleine lumière cette théologie du Verbe que nous n'avons pu y distinguer qu'obscurément ".

[4] *Isa.*, VII, 14; VIII, 8. — [5] *Isa.*, IX, 6. — [6] *Mich.*, V, 2.

[7] *Dan.*, VII, 13-14. Quæ quidem verba Christus sibi applicat (*Matt.*, XXVI, 64.)

[8] *Ps.* 144; *Isai.*, XXXII, 15.

[9] *Isai.*, XI, 2-3; LXI, 1; *II Reg.*, XXIII, 2; *Os.*, IX. 7; *Ezech.*, XI, 19; XXXVI, 26.

Conclusio. Omnia hæc de Sapientiâ, de Verbo Dei, de Messiâ et de Spiritu Sancto, nobis apparent tanquam varia elementa, quæ simul coordinata, mentem optime disponebant ad pleniorem mysterii SS. Trinitatis manifestationem. Judæi tamen non videntur ea plene intellexisse, nec in unum corpus doctrinæ coadunâsse; quapropter nonnisi obscuros et vagos conceptus hâc de re habuerunt, ut ex eorum scriptis constat [1].

536. 2° In *Novo Testamento* plene revelatur cum Deo *Patre* esse *Filium* et *Spiritum Sanctum*, et hos tres esse vere distinctos vereque Deum, imo *unum* Deum, ita ut divinitas a seipsâ minime dividatur. — Quod ostendemus, præcipuos textus percurrendo qui *seorsim* de Filio et Spiritu agunt (Patrem enim certo connumerari nemo est qui neget), posteaque eos qui tres divinas personas *simul* commemorant.

537. A) Exponuntur textus *seorsim* Filium et Spiritum Sanctum respicientes.

a) In Evangeliis aliisque libris N. Test., *Christus* exhibetur ut Filius Dei proprius, unigenitus, qui est in sinu Patris, vere ab Eo distinctus et tamen vere Deus, ut diserte ostendemus in *Tr. de Verbo Incarnato*, n. 699 sq. Interea prologum *S. Joannis* exponere satis erit. Ibi clare enuntiatur : 1) *distinctio Verbi a Patre*, nam dicitur "Verbum erat *apud* Deum [2]"; nemo enim recte dicitur esse *apud semetipsum;* aliunde illud vocabulum paulo infra (18) his verbis declaratur : "Unigenitus Filius, qui est *in sinu* Patris ipse enarravit"; ex quibus evidenter colligitur Verbum a Patre realiter distingui, cùm inter Patrem et Filium, inter sinum Patris et Illum qui in sinu Patris est, realem distinctionem admittere necessarium sit; 2) *ejus pariter divinitas*, nam Verbum vocatur *Deus;* "Et Deus erat Verbum" : in quo inciso sine dubio *Verbum* (ὁ λόγος) est *subjectum*, et *Deus prædicatum*, ut constat tum ex connexione sermonis, tum ex articulo ὁ qui *Verbum* præcedit; aliunde vox *Deus* suam propriam retinet significationem, ut patet ex parallelismo : "Verbum erat apud *Deum*, et *Deus* erat Verbum".

---

[1] Vide *Synops. maj.*, n. 578-580.
[2] *Joan.*, I, 1.

Verbi divinitatem *per totum Evangelium* Joannes affirmat. Christus omnia quidem accepit a Patre, sed eo ipso omnia agit quæ Pater operatur : " Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus... Quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit [1] ". Ita, sicut Pater potestate gaudet suscitandi mortuos, et homines judicandi : " Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio [2] ". Nec mirum; nam ejusdem naturæ est ac Pater : " Ego et Pater unum sumus [3] ".

538. b) Distinctio *Spiritus Sancti* a Patre et Filio, et ejus cum ipsis consubstantialitas (etsi vox ipsa non adhibetur) invenitur : 1) in sermone ad discipulos in ultimâ Cœnâ, ubi explicite annuntiatur Spiritus Sanctus, tanquam alius a Patre et Filio, eisque tamen æqualis, et cum eis ad sanctificationem animarum cooperans : " Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere... Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis [4] ". Et quidem alius est Pater qui *mittit* Spiritum, et alius Filius qui *rogat* Patrem ut mittatur Spiritus, alius est et Spiritus qui a Patre *mittitur*, nomine Filii; nam mittens a misso, Pater a Filio distinguitur; aliunde Spiritus dicitur *alius* a Filio ejusque opus perfecturus; est igitur vera persona [5]; et ita tres habemus personas vere distinctas. — Ibi etiam Spiritus sanctus vocatur *Spiritus veritatis* [6], quasi nempe esset *fons veritatis*. Eique tribuitur scientia perfecta quæ necessaria est ad Apostolos illuminandos de omnibus ad fidem pertinentibus, etiam de rebus futuris : " Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos *omnem veritatem :* non enim loquetur a semetipso : sed quæcumque audiet,

---

[1] *Joan.*, III, 35; V, 19. — [2] *Joan.*, V, 21-22. — [3] *Joan.*, X, 30.
[4] *Joan.*, XIV, 16, 17, 26; cfr. XV, 26; XVI, 7-15.
[5] Ad rem J. LEBRETON, op. cit., p. 423 : " Une étude attentive du détail ne fait que fortifier cette impression : on remarque d'abord que, malgré la proximité du nom neutre τὸ πνεῦμα, Saint Jean se sert toujours du pronom masculin ἐκεινος, pour désigner le Saint-Esprit... Saint Jean perd de vue le terme grammatical qu'il a choisi, et ne voit que la personne qu'il décrit ".
[6] *Joan.*, XV, 26.

loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis [1] ". Ei pariter, sicut Patri et Filio, tribuitur communicatio ejusdem vitæ divinæ, cùm et Ipse in animas justorum veniat ad eas sanctificandas [2].

Ex quibus infertur tres divinas personas recte postea *consubstantiales* dictas esse, cùm vera esse nequeant quæ de eis asseruntur nisi sint eadem substantia.

2) In *prædicatione Apostolorum*, qui, sive in *Actibus* sive in *Epistolis*, simul asserunt Spiritum Dei esse *distinctum* a Patre Filioque, necnon *vere Deum.*

Distincta personalitas ex eis locis apparet ubi Spiritui ascribuntur proprietates et operationes quæ non merum attributum sed verum suppositum arguunt. Siquidem ipsi tribuitur *intellectus :* " Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei [3] "; eidem *voluntas et operatio* assignantur : " Hæc omnia *operatur* unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout *vult* [4] "; ei pariter speciales tribuuntur operationes : ... " Dixit illis Spiritus S. : Segregate mihi Saulum et Barnabam [5] " ... " In quo vos Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei [6] ".

Spiritus S. est *vere Deus*, ac proinde Patri et Filio æqualis; nam : vocatur *Deus;* siquidem S. Petrus diserte asserit mentiri Spiritui Sancto idem esse ac mentiri Deo : " Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui S.?... Non es mentitus hominibus, sed Deo [7] ". Ipsi tribuitur *omniscientia* circa res divinas : " Spiritus omnia scrutatur (id est, perfecte comprehendit), etiam profunda Dei [8] ". Eidem assignatur opus *regenerationis, justificationis et sanctificationis*, quod Deo proprium est, utpote vera deificatio : " Abluti estis, justificati estis in nomine D. N. Jesu Christi, et in *Spiritu Dei nostri* [9] ". Eidem debetur cultus *latriæ;* siquidem, ex S. Paulo [10], corpora nostra templum sunt Spiritus S. : " An nescitis quoniam membra vestra *templum sunt Spiritus S.* qui in vobis est? "; atqui templum soli Deo ædificatur; ergo Spiritus S. est Deus : quæ quidem conclusio ab ipso S. Paulo de-

---

[1] *Joan.*, XVI, 13.
[2] *Joan.*, XIV, 18, 23; XV, 26; XVI, 7, 8, 13; XIV, 16, 26; *I Cor.*, VI, 11, 19, etc.
[3] *I Cor.*, II, 10. — [4] *I Cor.*, XII, 11. – [5] *Act.*, XIII, 2.
[6] *Act.*, XX, 28; cf. *Act.*, XIX, 2; *Rom.*, VIII, 26, etc.
[7] *Act.*, V, 3-4. — [8] *I Cor.*, II, 10. — [9] *I Cor.*, VI, 11.
[10] *I Cor.*, VI, 19.

ducitur, quando post verba citata addit : " glorificate et portate Deum in corpore vestro".

539. B) E præcipuis textibus in quibus de *tribus simul personis* agitur, duo recensemus : a) In *baptismo Christi*, trium personarum *realis distinctio* apparet non solum variis *nominibus* quibus designantur, sed etiam *operationibus* plane distinctis quas efficiunt; siquidem *Pater* loquitur de cælo : " Et ecce vox de cælis dicens : hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui[1] "; *Filius* autem baptizatur a Joanne Baptista et ascendit de aquâ : " Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aquâ[2] "; tandem *Spiritus Sanctus* ab utroque distinguitur, nam dum Pater de cælo loquitur, Ipse descendit super Christum, et quidem sub corporali specie columbæ : " Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum[3] "; evidens est igitur illos tres non esse unam personam, sed tres personas realiter distinctas.

b) Præterea trinitas personarum et naturæ unitas clare asseruntur in verbis quibus apostolos alloquitur Christus jam in cælum ascensurus[4] : " Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine (εἰς τὸ ὄνομα) Patris et Filii et Spiritûs Sancti"; certe enim Pater alius est ac Filius, ac similiter Spiritus Sanctus distingui debet a Patre et Filio; aliunde Pater, Filius et Spiritus uno et *eodem nomine* seu unâ et *eâdem naturâ* conjunguntur.

Ex quibus merito infertur, secundum Scripturam, Deum esse quidem *unum*, sed simul *trinum*, Patrem nempe et Filium et Spiritum Sanctum.

II. *Probatur Traditione.*

540. Contra *Unitarios*, *Liberales* et *Modernistas* statuimus Ecclesiam ab initio credidisse et prædicâsse mysterium SS. Trinitatis, *non* quidem modo *scientifico*, utendo verbis *naturæ*, *personæ* et *trinitatis*, sed modo *simplici* et *populari*, docendo *unum* esse Deum, sed simul Deum esse Patrem, ejusque Filium Jesum Christum, ab Eo distinctum, esse vere Deum, pariterque Spiritum Sanctum, ab utroque distinctum, esse Deum. Duo tempora distinguemus : *ante* et *post* Concilium Nicænum.

---

[1] *Mat.*, III, 17.—[2] *Mat.*, III, 16.—[3] *Luc.*, III, 22.—[4] *Mat.*, XXVIII, 19

1° Testimonia ante-nicæna.

541. Hìc sedulo distinguendum est inter documenta quæ ipsam Ecclesiæ fidem referunt, et ea quæ simul cum fide philosophicas theorias miscent. Dùm in prioribus fides modo plano et recto exponitur, in posterioribus substantia quidem mysterii recte declaratur, sed aliquando occurrunt locutiones vel, studio trinitatis personarum pressius inculcandæ, subordinatianismum quemdam subolentes, vel distinctionem personarum quasi attenuantes ad unitatem tuendam.

Fides autem antiquæ Ecclesiæ circa Trinitatem invenitur : A) *in praxi*, scilicet : a) *in modo baptismum conferendi :* baptismus conferebatur trinâ immersione et sub invocatione trium divinarum personarum[1].

b) *In variis Symbolis.* Jam sæculo secundo commemoratur quædam *regula fidei*, a catechumenis profitenda antequam baptizarentur, quæ primario complectebatur, teste *Irenæo*[2], fidem in Trinitatem, nempe " in unum Deum, Patrem omnipotentem, qui fecit cælum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt; et in unum Jesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostrâ salute; et in Spiritum Sanctum, qui per prophetas prædicavit dispositiones Dei ".

c) *In doxologiis.* Quas in usu fuisse a primis temporibus constat ex actis martyrii S. Polycarpi, S. Joannis discipuli, qui supra rogum exclamavit : " Domine Deus omnipotens, pater dilecti ac benedicti filii tui Jesu Christi... benedico tibi... te glorifico per sempiternum et cælestem pontificem *Jesum Christum*, *dilectum tuum filium*, per quem tibi cum ipso et *Spiritu Sancto* gloria et nunc et in futura sæcula. Amen[3] ".

Præter doxologiam *minorem* seu *Gloria Patri*, in Ecclesiâ jam a sæculo II° recitabatur *Doxologia major* seu

[1] Legitur enim in *Didache*, VII, 1-3, ed. Funk [2], t. I, p. 16. " De baptismo autem, sic baptizate : hæc omnia postquam antea dixistis, baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti in aquâ vivâ... *Effunde* in caput *ter* aquam *in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti* ". Pariter Tertullianus, *Adv. Prax.*, c. 26, *P. L.*, II, 190: " Non semel, sed *ter*, ad singula nomina, in *personas singulas* tingimur ".

[2] *Contra hæres.*, l. I, c. 10, n. 1, *P. G.*, VII, 549.

[3] *Martyr. S. Polyc.*, n. 14, ed. Funk, p. 330-332.

Gloria in excelsis Deo, in quo fusius declaratur fides in Trinitatem.

542. B) In *doctrinâ Patrum ante-nicænorum.* a) Hi enim *modo generali* fidem profitentur in Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, et cuique divinas operationes tribuunt, quin tamen divinam unitatem seu *monarchiam* dividant.

Ita, inter Patres *apostolicos*, *S. Clemens Rom.* asserit Patrem esse omnium creatorem, resurrectionis auctorem, omnipotentem et immensum[1]; Filium esse angelis excellentiorem, splendorem divinæ majestatis, imo et Deum[2]; Spiritum Sanctum locutum esse per prophetas[3]; et ita cuique diversas operationes assignando, sedulo *tres distinguit in Deo terminos.* — Inter *Apologetas*, idem docet *S. Ignatius* martyr : " Præparati in Dei Patris ædificium, sublati in alta per machinam Jesu Christi, quæ est crux, Spiritu Sancto pro fune utentes[4] "; " Studete confirmari in doctrinis Domini... in Filio et Patre et in Spiritu[5] ".

b) Insuper *Modalismum*[6] impugnando, *realem personarum distinctionem* clare asseruerunt.

1) Contra hæresim Noeti, unius e fautoribus Modalismi, scribens, *S. Hippolytus* personarum trinitatem et divinitatem diserte asserit : " Necesse est ergo ut, quamvis nolit, confiteatur *Patrem Deum omnipotentem*, et *Christum* Jesum Filium Dei, *Deum factum hominem*, cui omnia Pater subjecit præter se, et *Spiritum Sanctum;* et hos esse *vere tres*[7] ".

2) *Praxeam* strenue impugnavit *Tertullianus* (213-225) in libro ubi non minus lucide *unitatem substantiæ* quam *trinitatem personarum* asserit et variis comparationibus illustrat : " *Unicum* quidem Deum credimus, sub hâc tamen dispensatione quam œconomiam dicimus ". Hanc porro œconomiam ita declarat : " Custodiatur œconomiæ sacramentum, quæ *unitatem et trinitatem disponit*, tres dirigens, *Patrem*, et *Filium*, et *Spiritum Sanctum.* Tres autem *non statu*, sed *gradu;* nec *substantiâ*, sed *formâ;* nec *potestate*, sed *specie;*

---

[1] *Cor.*, XXIV, XXVI-XXVIII.
[2] *Cor.*, XXXVI. Ibid., II, 1, secundum lectionem vetustissimi codicis quam accipit ipse *Harnack*, Christus vocatur Deus.
[3] *Cor.*, VIII, 1; XLV, 2. — [4] *Ephes.*, IX, 1. — [5] *Magnes.*, XIII, 1.
[6] Quæ hæresis dicta est *Modalismus*, quia non personas distinctas, sed tantum *accidentales modos* in Deo admittebat; aut *Monarchianismus*, quia *monarchiam*, non trinitatem profitebatur; vel *Sabellianismus*, propter Sabellium qui istum errorem acerrime propugnavit. — Postea idem error modo magis philosophico expositus est : dixerunt nempe Modalistæ *unam esse* in Deo *personam*, eam vero *triplici modo sese manifestâsse*, ut *Legislatorem* in Veteri Testamento (Patrem), ut *Redemptorem* in Novo (Filium), et ut *Sanctificatorem* animarum (Spiritum Sanctum).
[7] *Contra Noet.*, 8, *P. G.*, X, 816.

unius autem *substantiæ*, et unius *potestatis*, quia unus Deus, ex quo et gradus isti et formæ et species, in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti deputantur[1]". Distinctio inter personas est *numerica :* " Duos quidem definimus, Patrem et Filium, et jam tres cum Spiritu Sancto, secundum rationem œconomiæ, quæ facit *numerum* ". Hi vero tres sunt *unus Deus :* " Et Pater Deus, et Filius Deus, et Deus unusquisque[2] ". Speciatim *Spiritûs Sancti divinitatem* diserte asserit ejusque processionem a Patre per Filium[3]. Tertullianus igitur certo docet personarum trinitatem et substantiæ unitatem.

c) Nec tamen in *subordinatianismum* communiter inciderunt. Quidam sane, philosophiâ decepti, aut in confutandis modalistis expressiones minus accuratas usurpantes, isti errori favere visi sunt. Sed in hoc sibi contradicebant, cùm aliunde admitterent Verbum esse *genitum*, non factum, ideoque Patri æquale. Quare *S. Dionysius Papa* Modalistas simul et Subordinatianos condemnans, scribebat[4] : " Neque igitur admirabilis et divina unitas in tres divinitates est separanda, neque factionis vocabulo dignitas ac summa magnitudo Domini est diminuenda ".

543. Dici ergo nequit antenicænos Patres mysterium SS. Trinitatis ignoravisse aut in essentialibus adulterasse : quod constat non tantum ex testimoniis allatis, sed etiam ex eo quod defensores fidei orthodoxæ, tempore arianæ controversiæ, confidenter adversarios suos ad Patrum anteriorum fidem et traditionem provocarunt. Ita, v. g., *S. Athanasius*[5] : " Vos autem, o novi Judæi, quos demum assertionum vestrarum patres ostendere valetis? Ne unum quidem e prudentibus et cordatis nominare potestis ".

2° Testimonia post-nicæna.

544. A) An. 325, Concilium Nicænum genuinam traditionem vindicavit contra Arium qui contendebat solum Patrem esse æternum et proprie Deum; Verbum autem esse præcellentissimam creaturam, quam Pater non e pro-

---

[1] *Adv. Prax.*, 2, *P. L.*, II, 156-157.
[2] *Ibid.*, 13, *P. L.*, 169.
[3] *Ibid.*, 9, *P. L.*, 164. *Adv. Prax.*, 2, 3, 4, 8, *P. L.*, 156, 158, 159, 163.
[4] *Ep. contra Sabellianos*, *P. G.*, XXXV, 462; Denz.-Bann., n. 48-51
[5] *De decret. Nic. Synodi*, 27, *P. G.*, XXV, 465.

priâ substantiâ sed ex nihilo voluntate suâ creaverat; Spiritum Sanctum esse pariter creaturam, non solum Patri, sed Filio inferiorem.

Post enim multas disceptationes definitum est Verbum esse Patri *consubstantiale*, ὁμοούσιον, ut ita omnis æquivocatio tolleretur[1] : " Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc est de substantiâ Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, unius substantiæ cum Patre, quod Græce dicunt *homousion*, per quem omnia facta sunt... Et in Spiritum Sanctum... "

545. **B**) Præcipuus autem defensor nicænæ fidei fuit *S. Athanasius*, cujus doctrina de Trinitate sic breviter contrahitur : — **a**) *Verbum*, utpote *nos deificans* seu deos efficiens *per participationem*, est Deus ac Dei Filius vere et naturâ. Cùm sit *Filius*, et numericè distinguitur a Patre et est ejusdem substantiæ ac Pater, imo est ipsa Patris substantia, Patri ὁμοούσιος; unde Verbum a Patre procedit non per creationem, sed *per generationem*. Præterea generat Pater *necessariò* simul et *libenter*, sicut seipsum necessariò ac libenter vult et amat, unde sequitur hanc generationem esse æternam, cùm Deus semper fuerit Pater. **b**) Similiter, *Spiritus Sanctus*, cùm nos per inhabitationem suam, divinitatis participatione vivificet, ipse est Deus per essentiam : quod confirmatur ex eo quod Spiritus Sanctus cum Patre et Filio connumeretur. Ita Spiritus Sanctus est ὁμοούσιος Patri et Filio : unde nihil creatum in Trinitate inveniri potest, cùm sit tota unus Deus : ὅλη γὰρ εἷς θεός ἐστι[2].

546. **C**) Circa an. 360, multi semi-ariani explicite docuerunt Spiritum Sanctum esse creaturam angelis similem, Deique ministrum. Ii hæretici dicti sunt *Pneumatomachi*, et *Macedoniani*, quia putabatur *Macedonium* istum errorem tenuisse (etsi id minime certum est), vel *Maratho-*

---

[1] DENZ.-BANN., 54 (17).

[2] *I ad Serap.*, 17. Cf. TIXERONT, *Histoire des dogmes*, II, p. 67-76; DE RÉGNON, *Etudes de théologie positive sur la Sainte Trinité*, Etudes XIII-XX, pp. 74, 200, 300; Etudes XXI-XXVII, passim.

niani, quia ducem agnoscebant Marathonem Nicomediensem.

S. Damasus, in C. Romano IV (an. 380) catholicam veritatem contra Macedonianos sic definivit[1] : " Si quis non dixerit Spiritum Sanctum de Patre esse vere ac proprie, sicut Filius, de divinâ substantiâ et Deum verum, anathema sit... Si quis non dixerit Patris et Filii et Spiritûs Sancti unam divinitatem, potestatem, majestatem, potentiam... A. S..."

Quod Concilium Constantinopolitanum, œcumenicum secundum (an. 381), confirmavit, accipiens et rata habens hæc verba, quæ jam paulo antea Symbolo Nicæno addita fuerant ad Macedonianos errores repellendos : " Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum[2] ".

In hâc definitione non usurpatur vox ὁμοούσιος, quia multarum disputationum occasio fuerat, sed eæ tantummodo voces adhibentur quæ in Scripturis inveniuntur. Sensus autem definitionis nullo modo ambiguus remanet.

547. D) Sæculo VI, *Joannes Philiponus*, sæc. XI, *Roscellinus*, et, sæc. XI, *Abbas Joachim* docuerunt tres esse naturas in Deo sicut et tres personas. Qui errores damnati sunt a Conciliis *Constant. II°*, *Suessionensi* (1092) et *Lateran. IV.*

Post definitionem C. Lateranensis IV, nullus inter Catholicos ortus est error de personarum trinitate et naturæ unitate, sed solum de processionibus, de quibus nunc est quæstio.

§ II. De divinis processionibus.

548. Doctrina catholica de divinis processionibus his verbis Symboli *Athanasiani* continetur : " Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus S. a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens ". De fide est ergo *Patrem* a *nullo* procedere, *Filium* a *Patre* procedere per generationem, et *Spiritum Sanctum ab utroque* per simplicem processionem.

[1] DENZ.-BANN., 74 sq. (38 sq.)
[2] DENZ.-BANN., 86 (47).

549. Ad cujus intelligentiam, quid sit processio sive in genere sive in Deo declarandum est.

A) Processio (ἐκπόρευσις, προβολή) in genere est origo unius ab altero : sic, v. g., lux a sole, filius a patre procedit. Duplex distinguitur : a) *transiens* seu ad extra, quando terminus extra causam producitur, v. g., in humanis, filius est terminus extra patrem; b) *immanens* seu ad intra, quando terminus remanet intra principium, ut cogitatio quæ manet intra mentem.

B) In Deo pariter duplex processio distinguitur : a) una ad *extra*, quâ creaturæ ab ipso procedunt sicut effectus a causâ; b) altera ad *intra*, quâ una persona procedit ab alterâ tanquam principiatum a principio, et remanet intra divinam essentiam, quæ processio, *passive* spectata, definiri potest *origo unius personæ divinæ ab aliâ vel a duabus aliis per ejusdem numero naturæ communicationem; active* autem spectata, est *operatio immanens, quâ vita divina communicatur personæ quæ procedit.*

Patrem a nullo procedere tota Traditio diserte asserit, docens Patrem esse ἀγένητον vel ἀγέννητον, id est nec creatum nec genitum. Quare in *decreto pro Jacobitis, Florentinum* declaravit : " Pater, quidquid est aut habet, non habet ab alio, sed ex se, et est principium sine principio[1] ".

Remanet igitur ut dicamus de *processione Filii per generationem*, et de *processione Spiritûs Sancti per spirationem.*

I. *De processione Filii per generationem.*

550. **Definitur** generatio stricto sensu accepta : *origo viventis a principio vivente et conjuncto, in similitudinem naturæ.*

Explicatur : a) origo *viventis* a *vivente :* quibus verbis significatur tum generantem, tum genitum vitâ præditos esse debere; sic Adam e luto fictus, sed non genitus dici potest, quia lutum vitâ caret; b) a *principio conjuncto*, id est generans debet genito conjungi per activam communicationem propriæ substantiæ aut saltem partis illius substantiæ; hinc Eva, ex Adami costâ efformata, ejus filia dici nequit, quia in illo opere Adamus passive se habuit ; c) *in similitudinem naturæ :* duo hic exprimuntur, genitum similem esse debere

[1] Denz.-Bann., 704 (599).

generanti per receptionem ejusdem naturæ saltem specificæ, et insuper generationem *ex se* tendere ad illam similitudinem producendam.

Quæ quidem notio *analogice* in Deum transfertur, demptis omnibus imperfectionibus, eo sensu quod Pater totam suam vitam et naturam absque ullâ imminutione Filio communicat, et quidem ab æterno, ita ut Filius *eamdem numerice* habeat *naturam* ac Pater, et ab Eo non differat nisi in quantum *accipit* vitam quam dat Pater.

551. **Thesis.** *Secunda persona S. Trinitatis a primâ procedit a totâ æternitate per veram generationem.* De fide est ex C. *Nicæno* jam citato (n. 622) contra Arianos et omnes qui dixerunt Verbum seu Christum vocari Filium Dei sensu lato, seu per adoptionem. Probatur :

1° *Scripturâ*, in quâ secunda persona SS. Trinitatis dicitur *Filius Dei* simpliciter, *proprius*, *verus* et *unigenitus :* de eo dicitur : " Pater diligit *Filium* et *omnia dedit* in manu ejus[1] "; de hominibus autem : " Accepistis Spiritum *adoptionis* filiorum in quo clamamus : Abba, Pater[2] ". Unde Verbi filiatio longe nostram transcendit : dum enim homines filii adoptionis nuncupantur, Verbum vocatur Filius sine addito, immo et per Ipsum hominibus filiatio communicatur : " Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri[3] ".

" Qui etiam *proprio* Filio suo non pepercit... Filius Dei venit ut cognoscamus verum Deum, et simus in *vero* Filio ejus[4] "; " *Unigenitus* qui est in sinu Patris ipse enarravit[5]..."

2° *Traditione.* Præter Symbola, jam allegata, quæ aperte hanc generationem asserunt, Patres probant Filium esse Patri consubstantialem ex eo quod a Patre generatur ex ipsius substantiâ. Ita, inter alios, *S. Augustinus :* " Dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quod non accidens : quia et ille semper Pater, et ille semper Filius... Quamobrem, quamvis diversum sit Patrem esse et Filium esse, non est tamen diversa substantia : quia hoc non secundum substantiam dicuntur, sed *secundum relativum;* quod

---

[1] *Joan.*, III, 35. — [2] *Rom* , VIII, 15.
[3] *Joan.*, I, 12. — [4] *Rom.*, VIII, 32; *I Joan.*, V, 20.
[5] *Joan.*, I, 17.

tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile[1] ".

552. **Corollarium de Filio.** *Verbum seu Filius procedit a Patre per generationem intellectualem seu ab intellectu Patris.* Theologice certum est contra *Durandum* qui contendebat Filium procedere a naturâ Patris præintellectâ intellectui et voluntati.

Hæc *conclusio theologica* infertur : **a**) ex locis Scripturæ et Traditionis ubi Filius vocatur *Verbum* et *Sapientia* Patris; **b**) ex naturâ divinâ, quæ est in summo intelligibilitatis gradu : supposito enim quod in Deo sit generatio (ut constat ex revelatione), hæc necessario est per modum intellectûs; nam processio intelligibilis est *assimilativa*, seu de se inducens terminum quàm simillimum suo principio, et exinde præ se fert veræ generationis indolem[2].

Exinde etiam apparet Verbum esse Patri consubstantiale. Etenim conceptio intelligibilis non est diversa a principio a quo procedit; imo quanto perfectior est hæc conceptio, tanto magis intima intelligenti. Unde cùm intelligere divinum sit quam perfectissimum, necesse est quod Verbum divinum sit perfecte unum cum principio a quo procedit[3].

II. *De processione Spiritûs Sancti.*

Errores. Spiritum sanctum procedere a Patre negârunt *Eunomiani* et *Macedoniani* qui statim damnati sunt et omnino profligati a *Concil. Constantinop.* (381). Postea *Theodoretus* (434), *Monothelitæ*, *Iconoclastæ* (VIII sæc.), *Photius* (IX sæc.), *Michael Cærularius* (XI sæc.), quibus adhuc adhærent Græci schismatici, impugnârunt processionem Spiritûs Sancti a Filio. Contra quos, primum in Hispaniâ, deinde in Galliâ et Germaniâ, particula *Filioque* Symbolo Nicæno addita fuit, et auctoritate Romanorum Pontificum recepta et approbata.

553. **Thesis** : *Spiritus S. non solum a Patre, sed etiam a Filio vere procedit, tanquam ab uno principio et unicâ spiratione. De fide est ex C. Lugdun. II* (1274) : " Fatemur quod *Spiritus Sanctus* æternaliter *ex Patre et Filio*, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam *ex uno principio*, non duabus spirationibus, sed *unicâ spiratione*

[1] *De Trin.*, V, 4, *P. L.*, XLII, 914.
[2] 1a pars, q. 27, a. 1. — [3] *Ibid.*, a. 2.

procedit". Quæ ultima verba addita sunt ad solvendam difficultatem Græcorum quorumdam, qui ideo formulam *ex Patre Filioque* rejiciebant quia falso putabant ita statui duo principia Spiritûs Sancti. Sensus igitur thesis est non dari duplicem vim spirativam, sed *unam* tantum, quæ Patri Filioque communis est : in *principiando* enim Spiritum Sanctum, Pater et Filius non sibi mutuo opponuntur.

Probatur : 1° *Script.* Spiritum Sanctum a Patre procedere disertis verbis exprimitur et frequentibus[1]. Remanet igitur copiosius probandum, adversùs repugnantes, Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere :

In pluribus Scripturæ locis, Spiritus : a) vocatur *Spiritus Filii*, vel *Spiritus Christi Jesu :* " Misit Deus *Spiritum Filii sui*...[2] " " Non permisit eos *Spiritus Jesu*[3] ". b) dicitur *missus a Filio* sicut a Patre[4] : " Si abiero, inquit Christus, mittam eum ad vos... " " Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre "; c) Spiritus dicitur aliquid accipere a Filio[5] : " Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater mea sunt; propterea dixi : quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis ".

Atqui Spiritus non potest dici Spiritus Filii, missus a Filio, aliquid a Filio accipere nisi quia originem habet ab Eo; nam persona divina nihil accidentale ab aliâ accipere potest.

2° *Tradit.* A) *ex Patribus;* cùm adversarii concedant thesim nostram diserte a Patribus latinis edoceri, satis erit Græcorum testimonia referre.

Ita *S. Athanasius* scribit[6] : " Qualem scimus proprietatem esse Filii ad Patrem, eamdem ad Filium habere Spiritum Sanctum comperiemus"; et alibi[7] Filium vocat " fontem Spiritûs Sancti "; — *S. Gregorius Nyssenus*[8] rem comparatione explicat : Pater, Filius et Spiritus sunt veluti tria luminaria, quorum secundum accenditur a primo, tertium autem a secundo; — magis diserte *S. Cyrillus Alex.*[9]: "Cum igitur Spiritus S. in nobis inhabitans conformes nos Deo reddat, *proce-*

---

[1] Cf. *Joan.*, XV, 26; *Matth.*, X, 20.
[2] *Galat.*, IV, 6; cfr. *Rom.*, VIII, 9. — [3] *Act.*, XVI, 7.
[4] *Joan.*, XV, 26; XVI, 7.— [5] *Joa.*, XVI, 14.— [6] *Ad Serap.*, ep. III, n. 1.
[7] *De Incarnat.*, n. 9. — [8] *Orat.*, 31, n. 2.
[9] *Thesaurus*, assert. 34, *P. G.*, LXXV, 585 — Notandum est tamen græcam vocem προέισι, quæ latine redditur *procedat*, litteraliter significare *oriatur;* unde Græci imaginati sunt Spiritum *principaliter* procedere (ἐκπορεύεσθαι) a Patre, et *secundario* oriri (προιέναι) a Filio.

dat vero is ex Patre et Filio, manifestum est ex divinâ essentiâ eum esse essentialiter, in ipsâ et ex ipsâ procedentem, sicut halitus ex humano ore prodiens, etsi humile et non dignum tantâ re sit hoc exemplum ".

Plerique Græci eamdem doctrinam alio modo exponunt, dicentes Spiritum Sanctum *procedere ex Patre per Filium*. Quæ loquendi ratio ansam præbuit Photianis doctrinam catholicam calumniandi, et ita contra eos genuine explicatur a *Concil. Florent.*, Græcis approbantibus : " Id quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum S., ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium quoque esse, secundum Græcos quidem, causam, secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus S., sicut et Patrem. Et quoniam omnia quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus S. procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus est[1] ".

B) *Ex synodis et Conciliis* : a) *Ante schisma Græcorum* habitis. Sæc. V°, in *fidei professione* quam *Africani episcopi* Hunnerico regi tradiderunt, legebatur : " Ingenitum Patrem et de Patre genitum Filium, et de *Patre et Filio procedentem Spiritum S.* unius credimus esse substantiæ ". — Synodus *Alexandrina* S. Cyrilli epistolam approbavit, in quâ dicebatur Spiritum " a Filio atque a Deo Patre procedere " ; quæ epistola laudata fuit a Concil. *Ephes.*, *Chalcedon.* et *Constantinop. II.*

b) *Post schisma* habitis : ex *Lateranensi IV* (1215), cui multi Orientales Episcopi et Abbates interfuerunt[2] : " Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac *Spiritus S. pariter ab utroque* "; *Lugdunensi II* jam citato; *Florentino*, ubi, cum Græcorum consensu, definitum est quod : " Spiritus S. ex Patre et Filio æternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et *ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio et unâ spiratione procedit*[3] ".

554. Corollaria de Spiritu sancto. 1° *Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit per voluntatis modum.* a) Hoc *communiter* Patres et Theologi deducunt e variis *nominibus* et *operationibus* quæ Spiritui S. in Scripturâ

[1] DENZ.-BANN., 691 (586).
[2] DENZ.-BANN., 428 (355).
[3] DENZ.-BANN., 691 (586).

tribuuntur, ex eo nempe quod dicitur *amor*, *caritas*, *donum* eique adscribuntur opera *sanctificationis* : quæ omnia ad voluntatem spectant.

b) Idem suadet *ratio theologica.* Nam in intellectuali naturâ invenitur actio intellectûs et actio voluntatis : voluntas enim sequitur intellectum. Unde si in Deo, qui est naturæ maxime immaterialis et intellectualis, adest processio secundum intellectum, nil mirum, sed potius est omnino consentaneum quod adsit et *secunda* processio secundum voluntatem. Licet enim in Deo sit idem voluntas et intellectus, tamen, quia de ratione amoris est quod non procedat nisi a conceptione intellectûs, in Deo ipso processio amoris est in ordine ad processionem Verbi et ita habet ordinis distinctionem processio amoris a processione Verbi in divinis[1].

555. 2° *Processio amoris in divinis non est generatio.* a) Ita docet symb. *Athanasianum :* " Spiritus sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, *nec genitus*, sed procedens ".

b) Ita docent *Patres :* " Neque ingenitum dicimus Spiritum Sanctum : unum enim novimus ingenitum,... Patrem Domini nostri Jesu Christi; neque genitum : unum enim esse unigenitum in fidei traditione didicimus[2] "; " Hoc enim Patri et Filio et Spiritui Sancto commune est, quod minime creati sunt, et divinitas. Hoc autem Filio et Spiritui Sancto quod uterque eorum ex Patre est. At vero Patris proprietas hæc est, quod ingenitus sit; Filii, quod genitus; Spiritûs sancti, quod procedat[3] ".

c) Confirmat *ratio theologica.* Hæc est enim differentia inter intellectum et voluntatem quod intellectus habet operationem de se assimilativam, cùm tendat ad similitudinem rei, voluntas vero inclinetur e contra in rem ipsam.

Atqui Spiritus Sanctus, procedens per modum voluntatis, non est similis suo principio *vi originis* seu non procedit *in similitudinem;* accipit quidem naturam divinam, sed non per generationem. Quomodo autem accipiat, nobis ignotum manet : unde dicitur tantum quod *proce-*

---

[1] *Sum. theol.*, 1a pars, q. 27, a. 3.
[2] S. Basilius, *Epist.* 125, n. 3, Journel, 917.
[3] S. Greg. Naz., *Orationes*, XXV, 16. — Vide Journel, n. [illegible], *Indic. Theolog.*

dit, sistendo in voce genericâ; sed ejus origo potest nominari *Spiratio*, quia est processio Spiritûs, addit *S. Thomas*[1].

556. 3° *Nulla alia processio est in divinis nisi Verbi et Amoris:* nulla enim alia in Scripturâ aut Traditione commemoratur.

Quod aliunde ex jam dictis eruitur : a) quia sunt tantum tres personæ divinæ, et exinde duo tantum procedentes : repugnat enim tres procedere quia in hoc casu vel procederent ab invicem, vel unus procederet a semetipso : quæ repugnant; b) quia in naturâ mere intellectuali, non concipi possunt processiones nisi secundum intellectum et voluntatem, in naturâ autem intellectuali et divinâ, quæ est infinite perfecta, una tantum concipi potest processio intelligentiæ, una processio voluntatis: intelligere enim successive et per discursum, est indignum Deo, et intellectionis simplicissimam unitatem sequitur unitas simplicissima voluntatis; c) objicitur quidem processionem fieri posse secundum potentiam et bonitatem; sed immerito : nam potentia est principium agendi in aliud, bonitas pertinet ad essentiam non ad operationem : unde nequeunt concipi in Deo processiones secundum potentiam et bonitatem.

Corollaria de tribus personis.

557. 1° *Admittenda est divinarum personarum circumincessio*, περιχώρησις, id est, mutua divinarum personarum in invicem coexistentia et cohabitatio, ita ut Pater sit in Filio, Filius in Patre, et uterque in Spiritu S., pariterque Spiritus in Patre et Filio. *De fide est ex Florentino*[2] *:* " Propter hanc unitatem (naturæ) Pater est totus in Filio, totus in Spiritu S. : Filius totus est in Patre, totus in Spiritu S.; Spiritus totus est in Patre, totus in Filio ".

Quæ doctrina *directe* asseritur in *Scripturâ* pro Patre et Filio[3] : " Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est? " Idem *implicite* docet Paulus quoad Spiritum S. dum tradit Eum in Deo esse, sicut spiritus hominis in homine est[4].

Hæc autem circumincessio oritur : a) e personarum *consubstantialitate;* nam, ut recte ait *S. Thomas*[5], " secundum *essentiam* Pater est in Filio et Filius in Patre, quia Pater est sua essentia, et communicat eam Filio, non per aliquam

---

[1] 1ª p., q. 27, a. 4. — [2] Denzing., n. 704 (598).
[3] *Joan.*, XIV, 10; cfr. X, 30, 38. — [4] *I Cor.*, II, 10-11.
[5] *Sum. theol.*, 1, q. 42, a. 5.

suam transmutationem. Unde sequitur quod, cùm essentia Patris sit in Filio, in Filio sit Pater ". b) E personarum *origine* : cùm enim Filius et Spiritus sint *termini operationum immanentium*, necessario manent in principio unde procedunt. c) Ex earum *relationibus :* manifestum est enim quod " unum oppositorum relative est in altero secundum intellectum [1] " (seu logice).

558. 2° *Tres divinæ personæ sunt perfectè coæquales.* De fide est ex *Symbol. Athanasiano.* " Et in hâc Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ *coæternæ* sibi sunt *et coæquales... Æqualis gloria, coæterna majestas* ".

Sequitur ex dictis. Nam singulæ personæ sunt vere Deus, seu *totam* possident naturam divinam.

Imo, teste *Augustino*[2], unaquæque persona divina tantam habet perfectionem quantam habent omnes simul : " Tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus S. quantus est simul Pater, Filius et Spiritus Sanctus ". Etenim unaquæque persona est tota deitas, et tres personæ simul sumptæ nil aliud sunt quam ipsa deitas.

Singulæ igitur personæ et tota Trinitas sunt æque adorandæ et eodem cultu prosequendæ.

559. 3° *In Deo operatio ad extra tribus personis communis est.*

Etenim divinæ personæ ad extra agunt *omnipotentiâ* quæ una est, juxta hæc verba Symb. Athanasiani : " Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus : et tamen non tres Omnipotentes, sed *unus Omnipotens* ". Atqui, ubi est unum principium formale operationis, est una operatio. Aliunde in agendo ad extra divinæ Personæ non ad invicem relative opponuntur.

§ III. De missionibus divinis.

Dicemus : 1° de missionibus *in genere*, 2° de missione *invisibili*, 3° de missione *visibili.*

I. *De missionibus in genere.*

560. 1° **Notio.** A) Missio *in genere* in misso importat duplicem habitudinem : ad mittentem scilicet et ad

[1] *Sum. theol.*, 1, q. 42, a. 5.
[2] *De Trinit.*, l. VI, c. 8, *P. L.*, XLII, 929.

terminum ad quem mittitur. Quoad mittentem, missus dicitur *procedere*, et quidem vel secundum imperium, sicut dominus mittit servum, vel secundum consilium, ut consiliarius mittere dicitur regem ad bellandum, vel secundum originem, ut si dicatur quod flos emittitur ab arbore. In termino autem ad quem mittitur, missus aliquo modo esse incipit, vel quia prius ibi omnino non erat, vel quia incipit esse novo modo.

561. B) Missio autem *divinæ personæ* non potest esse nisi : a) secundum processionem originis quæ compatitur æqualitatem missi cum mittente; et b) cum novo existendi modo in termino, quia persona divina missa, sicut non incipit esse ubi prius non fuerat, ita nec desinit esse ubi fuerat. Unde missio includit processionem æternam, et addit temporalem effectum ratione cujus novo modo existit persona missa : tota vero novitas est ex parte effectûs, cum sit æternum quidquid est in Deo.

C) Missio igitur in divinis, **definitur** : *processio unius personæ ab aliâ vel ab aliis cum destinatione ad aliquem temporalem effectum seu cum novo existendi modo.*

562. 2° **Thesis** : *Pater mitti nequit, Filius autem et Spiritus mitti possunt; e contra Pater et Filius mittere possunt, sed S. Spiritus mittere nequit. Certum est.*

A) *Pater mitti nequit.* a) Non enim legitur in Scripturâ quod mittatur, sed solum quod veniat ad nos : " Ad eum *veniemus* et mansionem apud eum faciemus[1] ". b) Quod explicat *S. Augustinus*[2] : " Solus Pater legitur non missus : quia solus non habet auctorem de quo sit genitus vel a quo procedat ".

B) *Filius et Spiritus S. mitti possunt.* a) De Filio dicitur : " Misit Deus Filium suum factum ex muliere[3] "; de Spiritu Sancto : " Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo[4] ". b) Ratio est quia Filius et Spiritus S. ab aliâ personâ procedunt.

C) *Pater et Filius mittere possunt.* Etenim a) de Patre dicitur : " Misit Deus Filium suum[5] "; de Filio : " Si

[1] *Joan.*, XIV, 23.
[2] *Lib. Cont. Serm. Arian.*, c. 4. — Cf. S. THOM., *in I Sent.*, dist. 15, q. 2, d. unic.; I, q. 43, a. 4.
[3] *Galat.*, IV, 4. — [4] *Joan.*, XIV, 26. — [5] *Galat.*, IV, 4.

autem abiero, mittam eum (Spiritum S.) ad vos[1] ". b) Illæ enim personæ mittere possunt, ex quibus procedit alia persona.

D) *Spiritus S. mittere nequit.* a) Nullibi enim legitur Spiritum S. aliam personam divinam misisse. b) Insuper is solus mittere potest, ex quo procedit alia divina persona; atqui nulla persona procedit a Spiritu Sancto.

II. *De missione invisibili.*

Missio *invisibilis* ea est quæ fit interno modo, sine ullâ exteriori manifestatione.

563. **Thesis** : *Fit missio invisibilis divinarum personarum cùm infunditur gratia sanctificans in animam.*

Probatur. Ex *Scripturâ* enim patet caritatem et gratiam sanctificantem quæ sunt inseparabiles, essentialiter connecti cum habitatione Spiritûs sancti, immo et totius Trinitatis in nobis : dicitur enim de *peccatore :* " In malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis[2] ". E contra de *justo :* " Si quis diligit me... Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus[3] "; et iterum : " Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis ? "... " Caritas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum S. qui datus est nobis[4] ". Ex quibus textibus constat cum gratiâ et caritate *dari* Spiritum Sanctum, et consequenter *haberi*, " quia quod datur alicui, habetur aliquo modo ab illo[5] ", ita ut illo *fruamur* sicut amico et speciali protectore : amicitia enim perfecta includit præsentiam realem et intimam amici, et de ratione amici est ut super amicum speciali modo vigilet eumque ab hostibus protegat[6]. — Spiritus autem non venit solus, sed Pater et Filius cum Eo veniunt, Pater ut non missus, Filius autem a solo Patre missus. Tribuitur quidem hoc

[1] *Joan.*, XVI, 7. — [2] *Sap.*, I, 4. — [3] *Joan.*, XIV, 23.
[4] *I Cor.*, III, 16; *Rom.*, V, 5.
[5] S. THOMAS, *in I Sent.*, dist. 14, q. 2, a. 2.
[6] " Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis ". *I Petr.*, V, 7.

opus Spiritui Sancto, cùm sit opus sanctificationis, sed per appropriationem tantum, secundum communem Latinorum sententiam.

III. *De missione visibili.*

564. Cùm Deus provideat omnibus secundum suam naturam, conveniens fuit ut invisibiles missiones divinarum personarum modo visibili hominibus manifestarentur. Et quia Spiritui sancto competit esse sanctificationis donum, Filio autem, in quantum est Spiritûs sancti principium, competit esse sanctificationis auctorem, ideo Filius visibiliter missus est tanquam *sanctificationis auctor*, et Spiritus Sanctus tamquam *sanctificationis indicium*.

Unde sunt duæ missionum visibilium species :

A) Una est visibilis *substantialiter*, missio scilicet Verbi Divini in mysterio Incarnationis, in quâ Filius Dei non solum repræsentatus est modo visibili, sed substantialiter unitus fuit humanæ naturæ.

B) Altera est visibilis *repræsentative*, qualis fuit missio Spiritûs S. sese manifestantis sub formis sensibilibus, quibus tamen non erat substantialiter unitus : v. g., **a**) in Baptismo Christi, sub specie *columbæ*[1], ad ostendendam gratiæ abundantiam Christo ab initio conceptionis collatam; **b**) in die Pentecostes sub specie *linguarum ignearum*[2], quæ fuerunt simul *repræsentativæ et effectivæ*, quia gratiam internam contulerunt[3].

Corollarium : In collatione Sacramentorum non est missio visibilis Spiritûs S., quia signum sensibile adhibitum non est novum nec extraordinarium, sed solum missio invisibilis, quatenus per ea gratia habitualis confertur.

Articulus II. Scholastica expolitio mysterii SS. Trinitatis

Ad complendam nostram tractationem de SS. Trinitate, dicemus quomodo mysterium SS. Trinitatis : 1° sit supra rationem sed non contra rationem; 2° sit *analogiis* et

[1] *Matt*, III, 16. — [2] *Act.*, II, 3.
[3] S. Thom., I, q. 43, a. 7, ad 6.

appropriationibus suadibile; 3° ope philosophiæ præcisius ac plenius exponatur.

§ I. Mysterium SS. Trinitatis est supra non contra rationem.

565. **Thesis Iª** : *Mysterium SS. Trinitatis non potest solâ ratione intelligi vel demonstrari. Certum est.*

Probatur : A) *Scripturâ* quæ testatur Deum solum parem esse cognoscendæ Trinitati : " Deum nemo vidit unquam : Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit " ... " Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare[1] ".

B) *Traditione.* a) Patres idem diserte asserunt cum *Athanasio*[2] : " O stulti, atque ad omnia audaces et præcipites! Quare non potius SS. Trinitatem curiose scrutari desinitis, eamque esse duntaxat creditis, magistrum Apostolorum hâc in re imitati, cujus hæc sunt verba : credere enim oportet primum Deo quia est?... "

b) Declaravit *Vaticanum* quædam mysteria esse quæ per rationem *neque intelligi neque demonstrari possunt*[3]; atqui, ex omnium confesso, mysterium Trinitatis est omnium difficillimum et altissimum; ergo per rationem neque inveniri neque demonstrari potest. Unde recenter damnata fuit sequens propositio *Rosmini :* " Revelato mysterio SS. Trinitatis, potest ipsius existentia demonstrari argumentis mere speculativis, negativis quidem et indirectis, hujusmodi tamen ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revocetur, atque fiat propositio scientifica sicut ceteræ[4] ".

566. C) *Ratione :* a) Omnis demonstratio fit vel a priori, vel a simultaneo, vel a posteriori; atqui existentia SS. Trinitatis non potest demonstrari *a priori*, seu per causam, quia Deus nullam causam habet; nec *a simultaneo*, seu ex ipsâ notione

---

[1] *Joan.*, I, 18; *Matth.*, XI, 27.

[2] *Epist. ad Serap.* 1ª, 18, *P. G.*, XXVI, 574.

[3] " Si quis dixerit in revelatione divinâ nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, A. S. " (*De Fide et Rat.*, can. 1.)

[4] Cf. *S. Offic.* decretum, 14 dec. 1887. DENZ.-BANN., 1915 (1760).

Dei, quam habemus nimis analogam ut ex eâ eruamus tres esse personas in Deo; neque *a posteriori*, seu per effectus, quia effectus a Deo producti causantur ab omnipotentiâ, quæ est una, non trina.

Unde concludit *S. Thomas*[1] : " Qui probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat : 1) quidem quantum ad dignitatem ipsius fidei, quæ est ut sit de rebus invisibilibus, quæ rationem humanam excedunt... 2) quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cùm enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes quæ non sunt cogentes, *cedit in irrisionem infidelium*[2]. "

b) *Confirmatur* ex insufficientiâ rationum allatarum ab iis qui contrarium docuerunt. Siquidem : 1) *Abælardus*, comparatione potius et appropriatione quam demonstratione, Deum concipit non ut Trinitatem realem personarum, sed ut Trinitatem nominalem attributorum[3]; 2) *Lullus* recte argumentatur ex bonitate divinâ; sed quod bonitas divina fecunda sit intra ipsum Deum, *solâ revelatione* cognoscitur[4]; 3) *Günther ratione solâ* illegitime concludit ex existentiâ verbi in intellectu humano ad existentiam Verbi in mente divinâ[5]; 4) *Rosmini*, ad mentem Kantii philosophans, Trinitatem mere nominalem aut Tritheismum inducit[6]; 5) *Schell* ratiocinatur ex aseitate male intellectâ[7].

567. **Thesis IIa** : *Demonstrari nequit ullam repugnantiam esse in dogmate SS. Trinitatis recte exposito.* Probatur :

A) *Auctoritate* virorum præstantissimorum, qui in philosophiâ et scientiis naturalibus versati, hoc dogma crediderunt, non obstantibus difficultatibus, quas sedulo perpenderunt.

B) *Ratione.* a) Adesset quidem repugnantia in mysterio SS. Trinitatis, si in ejus enuntiatione continerentur termini inter se incompossibiles et se invicem excludentes; atqui non est ita ; nam dicimus Deum esse unum sub respectu naturæ, et trinum sub respectu personarum; jamvero aliquod ens potest esse unum sub aliquo respectu et multiplex sub alio. Sic, v. g., in homine adest duplex substantia, substantia spiritualis seu anima,

---

[1] 1 p., q. 32, a. 1. — [2] Cf. *Synops. maj.*, n. 673.

[3] ABÆLARDUS, *Introductio ad theologiam*, lib. I., *P. L.*, CLXXVIII, 989; lib. II, 1086; *Theologia christiana*, l. II, *P. L.*, 1259-1261, 1278. DENZ.-BANN., 368 (310).

[4] *De articulis fidei*, cap. VII.

[5] Cf. PESCH, *De Deo trino*, n. 494, 495.

[6] DENZ.-BANN., 1916 (1761). — [7] PESCH., ibid., n. 274.

et substantia materialis seu corpus, et tamen adest unica persona. Ut igitur contradictio esset in hoc mysterio, probari deberet nullam esse distinctionem, ne virtualem quidem, inter naturam et personam : quod quidem fieri nequit.

b) *Confirmatur* solvendo præcipuas objectiones : 1) Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se; atqui tres divinæ personæ sunt quid unum et idem cum essentiâ; ergo sunt idem inter se.

Resp.: Distinguo majorem : quæ sunt eadem uni tertio sub omni respectu, sunt eadem inter se, *concedo;* quæ sunt eadem sub aliquo respectu et differunt sub alio, *nego.* Jamvero personæ sunt idem cum naturâ sub aliquo respectu, quatenus scilicet æqualiter divinam possident naturam, sed *virtualiter* differunt ab eâ, quia non possident divinam naturam eodem modo : v. g., Pater active generando *dat* illam naturam Filio, Filius eam *accipit;* jamvero inter *dare* et *accipere* realis adest distinctio. Illustratur comparatione : *Actio* et *passio* distinguuntur *virtualiter* tantum a *motu*, nam actio est motus datus et passio est motus receptus; attamen actio et passio *realiter* distinguuntur ab invicem; ita pariter divinæ personæ virtualiter distinguuntur a naturâ, et realiter ab invicem; licet enim paternitas sit idem secundum rem cum essentiâ divinâ, et similiter filiatio, tamen hæc duo important oppositos respectus : videlicet paternitas est *activa* communicatio vitæ, dum filiatio est *passiva* ejus acceptio; unde distinguuntur ab invicem[1].

2) *Objicitur* trium personarum existentiam divinæ obstare simplicitati. *Respondet* S. Thomas[2] : " Dicendum quod in Filio est aliquid commune Patri, scil. *essentia*, et aliquid per quod a Patre distinguitur, scilicet *relatio.* Non tamen est ibi compositio, quia relatio est secundum rem essentia ".

§ II. Mysterium SS. Trinitatis suadetur analogiis et appropriationibus.

568. 1° *Analogiis.* Has analogias invenimus speciatim in homine. Siquidem in animâ intellectuali duæ sunt processiones immanentes, scilicet *verbum*, quod ab intellectu procedit, et *amor* a voluntate procedens.

569. 2° *Appropriationibus.* Equidem ad manifestationem fidei conveniens fuit attributa quæ ad divinam

[1] S. THOMAS, 1 p., q. 28, a. 3, ad 1.
[2] *De Pot.*, q. 10, a. 1, ad 12.

essentiam pertinent personis appropriari, ut sic magis ac magis Trinitas sanctissima declaretur. Sicut enim similitudine in creaturis inventâ utimur ad manifestius cognoscendas divinas personas; ita et attributis quæ ad essentiam divinam pertinent : hæc autem manifestatio personarum per hujusmodi attributa, *appropriatio* nominatur.

570. Quâ de re doctrinam *S. Augustini*[1] exponemus. **a)** S. Doctor, considerans Deum in quantum *unus* est, attribuit Patri *unitatem*, quæ, quatenus dicitur absolute, non præsupponens aliquid aliud, convenit cum Patre qui non præsupponit aliquam personam; Filio *æqualitatem* quæ importat unitatem in respectu ad alterum; Spiritui sancto *concordiam* sive *connexionem* quæ est unio saltem duorum præsuppositorum.

571. **b)** Deum respiciens quatenus est *causa rerum*[2], attribuit Patri *potentiam*[3] quæ habet rationem principii; Filio *sapientiam*, quæ habet similitudinem cum Filio in quantum est Verbum; Spiritui sancto *bonitatem* quæ est objectum amoris.

572. **c)** Considerans Deum quoad suos effectus, vocat Patrem *ex quo*, quia habitudo causæ efficientis, sicut et potentia, convenit cum Patre; Filium autem *per quem*, quia habitudo causæ formalis, sicut sapientia et ars, convenit cum Verbo; Spiritum sanctum *in quo*, quia habitudo continentis convenit cum Amore in eo quod suâ bonitate res conservat et gubernat ad finem convenientem adducendo[4].

§ III. Mysterium SS. Trinitatis ope philosophiæ declaratur.

573. Inter varias theorias quæ a Patribus et Theologis propositæ sunt ad expoliendum SS. Trinitatis dogma, eam seligimus quam *S. Augustinus* inchoavit et *S. Thomas* complevit.

Animadvertit imprimis Doctor Angelicus, secundum fidem catholicam, duas in Deo esse *processiones immanentes*, scilicet *verbum* quod ab intellectu procedit et *amorem* qui a voluntate procedit. Deinde ostendit ex

[1] *De doct. christ.*, lib. I, cap. 5.
[2] *De Trin.*, lib. VI, cap. 10.
[3] Symbolum attribuit etiam Patri *creationem* quæ est opus proprium omnipotentiæ.
[4] Cf. S. THOMAS, 1a p., q. 39, a. 8.

his processionibus oriri *quatuor relationes*, *tres personas*, ideoque *tres proprietates personales* et *quinque notiones*.

574. 1° **De relationibus**. A) Ex eo quod in Deo sunt duæ processiones, *quatuor relationes* exsurgunt : relatio scilicet Patris ad Filium seu *Paternitas*, relatio Filii ad Patrem seu *Filiatio*, relatio Spirantis ad Spiritum Sanctum seu *Spiratio activa*, relatio Spiritûs Sancti ad Spirantem, seu *Spiratio passiva* quæ dicitur etiam *Processio*. **a**) Hæ autem relationes *non sunt accidentia*, cùm in Deo nihil sit nisi substantiale; sunt tamen *realitates*, cùm Deus sit vere Pater, vere Filius, vere Spiritus Sanctus; realitates autem subsistentes ipsâ subsistentiâ essentiæ divinæ, ita ut relationes divinæ sint ipsa substantia divina. **b**) A substantiâ tamen divinâ *virtualiter distinguuntur* : suo enim proprio conceptu non dicunt substantiam divinam, sed merum respectum (*ad*) : unde locus relinquitur *distinctioni reali* quâ relationes *inter se* distinguuntur. Paternitas enim, utpote opposita Filiationi, realiter a Filiatione distinguitur; Spiratio activa, utpote opposita Spirationi passivæ, ab ipsâ realiter distinguitur : quod enim producit, necessario distinguitur ab eo quod producitur. Spiratio autem activa, utpote non opposita Paternitati et Filiationi, ab ipsis non realiter distinguitur. Unde tres tantùm relationes sunt inter se *realiter* distinctæ : *Paternitas* scilicet et *Filiatio* quæ immediate inter se opponuntur, *Spiratio passiva* tandem quæ opponitur Paternitati et Filiationi ratione *Spirationis activæ* cui identificantur. Nulla autem alia distinctio, præter *relativam*, in Deo esse potest : distinctio enim absoluta esset distinctio *substantialis* et consequenter Divinitatem multiplicaret seu polytheismum implicaret. Unde axioma: *In Deo sunt omnia unum ubi non obviat oppositio relativa.*

575. B) Ex eo quòd Pater et Filius nullâ oppositione relativâ distinguuntur quoad productionem Spiritûs sancti, sequitur *Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere* et quidem *unâ spiratione*, ita ut Pater et Filius sint unum principium Spiritûs sancti [1]. Si enim Spiritus sanctus

[1] Sunt tamen duo *spirantes*, non autem duo *spiratores*, quia, ut ait S. Thomas (q. 36, a. 4, ad 7), videtur meliùs dicendum quòd quia *spirans* adjectivum est, *spirator* verò substantivum, possumus dicere quòd Pater et Filius sunt duo spirantes, non autem duo spiratores, propter

a Filio non procederet, nullo modo posset ab eo distingui. Etenim personæ in divinis non distinguuntur realiter ab invicem nisi per relationes oppositas. Atqui relationes oppositæ non dantur in divinis nisi relationes *originis*, quatenus una persona ab aliâ procedit; ergo Spiritus S. non realiter a Filio distinguitur, nisi ab eo procedat[1].

576. 2° **De divinis personis.** Cùm autem relationes divinæ oppositæ sint subsistentes in naturâ divinâ, recte, etsi analogice, dictæ sunt a Patribus et Doctoribus *personæ.* Persona enim definitur a Boetio : *naturæ rationalis individua substantia;* seu, aliis verbis, persona est quid substantiale, intellectuale, in se indistinctum et ab aliis distinctum. Atqui relationum oppositarum quæ sunt in Deo unaquæque est quid : **a**) *substantiale :* in Deo enim repugnat esse accidens, seu quid participatum; cùm enim Deus sit per essentiam omnimoda perfectio, repugnat Eum esse participem ulterioris perfectionis per accidentia[2]; **b**) *intellectuale :* quidquid enim est in Deo, est natura divina quæ est in summo immaterialitatis et intellectualitatis gradu; aliunde relationes divinæ fundantur in operationibus intellectûs et voluntatis; **c**) *in se indistinctum :* in Deo enim est una Paternitas, una Filiatio, una Spiratio passiva, cùm sit unus Pater, unus Filius, unus Spiritus sanctus; **d**) *ab aliis distinctum :* Paternitas enim et Filiatio, utpote oppositæ, inter se realiter distinguuntur; ita Spiratio passiva distinguitur a Paternitate et Filiatione quatenus ambæ identificentur Spirationi activæ.

577. 3° **De proprietatibus et actibus personalibus.** **a**) Ex eo quod constituunt personas, Paternitas, Filiatio et Spiratio passiva dicuntur *proprietates personales.* Spiratio verò activa est communis duarum primarum personarum, et *re* identificatur Paternitati et Filiationi jàm priùs prioritate naturæ constitutis.

b) Actus autem *notionales* seu personales quibus divinæ personæ procedentes producuntur, duo sunt : *generatio* scilicet, Patris propria, quâ producitur Filius ; et *Spiratio,* Patri et Filio communis, quâ Spiritus sanctus producitur.

---

unam spirationem. Cfr. *annotationes* IV, V, VI, VII, VIII, IX CAJETANI in hunc articulum; S. FRANCISCUS SALES., *Traité de l'amour de Dieu*, liv. III, ch. 13me.

[1] 1 p., q. 36, a. 2. — [2] Cfr. S. THOMAS, 1, q. 30, a. 1, ad 3.

578. Cùm vero, ex unâ parte, relationes personales præsupponant suum fundamentum, generationem scilicet et spirationem seu actus notionales, et actus notionales, ex alterâ parte, præsupponant personas quarum sunt (actiones enim sunt suppositorum), personæ divinæ constituuntur per relationes non consideratas præcise ut relationes, sed per relationes consideratas ut *subsistentes* in naturâ divinâ [1].

579. 4° **De notionibus.** A) Utimur nominibus tum *concretis* tum *abstractis* ad significandum res Dei non tantum absolutas, ut cùm dicimus *Deum* et *Deitatem*, *sapientem* et *sapientiam*, sed etiam personales et relativas, ut cum dicimus *Patrem* et *paternitatem*. Et merito quidem : **a**) quærentibus enim hæreticis *in quo* Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt unus Deus, et *in quo* sunt tres, necessarium fuit respondere quod sunt unum *essentiâ* vel *deitate*, tres autem *paternitate*, *filiatione* et *spiratione passivâ* seu *processione*; **b**) cùm ex unâ parte secundum duas relationes Filii et Spiritûs sancti, quibus referuntur ad Patrem, oporteat intelligi duas relationes in Patre, et, ex alterâ parte, non sit nisi una Patris persona, necesse fuit seorsum significari in abstracto relationes *paternitatis* et *spirationis activæ* [2].

B) Ex quibus apparet per *notionem* hìc intelligi id quod est *propria ratio* cognoscendi divinam personam. Innotescit autem Pater per hoc quod a nullo est *(innascibilitas)*, et in quantum Filius est ab eo (*Paternitas*), et in quantum ab eo est Spiritus sanctus (notio *communis Spirationis*). Filius autem innotescit et per *Filiationem*, et per communem *Spirationem*. Spiritus sanctus innotescit per *Processionem*.

580. **Conclusio.** " Sunt igitur quinque notiones in divinis ; scilicet innascibilitas, paternitas, filiatio, communis spiratio et processio. Harum autem tantum quatuor sunt relationes. Nam innascibilitas non est relatio nisi per reductionem. Quatuor autem tantum proprietates sunt. Nam communis spiratio non est proprietas, quia convenit duabus personis. Tres autem sunt notiones personales, id est constituentes personas, scilicet paternitas, filiatio et processio. Nam communis spiratio et innascibilitas dicuntur notiones personarum, non autem personales [3] ".

---

[1] 1 p., q. 29, a. 4.
[2] S. THOMAS, 1., q. 32, a. 2.
[3] S. THOMAS, 1 p., q. 32, a. 3.

Scholium. Regulæ ad recte loquendum de SS. Trinitate.

581. 1° **Prima regula** est adhibere divina nomina sive *propria*, sive *appropriata*, quæ traduntur a Scripturâ et Traditione.

Ita Pater *proprie* vocatur *primum principium* seu *fons* totius Trinitatis (non vero *causa* vel *auctor* Filii, quia illæ voces in linguâ latinâ important in causato diversitatem et dependentiam naturæ), *Ingenitus* et *Innascibilis*, *Pater* et *Genitor;* per appropriationem, *Omnipotens*, *Creator*, *Æternus*. — Filius *proprie* vocatur non solum *Filius*, sed et *Verbum*, *Imago*, quia vi originis est perfecte similis Patri, *Splendor gloriæ* et *Figura substantiæ* Patris; per appropriationem, *Sapientia*. — Tertia persona *proprie* vocatur *Spiritus sanctus*, *Amor*, quia est terminus substantialis amoris Patris et Filii, et *Caritas*, *Donum* quia amor est donum primum et per excellentiam; per appropriationem, *Paracletus* seu consolator et *advocatus*, quia nos per gratiam consolatur et postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus : quæ sunt opera caritatis.

582. 2° **Secunda regula** : Cùm mysterium SS. Trinitatis essentialiter in *unitate naturæ* et *personarum distinctione* situm sit, ea omnia vitari debent quibus utrumve dogma lædatur.

Unde : **a**) nomina significantia essentiam divinam substantive, ut *Deus*, *Divinitas*, *omnipotentia*, *sapientia*, etc. prædicantur de tribus personis in singulari. Etenim natura divina est una. Idcirco Patrem et Filium et Spiritum sanctum non dicimus tres Deos, sed unum Deum.

b) Nomina significantia essentiam divinam *adjective* prædicantur *pluraliter* de tribus personis, quia prædicantur per modum accidentis, licet non sint accidentia quando Deo tribuuntur, accidentia autem sicut esse habent in subjecto, ita ex subjecto suscipiunt unitatem vel pluralitatem. Idcirco dicimus tres exsistentes vel tres sapientes, aut tres æternos, et increatos et immensos, si *adjective*, sumuntur; si vero *substantive*, dicimus unum increatum, immensum et æternum, ut in Symbolo *Athanasiano* [1].

---

[1] S. THOMAS, 1 p., q. 39, a. 3.

c) Vocabula, quæ exprimunt operationes *notionales* seu proprias personarum et earum relationes, non debent prædicari de essentiâ (in quâ sic induceretur oppositio relativa et realis distinctio), sed solum de personis vel de *Deo* (tunc supponente pro personis); v. g., dici nequit : essentia generat, procedit, etc., sed dici debet : Deus generat, Filius generatur [1].

d) In universum nomina distinctionem exprimentia ita caute adhiberi debent ut distinctionem naturæ et inæqualitatem personarum non importent. 1) Ita adhibendæ sunt voces trinus, trinitas, non autem triplicitas, triplex, quia hæc ultima verba plures esse naturas supponunt. 2) Dicitur : alius Pater, alius Filius, non autem aliud, quia genus neutrum naturam designat; Filius autem non habet aliam naturam ac Pater. 3) Dici vero nequit : " Pater est unus cum Filio ", quia genus masculinum communiter refertur ad personam; jamvero Pater non est una persona cum Filio. 4) Vitandæ sunt expressiones : " Deus est singularis, solus, solitarius ", quia talia verba excludunt pluralitatem personarum. 5) Dici nequit : tres sunt personæ diversæ, quia diversitas supponit multiplicationem naturæ. 6) Dici nequit etiam personas esse similis substantiæ, quia similitudo in casu multiplicitatem substantiæ importat; sed dici debet tres personas esse unius substantiæ. 7) Nec dicere licet in Deo esse *tria individua*, quia individua designant naturam specie unam, diversam tamen numero, dum in Deo una est natura non solum specifica, sed etiam numerica.

CONCLUSIO · COROLLARIA PIETATIS [2].

583. a) Si mysterium SS. Trinitatis in *suo complexu* consideramus, duplici operationi, cognitioni scilicet et amori innititur; itaque ut Trinitatem, ad cujus imaginem conditi sumus, et in cujus nomine baptizamur, vere imi-

[1] Patres nonnulli hâc de re minus accurate aliquando locuti sunt, sed sunt benigne intelligendi; v. g., si dicitur sapientiam genuisse sapientiam, aut si Filius dicitur sapientia de sapientiâ, propositio ita est explicanda : Pater, qui est ipsa sapientia, genuit Filium, qui, utpote Deus, est etiam ipsa sapientia. Cf. HURTER, n. 261.

[2] CONTENSON, *Theol. mentis*, l. III, d. II, c. I, spec. I.

temur, de Deo assidue cogitare, ipsumque amore complecti necesse est.

b) Dum perfectam trium personarum *unitatem* recolimus, præ oculis habeamus orationem Christi [1] : "Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint"; hanc vero unitatem imitemur per fraternæ caritatis praxim.

c) Ut invisibili divinarum personarum missione frui valeamus, "societas nostra sit cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo [2]"; si enim per caritatem Deo conjungi conamur, tres divinæ personæ ad nos venient et mansionem apud nos facient [3] : nam "Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo [4]".



[1] *Joan.*, XVII, 21-22. — [2] *I Joan.*, I, 3.
[3] *Joan.*, XIV, 23. — [4] *I Joan.*, IV, 16.

TRACTATUS VII.

DE DEO CREANTE ET ELEVANTE.

Credo in Deum... Creatorem cæli et terræ.

584. Nunc tractandum est de *operationibus divinis ad extra*, scilicet de creaturarum productione et elevatione ad statum supernaturalem. Agemus : 1° de creaturis *non spiritualibus* seu de *opificio mundi;* 2° de creaturis *mere spiritualibus* seu de *angelis*; 3° de creaturis *materialibus simul et spiritualibus* seu de *homine.*

Art. I. De opificio mundi.

Quæstiones mere philosophicas supponimus jam alibi solutas, et hic tantummodo inquirimus quid fides doceat : **a**) de *origine mundi*, **b**) de *origine vitæ* variarumque viventium *specierum.*

§ I. De Cosmogoniâ Mosaicâ.

585. **Prænotamus,** secundum recens *Commissionis de re biblicâ* responsum [1], **a**) minime excludendum esse *sensum litteralem historicum* trium priorum capitum libri Geneseos; **b**) non omnia tamen et singula verba necessario accipienda esse sensu proprio, quando v. g. locutiones ipsæ manifesto apparent metaphorice vel anthropomorphice usurpatæ, præsertim si Patres ipsi allegorice hæc verba intellexerunt; **c**) præcipue vero in primo Geneseos capite non fuisse sacri auctoris mentem scientifico more docere intimam rerum constitutionem ordinemque creationis completum, sed potius suæ genti tradere notitiam *popularem*, prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus et captui hominum accommodatam; **d**) tandem vocem *yôm* (diem) sive sensu proprio pro die naturali, sive sensu improprio pro quodam temporis spatio sumi posse.

---

[1] Die 30 jun. 1909, *A. A. S.*, t. I, p. 567-569.

Quibus principiis innixi declarabimus 1° quid *certo* in Scripturâ de origine mundi doceatur, 2° quid *libere* disputari possit.

586. **Thesis I^a** : *In primo capite Genesis quatuor præsertim de opificio mundi revelantur : 1° mundum et omnia quæ in eo sunt ex nihilo fuisse a Deo creata; 2° non ab æterno, sed in tempore; 3° omnia a Deo solo creata fuisse; 4° eaque bona esse* [1].

1° *Mundum et omnia quæ in eo sunt a Deo fuisse creata* Moyses, contra *Pantheistas*, ac *idololatras*, his verbis declarat : " In principio creavit Deus *cælum* et *terram* [2] ". Etenim : **a**) vox *bara* (creavit) in formis *kal* et *niphal* nunquam usurpatur in Scripturâ nisi de operatione Dei *propriâ*, et exinde est aptissima ad designandam productionem *ex nihilo*, quæ est actio prorsus Deo propria [3]; **b**) quod autem de facto vox *bara* hìc significet creationem proprie dictam apparet ex reliquis verbis textûs : " *In principio, cælum et terram* " : ex quibus innotescit agi de *primâ* origine rerum, et quidem omnium; voces enim " *cælum et terra* " significant universitatem rerum; aliunde nulla præexistens materia commemoratur ex quâ res confectæ fuerint, sicut postea commemoratur in operibus sex dierum : " Formavit... Deus hominem *de limo terræ*, etc.[4] ". **c**) Ex *locis parallelis* res magis ac magis certa evadit : 1) Prophetæ sæpe *creatricem potentiam* Dei extollunt, et quidem talibus verbis ut omnem dualismum excludant, clareque appareat Deum esse omnium rerum auctorem [5]. 2) Eadem doctrina invenitur in *Psalmis*, ubi omnia *simplici verbo* Dei facta esse dicitur [6]; in *libris sapientialibus*, ubi asseritur Deum omnia fecisse, etiam abyssos, imo et ea quæ nobis videntur mala (grandinem, famem et mortem) [7]. 3) Lucidius etiam in *libro Machabæorum* : mater enim Machabæorum, *sapientiâ repleta*, teste Scripturâ, unum ex

---

[1] Alia quæ in I cap. Gen. revelantur de origine vitæ, vel de origine hominis, infra expenduntur, ubi de *Transformismo* et de *Homine*.

[2] *Gen.*, I, 1.

[3] Quod aperte declarat WELLHAUSEN, etsi rationalista (*Prolegom. zur Geschichte Israel*, Berlin, 1883, p. 321) : " Liber Genesis propriâ utitur voce ad solam actionem Dei creatricem designandam ".

[4] *Genes.*, I, 11, 20, 24; II, 7, 9, 19.

[5] *Amos*, IV, 13; IX, 5-7; *Jerem.*, X, 12-17, LI, 15-20; *Isa.*, XL-LVI.

[6] *Ps.* XXXII, 6, 9; CIII; CXIII, 3; CXXXV, 5-10.

[7] *Prov.*, VIII, 22-32; *Eccli.*, XXXIX, 30-39.

filiis suis sic alloquitur : " Peto, nate, ut aspicias ad cælum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt, et intelligas quia *ex nihilo* fecit illa Deus[1] ".

Hinc mirum non est creationem ex nihilo esse dogma fidei, jam expressum in variis symbolis : " Credo in Deum, *creatorem* cæli et terræ ", et magis explicite definitum in C. *Lateran. IV* et *Vaticano* : " utramque *de nihilo* condidit creaturam ".

587. 2° *Mundum non ab æterno, sed in tempore, seu potius cum tempore fuisse creatum*, patet ex his verbis[2] : " *In principio* creavit Deus cælum et terram "; nam *principium* intelligi debet de principio temporis :

a) Talis est enim *sensus obvius* hujus vocis, qui aliunde minime repugnat, sed potius ex *locis parallelis* confirmatur; nam b) hæc expressio " *in principio* " alibi[3] redditur per " *in die* ", quâ certe designatur tempus; c) ubicumque creatio commemoratur, talia verba adhibentur quibus mundum initium habuisse certo constet : " Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis "... " Elegit nos in ipso *ante mundi constitutionem*[4] ".

d) Hinc Conc. *Lateran. IV* rem contra *Albigenses* definit : " *Ab initio temporis* utramque de nihilo condidit creaturam "; quam definitionem innovavit *Vaticanum.*

588. 3° *Deum solum esse creationis causam efficientem*, ita ut nullius creaturæ ministerio usus fuerit ad creandum, constat pariter : A) *Scripturâ :* a) ex *silentio* auctoris sacri, qui, dum alibi sæpe commemorat angelos tanquam Dei adjutores in gubernatione mundi, hìc de eorum interventu in creando prorsus tacet; b) ex *locis* ubi satis evidenter excluditur omnis causalitas instrumentalis : " Tu ipse, Domine, *solus*, tu fecisti cælum et cælum cælorum, et omnem exercitum eorum " ... " Ego Dominus, faciens omnia, extendens cælos *solus*, stabiliens terram et nullus mecum[5] ".

589. B) *Traditione.* Patres sæpe asserunt fabricatum non esse mundum ab Angelis vel ab aliâ creaturâ,

[1] *II Machab.*, VII, 28. — [2] *Gen.*, I, 1. — [3] *Gen.*, II, 4.
[4] *Prov.*, VIII, 22; *Ephes.*, I, 4.
[5] *II Esdr.*, IX, 6; *Isa.*, XLIV, 24.

sed *a Patre per Verbum*, et exinde divinitatem Verbi inferunt, cùm actio creatrix sit propria Deo. Ad rem *S. Augustinus*[1] : " Creare naturam tam nullus angelus potest quam nec se ipsum[2] ".

590. C) *Ratione.* Etenim causa instrumentalis non potest adhiberi ad aliquid faciendum, nisi per aliquid sibi proprium dispositive ad hunc effectum concurrat; ita securis non potest esse causa instrumentalis ad scindendum nisi in quantum acuitate suâ aliquid præbeat ad incidendum. Atqui nulla creatura potest prævie disponere *nihilum* ut fiat *ens :* nam nullum est medium inter *nihilum* et *ens.* Ergo nulla creatura tanquam causa instrumentalis creationis assumi potest[3].

591. 4° *Omnes tandem creaturas bonas esse* patet ex his verbis, quæ sæpe in primo capite Geneseos repetuntur : " Et vidit Deus quod esset bonum... Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona ".

Hinc *C. Later. IV* dixit : " Diabolus et alii dæmones a Deo quidem naturâ creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali ".

Ex hoc tamen non sequitur mundum a Deo creatum esse omnium perfectissimum. Cùm enim bonitas et potentia Dei infinitæ sint, per opus finitum exhauriri nequeunt, ideoque Deus alias creaturas perfectiores, alioque perfectiori modo ordinatas facere posset. — Dici tamen potest mundum esse *relative* optimum, quatenus nempe Deus optima media elegit ad consequendum finem quem sibi creando proposuerat.

592. **Corollaria.** Ex textibus Geneseos allatis, et aliis Scripturæ locis, statuimus Deum esse mundi causam liberam, exemplarem, finalem, et quidem per efficientiam communem totius Trinitatis.

1° *Deus mundum libere creavit.* De fide est contra Abælardum, Wicleffum, Güntherum, Hermesium, Rosmini aliosque[4]. Nam, a) juxta *Scripturam*, Deus " operatur

---

[1] *De Genes. ad litteram*, l. IX, c. 15, n. 26, 28, *P. L.*, XXXIV, 403, 404.

[2] Merito igitur ait *S. Thomas :* " Secundum *fidem catholicam* ponimus quod omnes substantias spirituales et materiam corporalium Deus *immediate* creavit : *hæreticum* reputantes, si dicatur per angelum vel aliquam creaturam aliquid esse creatum ". *De Pot*, q. 2, a. 4.

[3] 1a p., q. 45, a. 5; *C. Gent.*, l. II, c. 21.

[4] *Abælardus* contendebat " quod ea solummodo possit Deus facere vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore quo facit et non

omnia secundum consilium voluntatis suæ[1] "; b) juxta *Vaticanum*, Deus " liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam "; et : " Si quis Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate liberâ, sed tam necessario creâsse quam necessario amat seipsum, A. S.[2] "; c) aliunde cùm perfectio Dei sit infinita, ita ut nihil bonitatis ei ex aliis accrescere possit, sequitur quod alia a se eum velle et operari non sit necessarium[3].

593. 2° *Deus est mundi causa exemplaris.* Etenim divina sapientia prius excogitavit ordinem universi et singulas res ordinatas, et ideo in eâ sunt ab æterno omnium rerum rationes seu formæ exemplares quæ vocantur *ideæ*. Quæ quidem, licet multiplicentur secundum respectum ad res, tamen non sunt realiter aliud a divinâ essentiâ, prout ejus similitudo a diversis participari potest diversimode[4].

594. 3° *Deus est causa finalis rerum omnium.* Constat : a) *Scripturâ :* " Universa propter semetipsum operatus est Dominus[5] "; b) *Vaticano* declarante Deum creâsse " non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona quæ creaturis impertitur "; et definiente : " Si quis mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, A. S.[6] "

c) *Ratione.* Omne agens agit propter finem ; alioquin ex actione agentis non magis sequeretur hoc quam illud. Agentia autem imperfecta in agendo intendunt aliquid acquirere. Primo verò agenti, quod est undequaque perfectum, non convenit agere propter acquisitionem alicujus boni, sed ad communicandam suam perfectionem, seu similitudinem bonitatis suæ. Ergo Deus creavit propter suam gloriam extrinsecam, quæ præcise consistit in manifestatione suarum perfectionum. — Hanc autem intendere et procurare non potest quin simul velit creaturarum bonum et felicitatem[7].

alio " (DENZING., n. 374, (316). *Wicleffus* dicebat omnia de necessitate absolutâ evenire (DENZ., n. 607, (503). *Güntherus* asserebat Deum ex bonitate suâ cogi ad creandum. Secundum *Rosmini*, amor quo Deus se diligit etiam in creaturis, et qui est ratio quâ se determinat ad creandum, moralem necessitatem constituit, quæ in ente perfectissimo semper inducit effectum (DENZ., 1908 (1753).

[1] *Ephes.*, I, 11. — [2] DENZ., 1783 (1632), 1805 (1652).
[3] Cf. S. THOMAS, 1 p., q. 19, a. 3. — [4] S. THOMAS, 1ª p., q. 44, a. 3.
[5] *Proverb.*, XVI, 4. — [6] DENZ.-BANN., 1783 (1632), 1805 (1652).
[7] Cf. S. THOMAS, 1 p., q. 44, a. 4.

595. 4° *Creatio est actio tribus divinis personis communis.* Certum est et fidei proximum contra Güntherum, qui, pro suo falso Trinitatis conceptu, singulis personis diversas operationes adscribebat. Jam enim *Florentinum* declaraverat : " Pater et Filius et Spiritus Sanctus non (sunt) tria principia creaturæ, sed *unum principium* [1] ".— Revera creare, cùm sit proprie causare esse rerum, convenit Deo secundum suum esse, quod est ejus essentia, tribus personis communis [2].

596. Thesis IIª : *In tribus prioribus capitibus Geneseos non describitur scientifico more intima rerum constitutio ordoque creationis completus, sed delineatur narratio* **historico-popularis**, *captui hominum hujus temporis accommodata.* Certum est ex responso *Commissionis de re biblicâ.*

1° Tria prædicta capita sunt *historica*, seu continent " rerum vere gestarum narrationes, quæ scilicet objectivæ realitati et historicæ veritati respondent [3] ".

Id constat : **a**) ex indole evidenter historicâ Geneseos : si enim quæ narrantur de filiis Adam, de Noe et filiis ejus, de Abraham, Ismael, Isaac, Esau, de Jacob et filiis ejus, sunt ex confesso omnium historica, cur inter fabulas amandarentur quæ respiciunt primam rerum originem? **b**) ex peculiari trium priorum capitum inter se et cum sequentibus capitibus nexu : sicut enim in sequentibus capitibus narratur prima populi judaici origo, ita et in prioribus delineatur origo totius generis humani et mundi ipsius; pariter, si conferuntur inter se priora capita, satis clare apparet ibi describi successivam creationem massæ informis, postea vero productionem diversorum entium, primi hominis primæque mulieris formationem, præceptum eis datum, eorum tentationem et lapsum; porro hæc omnia inter se connectuntur tanquam historica facta; **c**) ex aliis locis Scripturæ, in quibus pariter ut historica commemorantur facta in prioribus capitibus relata : ita sæpe laudatur opus creationis a Deo peractum [4], recensetur Adami formatio ejusque lapsus [5], etc.

2° Hæc autem narratio est simul *popularis*, *non scientifica.* Scopus enim auctoris sacri non est docere *scientias*

[1] Denz.-Bann., 704 (598).
[2] S. Thomas, 1ª p., q. 45, a. 6. Hinc dicitur apud *S. Joan.* v, 17 : " Pater meus usque modo operatur, et Ego operor ".
[3] *Commis. bibl.*, 30 jun. 1909, ad II.
[4] *Gen.*, XIV, 19; *Isa.*, XLII, 5; XLV, 18; *Prov.*, III, 19; VIII, 22; *Sap.*, IX, 9; *Ps.* XXXII, 9; CXLV, 5; *II Mac.*, VII, 28.
[5] *Sap.*, X, 1-2.

physicas, astronomiam, geologiam aut biologiam, etc., sed veritates necessarias ad salutem. Quare de origine et formatione mundi loquitur *populari modo :* a) non describit igitur *scientifico more* intimam adspectabilium rerum constitutionem, v. g., naturam luminis aut firmamenti seu cæli, strata geologica aut leges biologicas ; b) nec *ordinem creationis completum* enarrat, proindeque non recenset omnia entia aut phænomena, sed solum ea quæ populo magis nota sunt, ut longâ hujusmodi recensione vividius inculcare valeat omnia vere esse a Deo; c) nec semper sequitur ordinem *stricte chronologicum :* ita quando lux facta dicitur primâ die, luminaria autem quartâ die, inferri nequit ex solâ hujusmodi narratione lucem præcessisse ipsam formationem solis; d) aliquando adhibentur locutiones *metaphoricæ* aut *anthropomorphicæ*, ad modum *dialogi* ut res vividiori modo describantur, v. g., *dixit : fiat lux; et facta est lux;* quæ proinde non possunt litteraliter accipi[1].

597. **Corollarium.** Libere igitur discutiuntur systemata a catholicis excogitata de opere sex dierum, dummodo consentanea sint supradicto decreto. Hæc autem ad tria revocari possunt : *litterale*, *allegoricum*, et systema *periodistarum* seu *concordistarum.*

A) *Litterale* profitetur massam materialem primo fuisse creatam, ac deinde fuisse *formatam* juxta aliquos, vel *reformatam et restauratam*, juxta alios, in sex diebus quæ fuerunt 24 horarum. — Quæ ambæ theoriæ obsoletæ evaserunt ex certis factis Geologiæ et Palæontologiæ, ultima insuper ex meliori exegesi textûs sacri.

598. B) *Allegoricum* seu *idealisticum* systema duplex est : unum *Philonis*, *Scholæ Alexandrinæ* et *S. Augustini*, docens mundum integrum uno instanti creatum fuisse, Moysen vero sex dies distinguere ut ordinem logicum in suâ descriptione ponat ; — alterum modernorum nonnullorum, statuens vel, cum *Michelis*, *Faye*, *Hummelauer*, Moysen proponere logico ordine sex *visiones* propheticas quibus creatio revelata est; vel, cum *Clifford*, Cliftoniensi episcopo, mosaicam descrip-

[1] Jam *S. Thomas* animadverterat nihil certi circa modum et ordinem creationis ex Scripturâ erui posse, quia quæ hâc de re dicuntur, diversimode a Patribus exponuntur. Cfr. *In lib. II Sent.*, dist. XII, q. 1, a. 2; *Sum. th.*, I, q. 70, a. 1, ad 3; S. AUGUSTINUS, *de Genes. ad lit.*, II, q. 20, *P. L.*, XXXIV, 270; Encycl. *Providentissimus* Leonis XIII.

tionem non esse historicam narrationem, sed *carmen liturgicum* singulos hebdomadis dies singulis Creatoris operibus dedicans. — Hæc autem systemata, juxta decretum *Commissionis de re biblicâ*, sunt reformanda, ita ut admittatur in his visionibus vel carminibus inveniri *historicam* descriptionem operum Dei. Ceterum nil obstat quin logice distinguatur in narratione mosaicâ triplex opus, *creationis* scilicet, *distinctionis* et *ornatûs*, ut voluit *S. Thomas*[1].

599. C) Systema *concordistarum* seu *periodistarum* agnoscit sex dies significare sex periodos indeterminatæ durationis, ut genuina philologia permittit, et aliunde exigit palæontologia : sic enim, ut aiunt, cum narratione mosaicâ concordant phases geologicæ saltem quoad magna lineamenta. — Quam tamen concordiam etiam in hâc expositione servari multi diffitentur.

600. *Conclusio.* Nullum igitur systema omnino et undequaque perfectum esse videtur. Sed necesse non est *positivam concordiam* quærere inter narrationem mosaicam et scientias naturales, cùm aliunde non constet auctorem sacrum voluisse ordinem *stricte chronologicum* sequi. Caute ergo servet theologus sensum *historicum* et litteralem, ad normam *Commissionis biblicæ*, præ oculis habens hanc sapientissimam regulam *SS. Augustini et Thomæ :* " Respondeo dicendum quod, sicut Augustinus docet, in hujusmodi quæstionibus duo sunt observanda. Primum quidem, ut veritas Scripturæ inconcusse teneatur. Secundum, cùm Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita præcise inhæreat, ut si certâ ratione constiterit hoc esse falsum quod aliquis sensum Scripturæ esse credebat, id nihilominus asserere præsumat; ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi præcludatur[2] ".

§ II. De origine vitæ et transformismo.

601. **Status quæstionis.** Circa originem vitæ ac diversarum specierum viventium nostris diebus exortæ sunt theoriæ fere anteactis temporibus inauditæ.

Fautores *transformismi absoluti* dictitant primam causam non esse, materiam esse æternam, e cujus solis viribus spontaneâ generatione viventia enata sunt ut deinde

[1] *Sum. theol.* 1ª p., q. 65. — [2] 1ª p., q. 68, a. 1.

per successivam transmutationem in diversas species desinerent. Ita *Huxley*, *Darwin*.

Transformismus mitigatus, supremæ causæ existentiam agnoscens, tenet primum vivens vel prima viventia fuisse a Deo creata, imo vitam animalem non potuisse, sine Dei interventu, e vitâ vegetativâ per evolutionem procedere, Deumque intervenisse in efformatione corporis humani et diversificatione præcipuarum specierum.

602. Hæc autem evolutio specierum, juxta *Lamarck*, adscribitur adjunctis externis quæ indigentias quasdam (*des besoins*) excitant; a *Darwin* autem tum *luctæ pro existentiâ* in quâ superstites sunt ii qui ceteris vigore et perfectione præcellunt, tum *selectioni naturali* vi cujus ea animalia inter se copulantur quæ eisdem pollent differentiis. Juxta *Wallace*, perfectiora per *lentam* transmutationem ex imperfectioribus orta sunt; juxta *Mivart* et *H. de Vries*, species quædam, sine transitu et quasi *per saltum*, in species perfectiores fuerunt transmutatæ. Præterea hodie multi, ut *Schmitt* et *Waagen*, propugnant evolutionem *polyphyleticam*, quâ scilicet omnes plantæ omniaque animalia ex diversis speciebus a Deo creatis exorta sunt; dum alii admittunt evolutionem *monophyleticam* quâ omnia viventia ex unico principio (*monerâ*) procreata essent.

Notandum est non *eamdem speciei definitionem* a diversis auctoribus tradi, et sæpe *speciem* ab aliquibus nuncupari quæ *varietas* ab aliis vocatur.

Quid sit sentiendum de Transformismo absoluto et mitigato, in duplici thesi dicimus.

603. **Thesis I^a :** *Transformismus absolutus, omnem Dei interventum negans, non minus fidei quam rationi aperte contradicit.*

Etenim tale systema includit *materiæ æternitatem*, *spontaneam generationem* et *fortuitam specierum evolutionem;* atqui hæc tria repugnant. Primum satis constat ex Philosophiâ et ex dictis supra, *de Deo uno*, n. 430 sq.

1° *Spontanea* seu *æquivoca generatio*, quâ tenetur animalcula minima, ut infusoria, ex materiâ generari, sine ullo ovo et citra Dei interventum, tum Scripturæ, tum naturalibus scientiis repugnat :

A) *Scripturæ.* Sic enim refertur prima viventium origo : " Et ait (Deus) : germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum

juxta genus suum[1] "... Dubitatur quidem utrum Deus semina tantum vegetalium produxerit et terræ mandaverit, an plantas integras in sinu terræ creaverit, an demum *dederit terræ virtutem extraordinariam primas plantas e sinu suo absque semine educendi*, ex quibus deinde orirentur prima semina[2]. Quomodocumque vero hæc verba interpretamur, patet virtutem plantas producendi ab ipso Deo acceptam fuisse. Quod et de animalibus intelligi a fortiori debet.

B) *Experientiæ*; nam inductione universali et perpetuâ perspicuum est omne vivens ex alio vivo oriri : *omne vivum ex ovo.* Generationis spontaneæ defensores experimentis quidem probare conati sunt, nonnullas *infusoriorum* species ex certis quibusdam substantiis, sine ullo ovo aut germine, generari. Sed *Pasteur*, *Tyndall* aliique periti novis experimentis demonstrârunt a) in aere plurima esse suspensa ova et semina; b) nulla viventia generari ubi omnia ova et semina destructa sunt : ex quo sequitur animalcula quæ sæpe sæpius in aere dicuntur generata, non ex materiâ inorganicâ, sed ex ovis in aere existentibus, oriri[3].

604. 2° Repugnat etiam *fortuita specierum evolutio.*

A) *Scriptura* enim, post verba quæ retulimus, hæc addit : " Et protulit terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam[4]..."

Quæ verba satis clare innuunt plantarum propagationem fieri secundùm ideam et finalitatem præconceptam, non vero casuali et inconsulto modo.

B) Constat etiam *ratione :* inter species hodie existentes mirificus exstat ordo coordinationis et subordinationis : simi-

---

[1] *Gen.*, I, 11.

[2] Cf. CORLUY, *Spicileg. dogmatico-biblicum*, vol. I, p. 198. Ex quo sequitur generationem spontaneam, eo sensu acceptam quod Deus ipse materiæ dederit facultatem, in certis circumstantiis, viventia producendi, non esse fidei contrariam.

[3] Cf. PASTEUR, *Les corpuscules organisés qui existent dans l'atmosphère*, Paris, 1862; *Etudes sur la Bière*, Paris, 1876, c. 3, § 5. Hinc HUXLEY* ipse ait (*Origin of species*, lect. III) : " Experimenta Pasteur præ oculis habenti mihi affirmandum videtur ejus conclusiones esse admittendas, simulque concludendum doctrinam de generatione spontaneâ explosam esse ". — Idem demonstravit aliis experimentis J. TYNDALL*, *Essays on the Floating-Matter of the Air*, Appleton, 1892.

[4] *Genes.*, I, 11.

lis ordo præhistoricis temporibus viguit, ut ex fossilibus patet; item in quâlibet specie organa perfecte coordinantur, et pleraque saltem, si non omnia, ad determinatum finem adaptantur; atqui hæc omnia casui tribui nequeunt, sed causam intelligentem supponunt. — Hanc causam intelligentem magis exposcit evolutio ex uno vel paucis typis incœpta : ea enim supponit Auctorem naturæ prævidisse omnes mutationes, quæ sæculorum decursu occurrerunt, simulque primis viventibus, a se creatis, illas indidisse vires quæ, causarum naturalium ope, spectabilem hodiernarum specierum varietatem producere possent; quod sane maximam sapientiam ac potentiam arguit.

605. Thesis IIª : *Hypothesis quæ admittit quasdam species, sub influxu Dei et causarum secundarum, immutatas esse, fidei non adversatur.*

A) Verba Genesis quæ retulimus (n. 603) ostendunt quidem aliquam distinctionem esse inter species, voluntate divinâ causatam, sed non evidenter asserunt omnes species fuisse immediate a Deo creatas, ut fatentur optimi hodierni interpretes. Ait siquidem *Corluy* (l. cit., p. 198) : " Unde transformismus Darwinianus dicendus est sensui Scripturæ *obvio* contradicere; *non tamen aperte textui sacro adversari :* tacet enim Scriptura modum quo terra varietatem illam specierum produxerit, an statim, an decursu temporis, an cum specierum firmitate omnimodâ, an cum relativâ dumtaxat. Sed et de sensu disputari posset quem Scriptura hæc assignet nomini *min* (*genus*) ". Revera hoc verbum tunc temporis non habebat determinatam significationem quam diebus nostris, post multas scientificas investigationes, obtinuit.

B) Ceterùm quarumdam specierum ab aliis derivatio non impedit quin dicatur Deus has species creasse determinatâ die seu epochâ. Præsciebat enim ab æterno eas esse orituras[1]. Addi potest Deum non solum id præscivisse, sed dedisse speciebus a se creatis virtutem alias producendi, et ita has etiam mediate creavisse.

C) Aliunde Patres nonnulli, et Scholastici fere omnes, generationem spontaneam animalculorum admiserunt, et ut probabile saltem tenuerunt species quasdam viventium ex speciebus inferioribus originem duxisse. Ita *S. Augustinus* ait : " Terrestria similiter animalia (creavit), tanquam ex

[1] LAHOUSSE, S. J., *Psychologia,* n. 264 sq.

ultimo elemento mundi ultima : nihilominus *potentialiter*, quorum numeros tempus postea visibiliter explicaret[1] ". Nec aliter *S. Thomas*[2] : " Species etiam novæ, si quæ apparent, præexstiterunt in quibusdam activis virtutibus; sicut et animalia putrefactione generata producuntur ex virtutibus stellarum et elementorum... " Dici ergo nequit specierum aliquam transmutationem, vi legum a Deo conditarum effectam, evidenter Scripturæ adversari.

Possunt igitur naturalium disciplinarum cultores rem scientificis argumentis expendere, dummodo Ecclesiæ judicio obedire parati sint : veritas veritati adversari nequit.

ARTICULUS II. DE ANGELIS.

Dicemus : 1° de Angelis *in genere;* 2° de Angelis *custodibus;* 3° de Angelis *malis*.

§ I. De Angelis in genere.

Dicemus de eorum *notione*, *existentiâ*, *dotibus naturalibus*, *elevatione* ad gratiam et *lapsu*, necnon de eorum *ordinibus*.

I. *Angelorum definitio.*

606. Angelus definiri solet *substantia creata*, *mere spiritualis*, *intellectualis et subsistens.*

Dicitur substantia : **a**) *creata*, ut sic Angelus distinguatur a Deo, qui est ens a se; **b**) *mere spiritualis*, i. e., nullo modo ad informandum corpus ordinata, et ex hoc differt Angelus ab omnibus creaturis corporalibus; **c**) *intellectualis*, in quo differt ab hominibus qui plerasque veritates non intuitu intellectuali, sed ratiocinio acquirunt; **d**) *subsistens*, seu personalitate gaudens, et sic asseritur Angelum esse substantiam *completam*, quæ per seipsam suas operationes exercere valeat, et *sui juris*, quæ dominium habeat suarum actionum.

II. *Angelorum existentia.*

607. **Errores.** Olim negata est existentia Angelorum ab *Epicuræis* et *Sadducæis;* hodie negatur ab *Atheis*, *Rationalistis*, imo a *Protestantibus Liberalibus*, qui asserunt Ange-

---

[1] *De Genes. ad litt.*, lib. V, c. 5, n. 14; cf. c. 23, n. 45, etc., *P. L.*, XXXIV, 326, 338.

[2] *Sum. Theol.*, I, q. 73, a. 1, ad 3.

los, de quibus sermo fit in Scripturâ, esse vel bonas inspirationes a Deo missas, vel homines a Deo missos ad alios erudiendos.

Quidam antiqui Patres et theologi erraverunt circa *naturam* Angelorum, putantes eos uniri corporibus subtilibus; quâ in re decepti sunt vel a philosophiâ platonicâ, vel a quibusdam Scripturæ textibus[1] quos recte non intellexerunt.

608. **Thesis** : *De fide est existere Angelos, seu creaturas intellectuales a Deo distinctas et hominibus præstantiores; certum est Angelos esse mere spirituales.*

C. *Later. IV*[2] his verbis rem definivit : " Qui suâ omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem : angelicam videlicet et mundanam : ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam ". In hâc definitione, a concil. *Vaticano*[3] confirmatâ : **a**) aperte definitur existentia Angelorum; **b**) asseritur Angelos distingui tùm a creaturis corporalibus, tùm ab homine qui est simul corporalis et spiritualis; et exinde æquivalenter statuitur Angelorum spiritualitas : quæ tamen non fuit definita, quia Concilium nihil aliud expresse definire voluit quàm unitatem primi principii contra Manichæos; **c**) dicitur homines *post* Angelos creatos fuisse; **d**) num asseratur simultaneitas creationis mundi corporei et angelici, non patet, quia vocabulum *simul* potest æquivalere voci *æque*.

609. *Prob.* 1° **Scripturâ**. **A**) In *Veteri Testamento :*

a) *Ante exsilium*, memorantur Angeli vel nomine ipso angelorum[4] (ἄγγελος, mal'âk), vel nomine filiorum Dei[5], aut spirituum[6] : exhibentur ut præ multitudine innumerabiles[7]; a Deo creati[8]; hominibus superiores[9], spirituales[10], cælestes[11] et ad thronum Dei religiose adsistentes[12],

---

[1] *Genes.*, VI, 2.
[2] DENZ.-BANN., 428 (355). — [3] DENZ.-BANN., 1783 (1632).
[4] *Genes.*, XVI, 7, 9; XIX, 1, 15; XXI, 17; XXII, 11-15; XXIV, 7, 40, XXVIII, 12; XXXI, 11; XXXII, 1 XLVIII, 16.
[5] *Job*, I. 6; II, 1. — [6] *Ps.* CI, 6. — [7] *Genes.*, XXVIII, 12.
[8] *Genes.*, I, 1; *Exod.*, XX, 11.
[9] *Genes.*, XXI, 17; XXII, 11; XXIV, 7, 40; *Jud.*, VI, 12-21; *Ps.* VIII, 6.
[10] *Num.*, XXII, 31; *Jud.*, VI, 21; XIII, 16, 20.
[11] *Genes.*, XXI, 17; XXII, 11; *Job*, I, 6; II, 1.
[12] *Job*, I, 6; II, 1; *Isai*, VI, 3.

ut decreta Dei omnipotentis exsequentes [1], voluntatem Dei nuntiantes [2], hominibus auxiliantes [3].

b) *Post exsilium*, ex omnium confesso, testimonia de Angelorum existentiâ invenire est apud Danielem [4], II Esdr. [5], Tobiam [6], Zachar. [7], Machab. [8]

B) In *Novo Testamento* frequentius et apertius asseritur Angelorum existentia. Angelus apparet Zachariæ ad prædicendam nativitatem Joannis, et B. Virgini ad annuntiandum Incarnationis mysterium [9]; necnon Joseph [10] ut ipsum doceat miraculosam Christi conceptionem et mortem Herodis; Angeli apparent pastoribus dicentes : "Gloria in excelsis Deo [11]"; ministrant Christo, post ejus tentationem [12]. Multoties apparent ad nuntiandam Christi resurrectionem [13]. Præterea, teste Christo et Evangelio, sunt in cælo plus quàm duodecim legiones angelorum [14], angeli puerorum semper vident faciem Patris [15], angeli in die judicii separabunt malos de medio justorum [16], filii resurrectionis erunt æquales angelis [17].

In *Actibus Apostolorum*, videmus Angelum aperientem per noctem apostolis januas carceris [18], alterum loquentem ad diaconum Philippum [19], alium liberantem Petrum [20], alium percutientem Herodem [21], alium nocte astantem Paulo in mari periclitanti [22].

Plura de *ordinibus* et *officiis* Angelorum tradit *S. Paulus*. Diversi sunt Angelorum ordines, "sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates"; in Verbo, tanquam rerum omnium causâ ideali, exemplari, æternâ, creati sunt [23], — angeli sunt spiritus intellectu præditi, cùm cognoscant et adorent Deum; sunt longe inferiores Filio [24], quamvis summi

---

[1] *Genes.*, XVI, 7; XIX, 1; XXI, 17; XXII, 15; *Num.*, XXII, 22; *Jud.*, II, 1.

[2] *Genes.*, XXII, 15; *Num.*, XXII, 35; *Jud.*, VI, 12.

[3] *Genes.*, XXIV, 7, 40; *Exod.*, XXIII, 20; 23; XXXII, 34; XXXIII, 2; *Genes.*, XLVII, 16; *Judith.*, XIII, 20. Ex quibus satis apparet quàm falso aliqui *Rationalistæ* contenderint Judæos *in exsilio* a Persis mutuasse suam doctrinam de Angelis.

[4] III, 57, 58, 95; VI, 10; VIII, 13; X, 13, 21, 51; XIV, 33.

[5] IX, 6. — [6] III, 25; XII, XV, 19, 20; XIII. — [7] I, 9.

[8] I, VII, 41; II, 15, 23. — [9] *Luc.*, I, 11, 26 sq.

[10] *Matth.*, I, 20; II, 13, 19. — [11] *Luc.*, II, 13. — [12] *Matt.*, IV, 11.

[13] *Matth.*, XXVIII; *Marc.*, XVI; *Luc.*, XXIV; *Joan.*, XX, XXI.

[14] *Matth.*, XXVI, 53. — [15] *Matth.*, XVIII, 10.

[16] *Matth.*, XIII, 49; cf. *Matth.*, XIII, 41; XXIV, 31.

[17] *Luc.*, XX, 36. — [18] V, 19. — [19] VIII, 26. — [20] XII, 7-15.

[21] XII, 23. — [22] XXVII, 23. — [23] *Coloss.*, I, 16. — [24] *Heb.*, I, 4-7.

Regis ministri, quibus Deus opera sua perficienda committit præsertim in gratiam eorum qui salutem adepturi sunt [1]; — mali autem angeli hominum incredulorum mentem excæcant ut Evangelii lumen non perspiciant [2]; — et ad facilius decipiendos homines, Satanas, angelus tenebrarum et perversitatis, in angelum lucis et sanctitatis se quandoque transfigurat [3].

610. Angeli autem in Scripturis exhibentur ut: **a**) veræ *substantiæ*, non autem meræ abstractiones mentis; nam liberant Loth, eum manuducendo ex Sodoma [4], custodiunt homines [5], Deum adorant [6]; quidam ex ipsis peccant et in infernum detruduntur [7]; **b**) *Deo inferiores*, nàm ab ipso *creantur* et mittuntur tanquam *famuli* [8]; **c**) *hominibus præstantiores* [9]; **d**) *mere spirituales*, tum quia nusquam de eorum corpore loquitur Scriptura; asserit quidem Angelos apparuisse sub corporali specie, non autem eos esse corpori naturaliter seu personaliter unitos [10]; tum quia sæpe vocantur *spiritus*; atqui illa vox, quando de naturis intellectualibus prædicatur, prout sunt Angeli, designat semper substantiam omnino incorpoream, v. g. : " Spiritus est Deus [11] "; homines autem qui corpus habent, non vocantur spiritus nisi post mortem, quando jam a corpore separati sunt : " Existimabant se *spiritum* videre [12] ".

611. 2° Traditione. Usque ad VII^um^ sæculum, fere omnes Patres Angelos memorant, sed breviter; ac præterea de eorum natura sæpe hæsitando aut etiam erronea admittendo, quæ e libris apocryphis et neoplatonicis depromunt.

A) Angeli scilicet *a Deo* creati sunt, intellectu et libertate præditi, juxta omnes.

B) *Spiritualitas* autem absoluta Angelorum non clare asseritur a quibusdam Patribus, præsertim quia difficile concipie-

---

[1] *Heb.*, I, 14. — [2] *II Cor.*, IV, 4. — [3] *II Cor.*, XI, 14.
[4] *Gen.*, XIX, 16. — [5] *Ps.* XC, 11-12. — [6] *Hebr.*, I, 6.
[7] *II Petr.*, II, 4. — [8] *Heb.*, I, 14; *Col.*, I, 16.
[9] *Ps.* VIII, 6; *II Petr.*, II. 4.
[10] Ita *Raphael* angelus Tobiæ dicit (*Tob.*, XII, 19) : "*Videbar* quidem vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo invisibili, et potu qui ab hominibus videri non potest, utor"; ex quo inferre licet Angelos non vere uti cibo humano, nec habere corpus sibi naturaliter unitum, sed apparens. — Cf. dom Legeay, O. S. B., *L'Ange et les Théophanies d'après la doctrine des Pères*, in *Revue thomiste*, X, 138 sq., 405 sq.
[11] *Joan.*, IV, 24. — [12] *Luc.*, XXIV, 37-39.

bant aliquam creaturam esse realem quin simul adjunctum haberet corpus saltem tenue et æthereum. Ita *S. Justinus*[1], *Athenagoras*[2], *S. Irenæus*[3], *Tertullianus*[4], *Clemens Alex.*[5], *S. Cyprianus*[6], *Lactantius*[7], *S. Ambrosius*[8], corpus quoddam æthereum, lucidum, cæleste, spirituale Angelis attribuunt.

Post quartum sæculum, Patres Græci angelos profitentur incorporeos, immateriales, spirituales[9]. *S. Chrysostomus* absurdam et blasphematoriam vocat sententiam juxta quam Angeli habuerunt commercium carnale[10]. Attamen, ex diversis textibus apparet hanc spiritualitatem a Patribus Græcis reputatam esse tantum relativam[11]. *Pseudo-Dionysius* ipse supponit potius quam diserte affirmat spiritualitatem absolutam[12].

C) Post sæculum XII, communiter theologi docent angelos esse omnino incorporeos. Attamen, juxta Scotum, Angeli, etsi mere spirituales, componuntur ex formâ et materiâ incorporeâ, quatenus in eis invenitur aliquid potentiale (*materia*) et actuatio potentialitatis (*forma*).

612. 3° Ratione[13]. Sine angelis, series ascendens creaturarum appareret abrupta et quasi indigna sapientiâ et omnipotentiâ Creatoris. Videmus enim creaturas visibiles perfectione sensim increscere, a materiâ inorganicâ usque ad hominem, qui perfectioni graduum inferiorum additam habet *rationem*. Sed ratio est participatio valde deficiens luminis intellectualis, cùm paucissimas veritates simplici intuitu attingamus, plerasque vero laborioso conatu ratiocinii. Nonne ergo oportuit, ad complendum opus Dei, esse creaturas mere spirituales quæ veritatem universaliter simplici contemplatione perciperent?

---

[1] *Apol.*, II, 5, *P. G.* VI, 432. — [2] *Leg.*, 24, *P. L.*, VI, 984.
[3] *Hær.*, III, 20, 4, *P. G.*, VII, 944.
[4] *Idol.*, IX, *P. L.*, I, 671; *Cult. femin.*, I, 2, *P. L.*, I, 1305.
[5] *Ped.*, III, 2, *P. G.*, VIII, 576; *Strom.*, III, 7, *P. G.*, VIII, 1161; V, 1, *P. G.*, IX, 24.
[6] *De hab. Virg.*, 14, *P. L.*, IV, 857.
[7] *Div. inst.*, II, 15, *P. L.*, VI, 333.
[8] *De virgin.*, I, 8, *P. L.*, XVI, 203.
[9] Ita, v. gr., DIDYMUS, *de Spiritu Sancto*, I, 5, 6, *P. G.*, XXXIX, 1037; EUSEBIUS CÆSAR., *Dem. evang.*, IV, I, *P. G.*, XXII, 252; S. BASILIUS, *Hom. Quod Deus non sit auctor mali*, 9, *P. G.*, XXXI, 349. Cfr. TIXERONT, *Hist. des dogmes*, t. II, p. 33.
[10] *In Genes.*, homil. XXII, 2, *P. G.*, LIII, 187.
[11] Ita S. CYRILLUS HIEROSOL., *Catech.*, XVI, 16, *P. G.*, XXXIII, 939.
[12] *Cæl. Hier.*, XV, *P. G.*, III, 328-340.
[13] Cf. S. THOMAS, I, q. 50, a. 1; *C. Gent.*, II, c. 46.

III. *De dotibus angelorum naturalibus.*

613. 1° *Angeli intellectu gaudent proprie dicto*, quo scilicet sine discursu, mero intuitu, cognoscunt seipsos, Deum, alios angelos et homines, et futura necessaria. Naturaliter autem non cognoscunt cum certitudine futura libera vel secreta cordium.

2° *Consequenter angeli voluntate liberâ gaudent* : voluntas enim sequitur intellectum.

614. 3° *Angeli sunt in loco*, *non circumscriptive* ad modum corporum, sed *definitive*, ita ut toti sint in quâlibet parte loci quem occupant, sicut anima nostra tota est in quâlibet parte nostri corporis.

4° *Angeli naturaliter potentiâ præstant hominibus.* Quousque autem eorum virtus sese extendat nescimus; sed, cùm sint creaturæ, nil possunt agere contra Dei absolutam voluntatem.

IV. *De Angelorum gratiâ et lapsu.*

615. 1° *Angeli non fuerunt creati in supernaturali beatitudine seu beatificâ visione*, *sed quasi in viâ ad hunc terminum*, *ornati scilicet gratiâ sanctificante et donis supernaturalibus*[1]. Certum est.

A) *Prius* sic probatur : " De ratione beatitudinis est stabilitas, sive confirmatio in bono. Sed Angeli non statim ut creati sunt, fuerunt confirmati in bono; quod casus quorumdam ostendit[2] ". Quod quidem optime convenit, nam decet ut nemo, libero arbitrio gaudens, coronetur, nisi legitime certaverit[3].

B) *Posterius* constat : a) ex locis ubi Angeli dicuntur *filii Dei*[4], *sancti*[5], *angeli lucis*[6]; his enim prædicatis designatur status gratiæ sanctificantis; b) ex textibus ubi describuntur tanquam beatificâ visione fruentes : " Angeli enim eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est[7] "; nemo enim gloriâ frui potest, nisi prius ad statum supernaturalem per gratiam fuerit evectus.

616. Quo tempore vero gratiâ ornati fuerint, non potest cum certitudine determinari : " Quamvis super hoc sint diversæ opiniones, quibusdam dicentibus quod creati sunt

---

[1] *Catech. Rom.*, P. I, a. 1, n. 11. — [2] S. THOM., I, q. 62, a. 1.
[3] *II Tim.*, II, 5. — [4] *Job.*, XXXVIII, 7.
[5] *Dan.*, VIII, 13; *Marc.*, VIII, 38. — [6] *II Cor.*, XI, 14.
[7] *Matth.*, XVIII, 10; cf. *I Tim.*, V, 21; *Marc.*, XII, 25; *Luc.*, XX, 36; *Hebr.*, XII, 22.

Angeli in naturalibus tantum, aliis vero quod sunt creati in gratiâ : hoc tamen probabilius videtur tenendum, et magis dictis sanctorum consonum est quod fuerint creati in gratiâ gratum faciente [1] ".

617. 2° *Quidam Angeli propriâ culpâ peccaverunt, et suppliciis æternis fuerunt deputati* [2].

A) Prius sic a *C. Lateran. IV* declaratur : " Diabolus enim et alii dæmones a Deo quidem naturâ creati sunt boni, sed *ipsi per se facti sunt mali* [3] ". Quomodo autem Angeli, naturalibus donis et gratiâ eximie ornati, peccare potuerint, optime declarat *S. Thomas* [4] : " Peccare nihil aliud est quam declinare a rectitudine actûs, ita ut ille solus impeccabilis sit cujus regula est ipsa voluntas agentis... divina autem voluntas sola est regula sui actus, quia non ordinatur ad superiorem finem. Sic igitur in solâ voluntate divinâ peccatum esse non potest; in quâlibet autem voluntate creaturæ potest esse peccatum ".

618. Quærunt theologi *quale peccatum Angeli commiserint*. Communiter respondetur primum Angelorum peccatum fuisse *superbiam;* nam, teste Scripturâ, superbia initium est omnis peccati : " Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsâ enim initium sumpsit omnis perditio... quoniam initium omnis peccati est superbia [5] ". Etenim spiritualis natura non afficitur ad bona sensibilia quæ sunt corpori propria; ergo afficitur tantum ad spiritualia; proindeque diabolus peccavit inordinate spiritualia appetendo, seu superbiendo, nempe considerando, amando et volendo suam perfectionem quin consideraret, amaret et vellet normam supernaturalem juxta quam, ex voluntate positivâ Dei, hæc perfectio erat prosequenda [6].

619. Iterum inquirunt *in quo fuerit illud superbiæ* peccatum. Respondet *Angelicus Præceptor* diabolum peccavisse appetendo inordinate divinam similitudinem. Noluit quidem esse ut Deus per *æqualitatem*, quia hoc esse impossibile naturali cognitione scivit, sed per *similitudinem* [7], et quidem modo inordinato : vel " appetiit ut finem ultimum beatitudinis id ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire, avertens suum appetitum a beatitudine supernaturali, quæ est ex gratiâ Dei; vel, si appetiit ut ultimum finem illam Dei similitudi-

---

[1] S. THOM., I, q. 62, a. 3.
[2] Cf. F. NAU, *Démons*, in *Dict. Apolog.* (*A. d'Alès*), I, 917 sq.
[3] DENZ.-BANN., 428 (355). — [4] I, q. 63, a. 1.
[5] *Tob.*, IV, 14; *Eccli.*, X, 15. — [6] Cf. S. THOMAS, I, q. 63, a. 2 et 3.
[7] Scripturæ textus (*Isai.*, XIV, 13-14; *Ezech.*, XXVIII, 2) a multis theologis allati ad hoc probandum, sensu *litterali* non de diabolo, sed de regibus Babylonis et Tyri intelliguntur.

nem quæ datur ex gratiâ, voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, non ex divino auxilio secundum Dei dispositionem[1]".

Juxta *Suarez*[2], aliosque quos citat theologos, diabolus primum peccavit circa unionem hypostaticam, vel eam inordinate appetendo, vel Christo Domino ipsi revelato obedire denegando. Quod videtur gratuito affirmatum.

620. B) Post peccatum suum, mali angeli æternis suppliciis fuerunt deputati : " Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos[3]". Probabilius a Patribus et theologis docetur angelis lapsis pænitentiæ spatium datum non fuisse[4].

Imo ex angelorum intellectûs et voluntatis perfectione deducit S. Thomas eos non potuisse resipiscere. Omnia enim quæcumque cognoscunt angeli, proprie intelligunt seu intuitive et immobiliter apprehendunt sicut nos prima principia apprehendimus; voluntas vero sequitur intellectum, et ideo in angelis eligit *immobiliter*.

V. *De ordinibus Angelorum.*

621. Ingentem esse Angelorum multitudinem colligitur tum ex eo quod Scriptura eos sub figurâ exercitûs repræsentat[5], tum ex his aut similibus verbis : " Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei[6]". Angelos societatem perfectissime ordinatam constituere nulli dubium est, cùm ordo in omnibus rebus a Deo creatis inveniatur.

Quomodo Angeli ordinentur, non tam clare constat.

622. *Pseudo-Dionysius* (de Cælesti Hierarch.) docuit Angelos omnes in *tres hierarchias* distribui, quæ et ipsæ in *tres ordines* seu choros dividuntur, ita ut adsint *novem Angelorum chori;* quem secuti sunt Patres sequioris ævi, præsertim *S. Gregorius M.*[7] et Scholastici fere omnes, ita ut doctrina hæc communis evaserit. Rem sic declarat *S. Thomas*[8] : *prima* hierarchia inspicit ordinationes divinæ Providentiæ in ipso Deo, *secunda* vero in causis universalibus, *tertia* vero secundum determinationem ad speciales effectus.

Prima hierarchia, quæ *Deum contemplatur*, complectitur *Seraphim*, *Cherubim* et *Thronos* : *Seraphim* in hoc excellunt quod est omnium supremum, sc. Deo uniri per caritatem; *Cherubim* supereminenter divina secreta cognoscunt; *Throni*

---

[1] S. TH., I, q. 63, a. 3. — [2] *De Angelis*, l. VII, c. 13.
[3] *II Pet.*, II, 4; cf. *Jud.*, 6. — [4] S. THOMAS, I, q. 74, a. 2.
[5] *III Reg.*, XXII, 19; *Matth.*, XXVI, 53, *Luc*, II, 13.
[6] *Dan.*, VII, 10. — [7] *Homil. 34 in Evang.* — [8] I, q. 108, a. 9.

autem elevantur ad hoc quod Deum familiariter in seipsis recipiant.

Secunda hierarchia, quæ in *gubernatione mundi* occupatur, tribus pariter ordinibus consistit : *Dominationes* ea determinant quæ agenda sunt; *Virtutes* præbent facultatem ad implendum; *Potestates* ordinant media quibus præcepta impleri possint.

Tertia hierarchia in *exsecutione divinorum consiliorum* versatur. In exsecutione autem cujuslibet actûs, sunt quidam quasi incipientes actionem et alios ducentes, et hoc pertinet ad *Principatus;* alii vero sunt qui simpliciter exsequuntur, et hoc pertinet ad *Angelos;* alii vero medio modo se habent, quod ad *Archangelos* pertinet.

§ II. De Angelis custodibus.

Angeli boni Deo assistunt in gubernatione mundi et hominum custodiâ; dicemus igitur de Angelorum custodum *existentiâ*, de eorum erga nos *obsequiis*, necnon de *officiis* quæ erga eos adimplere tenemur.

I. *Existentia Angelorum custodum.*

1° QUOAD SINGULOS HOMINES.

623. **Thesis** : *Sancti Angeli deputantur in custodiam hominum viatorum* (id est in terrâ viventium). *Certum est*, imo juxta multos, *de fide*, propter institutionem festi Angelorum custodum et consensum Ecclesiæ universalem. Hic tamen non asseritur cuique homini suum esse angelum custodem (de quo infra), sed Deum aliquot saltem hominibus præponere angelos custodes.

1° *Scriptura* aperte docet Angelos bonos esse ministros Dei quoad salutem hominum, quin tamen asserat cuique homini suum esse angelum custodem. **a**) In *Psalmis*[1] dicitur : " Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis "; atqui hæc verba referuntur ad omnes justos qui confidunt in Deum, ut patet ex initio Psalmi et communi Patrum interpretatione.

b) *Christus* ipse monet pueros minime scandalizandos esse, quia " Angeli eorum (id est qui vigilant super eos) semper vident faciem Patris[2] ".

---

[1] *Ps.* XC, 11-12. — [2] *Matt.*, XXVIII, 20; Cf. *Hebr.*, I, 14.

2° Omnia testimonia *Traditionis* quasi contrahuntur et confirmantur facto institutionis *Festi SS. Angelorum Custodum*, et imprimis oratione officii : " Deus qui ineffabili providentiâ Sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris ".

3° *Ratione thesis confirmatur.* Deus inferiora per superiora gubernare solet; atqui Angeli sunt hominibus superiores; ergo Deus gubernat et protegit homines per Angelos[1].

624. **Corollarium** : Quoad *numerum* Angelorum custodum, hæc statuenda sunt : **a**) Certum est *singulos fideles justos* habere suum proprium Angelum custodem. Illud innuitur in textibus Scripturæ allatis et constat præsertim ex unanimi Patrum consensu, et communi fidelium sensu. Unus audiatur *S. Basilius*[2] : " quod singulis fidelium adsit Angelus nemo contradicet"; ac proinde illud negari nequit absque temeritate.

b) Communiter idem asseritur pro *peccatoribus* et pro *infidelibus;* nam Christus mortuus est pro omnibus, etiam infidelibus, et omnibus meruit media ad salutem; atqui unum ex his mediis, in præsenti dispensatione, est angelica custodia.

2° QUOAD COMMUNITATES.

625. **A**) Valde probabiliter tenent Doctores adesse specialem Angelum custodem pro *Ecclesiâ*, scilicet S. Michaelem. **a**) Revera ex Scripturâ videtur S. Michaelem fuisse olim præpositum Synagogæ[3]; atqui Ecclesia Synagogæ successit. **b**) Verba, quæ recitantur in officio S. Michaelis, saltem insinuant hunc Archangelum specialem esse protectorem Ecclesiæ.

B) Satis probabiliter etiam asseritur singulis *regnis* et nationibus, imo et *communitatibus* alicujus momenti, v. g., ecclesiis particularibus, religiosis communitatibus, præpositos esse speciales Angelos custodes. Innuitur enim in diversis Scripturæ locis[4].

II. *Angelorum custodum erga homines obsequia.*

626. 1° *Quoad corpus.* **a**) Angelus custos a nobis avertit damna exteriora, aut ab eis nos eripit : " Angelus

---

[1] Cf. S. TH., I, q. 113, a. 1, 2; *C. Gent.*, III, c. 78, 79; *Catech. roman.*, p. IV, c. 9, n. 4 sq.
[2] *Cont. Eunom.*, III, 1. — [3] *Dan.*, X, 21; XII, 1.
[4] *Exod.*, XXIII, 20; *Deut.*, XXXII, 8; *Dan.*, X, 13; *Zach.*, I, 12; *Act.*, XVI, 9.

qui eripuit me de cunctis malis[1] "; **b**) nos etiam juvat in negotiis sæcularibus, ut apparet exemplo Tobiæ[2].

2° *Quoad animam*: **a**) arcent dæmones[3]; **b**) sanctas cogitationes suggerunt[4]; **c**) offerunt Deo nostras orationes aut nostra bona opera et sic eis majorem efficaciam conferunt[5]; **d**) medicinales pœnas quandoque infligunt[6] : pœnæ autem vindicativæ generatim per malos angelos infliguntur; **e**) tandem, in ipso articulo mortis, specialiter nos adjuvant contra ultimas tentationes, et animas nostras ad cælum vel ad purgatorium ducunt[7].

III. *Officia nostra erga Angelum custodem.*

627. A *S. Bernardo* his verbis proponuntur : " Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! Reverentiam pro præsentiâ, devotionem pro benevolentiâ, fiduciam pro custodiâ[8] ".

§ III. De Angelis malis.

Angeli mali[9] seu Dæmones hominem impugnant dupliciter : 1° modo ordinario per tentationem; 2° extraordinario per possessionem et magiam; de quibus seorsim dicemus.

I. *De tentatione diabolicâ.*

628. 1° **Thesis** : *Sæpe sæpius dæmones hominem ad peccatum incitant, seu tentant.* Certum est.

---

[1] *Gen.*, XLVIII, 16; *Ps.* XC, 11; cf. *Tob.*, VI, 8, etc.

[2] *Tob.*, XII, 3 etc. — Integer *Tobiæ* liber legendus est ut in eo graphica inveniatur descriptio eorum quæ nobis divina Providentia præstat mediante angelorum ministerio.

[3] *Tob.*, VIII, 3. — [4] *Tob.*, VI, 16. — [5] *Tob.*, XII, 12.

[6] *II Reg.*, XXIV, 16.

[7] *Luc.*, XVI, 22. Cf. J. H. NEWMAN, *Dream of Gerontius*, ubi non minus theologice quam poetice describitur luctamen animæ christianæ cum diabolo ante mortem.

[8] *Sermo 12* in Ps. 90, n. 6.

[9] Angeli mali varia sortiti sunt nomina; vocantur *dæmonia* vel *dæmones* (*Deut.*, XXXII, 17; *Luc.*, VIII, 3; *Matt.*, VIII, 31); *spiritus nequam* (*Luc.*, XI, 26; *Act.*, XIX, 12); *spiritus immundi* (*Luc.*, VIII, 29); *mundi rectores tenebrarum harum, spiritualia nequitiæ* (*Ephes.*, VI, 12). Unus ex illis tanquam eorum dux habetur, vocaturque *princeps hujus mundi* (*Joan.*, XII, 31; XIV, 30); *princeps dæmoniorum* (*Matt.*, IX, 34); *Satanas* (*Luc.*, XI, 18); *diabolus* (*Matt.*, XIII, 39); *deus hujus sæculi* (*II Cor.*, IV, 4); *draco magnus, serpens antiquus* (*Apoc.*, XII, 9).

A) *Script.* a) In *Vet. Test* videmus protoparentes ad peccandum a diabolo induci[1], et pium Job variis modis pariter ab eo tentari. b) In *Nov. Test.* diabolus impugnat ipsum Christum[2], Judam proditorem ad magistrum tradendum incitat[3], et Ananiam ut mentiatur Spiritui S.[4] Insuper modo generali S. Petrus et S. Paulus nos admonent ut a diabolicâ tentatione caveamus : " Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret... Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ[5]... "

B) *Ratione* suadetur. a) *Ex parte Dei :* nam diabolica tentatio necessitatem gratiæ manifestat; et aliunde Deus, succurrendo homini tentato, nobis ostendit quomodo sciat ex malo majus bonum elicere. b) *Ex parte hominis :* nam per hujusmodi tentationes, ejus *virtus* exercetur et roboratur; melius sentit propriam infirmitatem et ita ad veram *humilitatem* excitatur; tandem, resistendo tentationi, *pœnitentiam* agit pro peccatis præteritis.

629. 2° **Modus quo fit tentatio diabolica**[6].

A) Diabolus non potest agere directe in intellectum et voluntatem; nam intellectus et voluntas sunt facultates mere spirituales et sui juris, ita ut a Deo solo dependeant et agantur.

B) Sed potest agere in *memoriam sensibilem*, *imaginationem* et *appetitum sensitivum;* nam hæ facultates sunt *organicæ* et *corporeæ*, et natura corporea obedit angelis. Attamen, in his omnibus casibus, homo servat suam libertatem, et potest, cum gratiâ Dei, tentationem superare : " Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum[7] ".

II. *De obsessione et possessione diabolicâ.*

630. 1° Notio. A) Obsessio est actio dæmonis, qui *ab extra* veluti obsidet hominis corpus, diversis molestiis

---

[1] *Gen.*, III, 1-6. Cf. F. NAU, *Dict. Apol.*, t. I, p. 917 sq.
[2] *Matt.*, IV, 3-10. — [3] *Joan.*, XIII, 2, 27. — [4] *Act.*, V, 3.
[5] *I Petr.*, V, 8-9; *Ephes.*, VI, 12; cf *Luc.*, XXII, 31; VIII, 12.
[6] Cf. *Catech. Trident.*, p. IV, sexta petit., n. 5; SCHRAM, *Instit. theol. myst.*, § CXIV sq.; S. BONAVENT, in *2 Sent.*, dist. 8, p. 2, a. 1.
[7] *I Cor.*, X, 13.

illud afficiendo, simulque animam gravibus tentationibus vexando, ut refertur, v. g., in historiâ S. Antonii.

B) Possessio est actio dæmonis, qui corpus hominis *intrat*, in eo habitat, ibique operatur, sensibus et membris utendo, insolitosque actus producendo.

Signa diabolicæ possessionis, juxta *Rituale* Romanum, sunt "ignotâ linguâ loqui pluribus verbis vel loquentem intelligere, distantia et occulta patefacere, vires supra ætatis seu conditionis naturam ostendere et alia id genus quæ, cum plurima occurrunt, majora sunt indicia". Sed simul *Rituale* exorcistam monet "ne facile credat aliquem a dæmonio obsessum esse, sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis qui vel atrâ bile, vel morbo aliquo laborant".

631. 2° **Thesis** : *Possessiones dæmoniacæ admittendæ sunt, non tantum ante, sed etiam post Christum.* Certum.

A) *Scripturâ.* **a**) Sæpe enim fit mentio in Evangelio obsessorum a dæmone, ut ab ægrotis distinctorum : "Obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant[1]".

b) Insuper Christus alloquitur dæmones eos increpans, vetansque ne loquantur, aut eis præcipiens ut exeant : "Dæmonia multa ejiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum... Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, et amplius ne introeas in eum[2]".

c) Tandem Christus Apostolis tradit potestatem dæmones ejiciendi, ut distinctam a potestate morbos curandi[3]. Atqui si dæmoniacæ possessiones nihil aliud sunt nisi morbi naturales, Christus Judæos et Apostolos suâ agendi ratione suisque verbis decepit; quod quidem repugnat.

B) *Traditione.* Innumeris Patrum testimoniis constat veras fuisse dæmonum possessiones in primis sæculis, christianosque potestatem habuisse spiritus immundos expellendi. Idem confirmatur ex *praxi Ecclesiæ*, quæ specialem ordinem *Exorcistarum* instituit ad dæmones abigendos, et in *Rituali* preces speciales habet ad liberandos obsessos a diabolo; necnon ex *historiâ*, quæ plures

---

[1] *Matt.*, IV, 24; VIII, 16. — [2] *Marc.*, I, 34; IX, 24; *Luc.*, VIII, 30
[4] *Matth.*, X, 1; *Marc.*, XVI, 17.

possessionis casus refert, de quorum veritate dubitare difficile est[1].

C) *Ratione* ostendi potest diabolicæ possessionis possibilitas, positâ dæmonum existentiâ. Cùm enim diabolus magnâ sagacitate et potestate polleat, certe multo plura stupenda producere potest quam hypnotismi cultores; atqui isti personam magnetizatam ita regere possunt, ut vires ejus physicas et psychicas pro libitu dirigant, etiam contra ipsius inclinationem; ergo idem a fortiori valet diabolus.

Si inquiritur autem cur Deus possessionem permittat, respondet *S. Bonaventura*[2] : " Permittit autem hoc Dominus sive ad gloriæ suæ ostensionem (*Joan.*, IX, 3), sive ad peccati punitionem, sive ad peccantis correptionem (*I Cor.*, V, 3), sive ad nostram eruditionem ".

632. 3° **Remedia,** quæ adhiberi solent ad dæmones arcendos sunt : **a)** conscientiæ purgatio per confessionem sacramentalem; **b)** usus Eucharistiæ; **c)** oratio cum jejunio; **d)** Sacramentalium usus, præsertim aquæ benedictæ; **e)** tandem exorcismi, qui tamen caute adhibendi sunt, nec sine licentiâ Episcopi, si publice et solemniter fiant.

III. *De magiâ, magnetismo, spiritismo et hypnotismo.*

633. Notiones. 1° *Magia* in genere est *potestas mira et insolita patrandi.* Duplex distinguitur : *naturalis*, quâ mira efficiuntur per occultas naturæ vires[3], vel dexteritatis ope; *diabolica*, seu *nigra*, quâ prodigia producuntur dæmonis ope.

Hujusmodi autem prodigia naturæ et hominis vires etiam occultas exsuperantia commemorantur : **a)** in *Scripturâ :* " Vocavit autem Pharao sapientes et maleficos, et fecerunt etiam ipsi per incantationes ægyptiacas et arcana quædam

[1] Cf. RIBET, *La Mystique divine*, p. 198 sq.; LERICHE, *Etude sur les Possessions en général et sur celle de Loudun en particulier*, Paris. 1859; J. SEGAUD, *Une manifestation diabolique* (thèse), Lyon, 1899.

[2] *In 2 Sent.*, dist. 8, p. 2, a. 1, q. 1.

[3] Nonnulli scientiarum cultôres in suspicionem commercii cum diabolo venerunt, quia ex diligenti virium naturalium investigatione quædam facere potuerunt, quæ a communi plebe tanquam prodigia existimabantur.

similiter[1]"; item, in N. T., agitur de operibus magicis a Simone, Elyma et puellâ pythonissâ patratis[2]; et a Christo Pauloque prænuntiatur signa magna et prodigia futura esse tempore Antichristi, "ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi[3]"; b) apud *Scriptores ecclesiasticos :* licet quædam fabulosa sint, non pauca tamen fidem sibi commendant, propter doctrinam et pietatem testium.

634. 2° Nostrâ ætate, sub nomine *magnetismi*, *spiritismi*, et *hypnotismi*, multa publici juris facta sunt phænomena, de quibus inquiri potest utrum sint diabolica necne.

A) *Magnetismi animalis* inventor agnoscitur *Antonius Mesmer*, Vindobonensis medicus, qui circa finem sæc. XVIII, putavit se mirum invenisse medium in fluido quodam subtilissimo, quod supponitur ex animalium corporibus manare, imo omnia prorsus corpora pervadere.

Tria sunt præsertim phænomena magnetismo adscripta : a) *convulsiones;* b) status *paralysis* et *catalepsis*, in quo membra rigida sunt et sensibilitas evanescit; c) *somnus* magneticus, in quo magnetizatus, licet sensuum usu destitutus, videt tamen, audit et loquitur, imo mira cognoscit quæ antea ipsi ignota erant, actionesque perspicit quæ occulte vel procul peraguntur.

635. B) *Spiritismus* modernus ortum habuit in Statibus Fœderatis Americæ, sed mox in totâ Europâ percrebuit, et annis 1852-1854 communis factus est. Diversæ autem fuerunt spiritismi formæ : aliquando enim spiritus responsa edebant mediantibus mensis rotantibus, aut per *medium* seu personam intermediam; nonnunquam autem directa fiebat spirituum evocatio et apparitio. Attamen minime dubitandum est plurimas fraudes in his omnibus intervenisse, ita ut difficile sit sæpe verum a falso secernere.

Inter phænomena quæ *scientifice* perpensa fuerunt, et a fraudibus immunia esse existimantur, hæc præsertim recenseri possunt :

Phænomena physica : a) *strepitus* tabulæ, cujus pes se erigens et postea declinans, terram percutit et ita responsa profert; b) objecta parietibus affixa decidunt et confuse moventur; c) scamnum in quo *medium* sedet, in aera levatur : quod *levitatio* vocatur; d) flammæ apparent; e) apparent manus humanæ, pedes, caput, integrum corpus humanum quod ambulat et loquitur.

Phænomena intellectualia : a) manifestantur facta distantia, deteguntur objecta amissa aut in occulto loco posita;

[1] *Exod.*, VII, 11. — [2] *Act.*, VIII, 9, 11; XIII, 8; XVI, 16.
[3] *Matth*, XXIV, 24; *II Thess.*, II, 9.

b) dantur responsa pia, hæretica, obscæna pro mente, ingenio et dispositionibus adstantium; c) revelatur præsentia spiritûs nequam et res sacras horrentis, ut constat ex *convulsionibus* tabulæ quando ei imponuntur rosaria benedicta [1].

636. C) *Hypnotismi* phænomena triplicis distinguuntur generis : a) *somatica* seu *corporalia*, quæ sunt catalepsis, lethargia et somnambulismus; b) *intellectualia* quorum præcipuum est *mentalis suggestio* quæ fit præsertim in statu somnambulismi : videlicet hypnotizatus ea omnia audit et exsequitur quæ ab hypnotizante suggeruntur et imperantur; v. g., objectum vere in cubiculo præsens videt vel non, *ad nutum* hypnotizantis; si hic jusserit ut furtum committatur, primum quidem resistit hypnotizatus, sed plerumque victus a potentiori voluntate, furtum patratur; imo suggestiones post hebdomadem vel mensem exsequendas, fideliter adimplet præfixo tempore; c) *mixta*, quæ in corpore, mediante imaginatione, producuntur, ut sudor sanguineus.

Quid de his phænomenis sentiendum sit declarabit sequens *thesis :*

637. **Thesis** : *Phænomena magnetismi, spiritismi vel hypnotismi quibus occulta, remota ac futura deteguntur, diabolica sunt; cetera vero leges naturales transcendere non videntur.*

Probatur : A) *Auctoritate.* Thesis enim nostra clare deduci videtur ex variis *S. Officii* responsis de magnetismo. Siquidem die 23 jun. 1840, *S. Officium* ad quæstionem : Utrum magnetismus, generatim acceptus et in se, censeri debeat licitus aut illicitus, respondit : " Remoto omni errore, sortilegio, explicitâ aut implicitâ dæmonis invocatione, usus magnetismi, nempe, merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum, et mediorum pure physicorum ad res et *effectus vere supernaturales*, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et hæreticalis ". Quæ decisio 28 jul 1847 renovata fuit.

Quinam vero sint illi effectus supernaturales, declaratur in Epistolâ *S. Officii*, feriâ 4ª, die 30 jul. 1856 editâ et ad omnes

---

[1] Quæ ab *oculatis* testibus fide dignis relata sunt, ut a D.D. Godf. Brossais Saint-Marc, *Rapport épiscopal sur les tables tournantes et parlantes*, 6 jul. 1853, ex archiviis *Cancellariæ Rhedonensis*.

Episcopos missâ : "Quanquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo aut illicitudo in usu aut abusu magnetismi, tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiæ, potius curiosa sectantes magnâ cum animarum jacturâ, ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi, divinandique principium quoddam se nactos glorientur. Hinc *somnambulismi* et *claræ visionis*, uti vocant, *præstigiis* mulierculæ, gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se *invisibilia* quæque *conspicere* effutiunt, ac de ipsâ religione sermones instituere, *animas mortuorum evocare*, responsa accipere, *ignota* ac *longinqua detegere*, aliaque id genus *superstitiosa* exercere ausu *temerario* præsumunt. In hisce omnibus, quâcumque demum utantur arte vel illusione, *cùm ordinentur media physica* ad effectus *non naturales*, reperitur *deceptio* omnino *illicita* et *hæreticalis*, et *scandalum* contra honestatem morum [1]".

De aliis vero phænomenis prudenter tacuit S. Congregatio, quia videlicet, licet nonnulla mira esse videantur, non evidenter tamen constat ea leges naturales, adhuc parum notas, prætergredi.

638. B) *Ratione.* a) *Prima pars* sic probatur : Facultates nostræ, etiam superexcitatæ, non possunt, contra leges naturæ, videre secreta cordium, aut futura, quæ soli Deo nota sunt. Aliunde, fluidum magneticum, utpote materiale, si ejus existentia admittitur, nequiret immediate afficere nostrum intellectum qui est immaterialis, nec mediantibus sensibus qui nihil intellectui nuntiare possunt præter sua sensibilia. Ad superiorem igitur causam recurrere necesse est. Quæ causa neque Deus neque bonus Angelus esse potest, nam in usu magnetismi vel hypnotismi quatenus ad *occultorum* detectionem adhibetur, tot sunt nugatoria, indecora, inhonesta ut Deum ejusque Angelos prorsus dedeceant. Remanet igitur ut causa illa sit ipse diabolus.

b) *Secunda pars* etiam constat : "Nam, ut recte ait *Lehmkuhl* [2], plane insolita accidere posse in homine nervorum et cerebri alteratione atque omnino naturali modo, certissimum est; imo hallucinationes stupendas aliquando naturali omnino modo fieri constat. Sive autem putas quemlibet hominem facili ratione in ejusmodi statum se

[1] Cf. *Acta S. Sedis*, vol. I p. 177.
[2] *Theol. mor.*, n. 501 (994, not. 1).

inducere posse, sive potius morbidam quamdam nervorum affectionem requiri : semper habes naturalem agendi modum ".

Sane principium generale est nihil supernaturale habendum esse nisi quod aliter explicari nequeat. Atqui : 1) phænomena, sive mechanica, sive physiologica, quæ supra descripta sunt, ut convulsiones, lethargia, catalepsis, imo sudor sanguineus, plerumque explicari possunt per nervorum excitationem et imaginationis influxum in sensus et ipsum corpus; hic enim influxus, etiam tempore vigiliæ, adeo vehemens est ut ad morbum causandum haud raro plane sufficiat[1]. 2) Suggestio ipsa nihil miraculosi præ se fert, cùm sit aliquo modo similis iis quæ in statu naturalis somnii occurrunt; siquidem sæpe sæpius dormientibus contingit ut imaginarias rerum similitudines, quæ in eorum phantasiâ repræsentantur, tanquam *reales* habeant, variosque actus sub influxu horum phantasmatum perficiant[2]. Jamvero hypnotizatus, suggerente hypnotizante, in phantasiâ suâ vivide percipit similitudines rerum quæ describuntur, easque tanquam reales existimans, eodem modo agit ac si res ipsas vere perciperet. 3) Auctoritas autem quam hypnotizans in hypnotizatum exercet, explicatur tum per consensum initio ab hypnotizato datum, quo propriam voluntatem veluti abdicat, tum per influxum quem hypnotizans directe in sensus ac nervos, *indirecte* in voluntatem subjecti obtinet[3]; **d**) nec absolute repugnat *suggestio in distans tempus*, dummodo in memoriam hypnotizati uno vel altero medio revocetur; ejus enim efficacia virtualiter perseverare potest. **e**) Aliunde phænomena, quæ modo fere constanti scientificis experimentis producuntur, in quibus agentes neque explicite neque implicite pactum cum diabolo pepigerunt, non facile dæmonibus tribuenda sunt; atqui pleraque hujusmodi phænomena ita obtineri testantur testes fide digni, medici, catholici scriptores, imo sacerdotes qui rem penitus investigârunt[4].

Nonnulli quidem ex eo quod quædam magnetismi facta sint diabolo tribuenda, arguunt omnia ab eo causari[5]. Quod tamen argumentum manifesto vitio laborat.

---

[1] Quod jam notaverat S. THOMAS, *C. Gent.*, lib. III, c. 99. Cf. COCONNIER, O. P., *L'hypnotisme franc.*

[2] Contingit etiam ut homo dormiens et somnians colloquium ineat cum altero vigile, dummodo hic filum somnii non abrumpat.

[3] Cf. COCONNIER, *op. cit.*, p. 347 sq.

[4] *Revue thomiste*, 1895, p. 413 sq., 577 sq., 693 sq.

[5] Cf. COCONNIER, *op. cit.*

ARTICULUS III. DE HOMINE.[1]

Nunc de homine disputare licet, nempe de ejus *origine*, *elevatione* et *lapsu*.

§ I. De Hominis origine.

Circa originem hominis, quatuor breviter exponemus : 1° protoparentum *creationem;* 2° humani generis *unitatem;* 3° *naturam* hominis; 4° *ortum* singulorum hominum.

I. *De protoparentum creatione.*

639. **Errores.** Prætermissis antiquis erroribus, pauca de *transformistarum* theoriis attingere debemus.

a) Qui *materialistæ* et *positivistæ* vocantur, contendunt tum corpus tum animam hominis, per naturales evolutionis leges, absque ullo Primæ Causæ interventu, originem ducere a bruto : ita, v. g., *Darwin*, *Spencer*, *Haeckel*, *Vogt*. Talis error evidenter mosaicæ narrationi opponitur, et jam supra, n. 602, confutatus est. **b**) *Spiritualistæ* vero seu *mitigati* tenent corpus hominis progressivâ evolutione alicujus speciei animalis paulatim formatum esse, et, quando aptum fuit ad altiorem vitam, directe a Deo animam rationalem accepisse : ita *Mivart*, paucique alii. — Contra quos statuitur :

640. **Thesis** : *Protoparentes fuerunt a Deo creati tum quoad corpus tum quoad animam : communis et vera sententia est etiam corpus hominis fuisse a Deo immediate formatum.*

Hominem fuisse a Deo creatum, saltem *mediate*, jam probatum est supra, ubi de creatione mundi, et insuper tam clare declaratur in Scripturâ ut a nullo christiano negari possit; siquidem legitur in *Genesi*[2] : " Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos ".

Sed insuper communiter tenetur Deum *immediate* formavisse corpus Adæ ex limo terræ, ejusque animam *creavisse* quasi spiraculum vitæ

[1] Præter opera in *Syn. maj.* allegata, cf. A. d'ALÈS, *Dict. Apolog.*, t. II, 437-514.
[2] *Gen.*, I, 27.

1° *Scriptura* enim ita describit formationem corporis protoparentum : " Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ " ... " Tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro eâ. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem[1] ". Porro sensus *obvius* est corpus Adami immediate ex limo terræ, id est, ex materiâ inorganicâ, non autem ex corpore alicujus bruti, formatum fuisse, et corpus Evæ ex Adami costâ.

Nam **a**) textus hebraicus idem sonat ac : Deus formavit hominem pulverem de terrâ, seu Deus dedit pulveri formam hominis; porro hoc ægre intelligi potest de formatione mediatâ, vi cujus Deus, successu temporum, pulverem in varia corpora, postea in corpus animale, et tandem in corpus hominis transmutâsset. **b**) Præterea quando ibidem legitur " inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ ", hæc verba de actione Dei immediatâ intelliguntur; ergo a pari, vi parallelismi, prior versiculi pars eodem modo intelligi debet. **c**) Iterum constat Evam fuisse immediate a Deo formatam quoad corpus, non autem ex bruto; atqui sicut ipsa dicitur *de viro sumpta*, ita Adamus dicitur *de limo terræ* formatus; ergo et ipse fuit immediate a Deo formatus.

641. 2° Accedit *Patrum* et *theologorum* interpretatio fere unanimis, exceptis *Origene*, *Cajetano* paucisque aliis. Sic *S. Irenæus* dicit[2] : " Sumpsit Deus *limum de terrâ*, et formavit hominem ".

642. 3° *Ratio* id confirmat. Ubi enim sunt *essentiales* differentiæ inter duo entia, ibi admitti nequit origo a communi parente. Atqui inter hominem et simium, qui homini vicinior esse videtur, essentiales sunt differentiæ sive quoad *corpus* sive quoad *animam*.

A) Siquidem quoad *corpus*, **a**) simii sunt *scandentes* (*grimpeurs*, *climbers*) et quatuor manibus præditi (*quadrumanes*) dum homines sunt *incedentes* seu *ambulantes* (*marcheurs*, *walkers*) et duabus tantum manibus præditi (*bimanes*); **b**) homo et simius evolvuntur diverso, imo contrario ordine :

---

[1] *Gen.*, II, 7, 21-22. — Hic notandum est, ex decreto *Commis. bibl.*, 30 jun. 1909, sensum litteralem historicum trium priorum capitum Geneseos non posse in dubium vocari, speciatim ubi agitur de *peculiari creatione hominis* et de *formatione primæ mulieris* ex primo homine.

[2] *Adv. Hæres.*, lib. V, c. 3, n. 2, *P. G.*, VII, 1129. Cf. JOURNEL, n. 225 *Indicis theol.*

sic angulus *sphenoidalis* post nativitatem minuitur in homine, dum augetur in simio; item illa lineamenta cerebri quæ in homine prima habentur, in simio ultima apparent; c) adsunt pariter differentiæ inter anatomicam structuram simii et hominis, ita ut plerique transformistæ hodie agnoscant hominem non a simio, sed a remoto communi parente descendere; quisnam autem sit communis parens, dicere nequeunt, cùm hic parens in stratis geologicis minime inventus fuerit; d) tandem homo *facultate loquendi*, seu exterius clare et distincte ideas et sensationes exprimendi gaudet, dum simius eâ caret.

B) *Præcipua* tamen differentia inter brutum et hominem in eo sita est quod hic *ratione* gaudet, illud autem eâ caret. Siquidem, teste intimo sensu, cognoscimus *inextensa* et *universalia*, notiones substantiæ et accidentis, causæ et effectûs, boni et honesti aliasque hujusmodi, quæ sensum sine dubio transcendunt, et facultatem inextensam et spiritualem supponunt; proindeque homo est animal *rationale*, *morale*, *progressivum* et *religiosum;* — dùm e contra bruta cognoscunt tantummodo *particularia*, et quidem concreto modo prout sensus afficiunt, *extensa* et quidem extenso modo; hinc veri progressûs, moralitatis et religiositatis sunt incapacia : opera sua *eodem prorsus modo* perficiunt ac bruta ejusdem speciei mille ante annos conficiebant; nec ullum *remorsûs* sensum unquam experiri videntur, aut *religionis* actum perficere.

643. **Corollarium.** Exinde intelligere licet quid de opinione *Mivart* censere oporteat : a) *Theologice* non est hæretica, quia hucusque Ecclesia a re definiendâ abstinuit, sed ex dictis videtur primâ facie mosaicæ narrationi contraria. Præterea Rom. Congregationes pluries hanc opinionem reprobârunt, prohibendo ne catholici scriptores eam propugnarent[1]. b) *Philosophice* omnino non est impossibilis : non enim absolute repugnat Deum organismo animali infudisse vim quâ paulatim in corpus humanum immutaretur. c) Sed *scientifice* est mera et gratuita hypothesis, cùm conjecturis potiusquam factis innitatur.

[1] Ita *Leroy* et *Zahm*, qui hanc opinionem ut probabilem defendebant, mandatum acceperunt ut suos libros a mercaturâ removerent. Cf. PESCH., n. 108.

II. *De unitate generis humani.*

644. Unitas generis humani negata fuit : a) a *Præadamitis*, qui, duce *Isaaco de la Peyrère* (1655) calviniano (postea ad fidem catholicam converso), contenderunt jam ante Adamum aliquos exstitisse homines, et Adamum esse quidem patrem Judæorum, non autem Gentilium; b) a *Coadamitis*, seu *Polygenistis*, secundum quos plures simul humanæ familiæ exstiterunt Adamo coævæ.

645. **Thesis** : *Universum genus humanum ab úno protoparente Adam ortum habuit.* Certum est et fidei proximum.

1° *Script.* a) *Directe* asseritur nullum exstitisse hominem quando Adam creatus fuit. " Et homo non erat qui operaretur terram " ... " Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus [1] ". Hinc Adam vocatur pater orbis terrarum et Eva mater cunctorum viventium [2]. Iterum S. Paulus directe asserit omnes homines *ex uno* descendere : " Fecit ex uno omne genus hominum habitare super terram [3] ". b) *Indirecte* idem constat ex doctrinâ S. Pauli, quam confirmat catholica Traditio de peccato originali, secundum quam omnes nascuntur originali labe infecti, eo quod omnes ex eodem capite naturam peccato infectam trahunt [4].

2° *Ratione confirmatur.* Hodie siquidem fe e omnes docti alicujus nominis fatentur *omnibus hominibus*, cujuscumque coloris aut linguæ, plura inesse quæ arguunt identitatem specificam, nempe : anatomicam corporis structuram, physiologicas operationes, leges generationis et partûs, loquendi facultatem, indefinitam fecunditatem matrimoniorum quæ inter homines diversarum varietatum contrahuntur, vim ratiocinandi, sensum moralem et religiosum, etc.[5] Ergo ex parte structuræ hominis nihil objici potest contra unitatem originis.

646. Diversitates autem ex colore, cerebri volumine et pondere, faciali angulo, linguâ et idiomate, non sunt substantiales, sed *accidentales*, ex confesso peritorum in scientiis ethnographicis [6].

---

[1] *Genes* , II, 5, 20. — [2] *Sap.*, X, 1; *Genes.*, III, 20.
[3] *Act.*, XVII, 26. — [4] *Rom.*, V, 12.
[5] Cf. DE QUATREFAGES, *Unité de l'espèce humaine*, *L'espèce humaine;* VIGOUROUX, *Manuel biblique*, *Les livres saints et la Critique.*
[6] TOPINARD, materialista, *Revue d'Anthrop.*, oct. 1886; DARWIN, *Descent of man;* GIESSWEIN, *La réductibilité des langues*, in *Congrès scientif. intern.*, 1891, Philologie, p. 24 sq.

III. *De naturâ hominis.*

647. **Thesis Ia** : *Homo constat ex corpore organico et animâ rationali, spirituali et immortali, in unam naturam coalescentibus.* Certum est.

1° *Scripturâ :* **a**) Deus dicitur formâsse *corpus* Adami ex limo terræ, eique inspirâsse *spiraculum vitæ* seu *animam*, et quidem *spiritualem*, cùm ratione sit homo *imago Dei* qui est spiritus; præterea sic hominem factum esse " in animam viventem[1] ", seu unius naturæ animâ specificatæ; **b**) quæ de *Sheol* prædicantur supponunt animæ immortalitatem[2]; idem constat ex resurrectione quorumdam mortuorum[3] et ex praxi mortuos evocandi[4]; **c**) apud *Prophetas*[5], in libris *Sapientialibus*[6], in libris *Machabæorum*[7] diserte asseritur spiritualitas et immortalitas animæ; **d**) in *Novo Testamento*, anima humana nobis repræsentatur ut omnino distincta a corpore cui supervivit[8], ut spiritus sciens quæ sunt hominis[9], ut immortalis et capax vitæ æternæ.

2° *Traditione.* Patres haud raro affirmant spiritualitatem et immortalitatem animæ humanæ. Ita legitur in *Const. Apostolorum*[10] : " Confitemur animam in nobis incorpoream et immortalem ".

648. **Thesis IIa** : *Anima intellectiva est per se et essentialiter humani corporis forma.*

De fide est ex C. *Viennensi* (1311-12) : " Definientes... quod quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tanquam hæreticus sit censendus[11] ".

---

[1] *Genes.*, II, 7.
[2] *Genes.*, XV, 15; XXV, 8; XXXV, 28; XLIX, 32; *Num.*, XX, 26· *Judic.*, II, 10, etc.
[3] Ita Elias suscitat filium viduæ in Sarepta (*III Reg.*, XVII, 17-24); Eliseus suscitat filium Sunamitidis (*IV Reg.*, IV, 17-37); tactu ossium Elisei revixit cadaver (*IV Reg.*, XIII, 20-21).
[4] *Deuter.*, XVIII, 11; *I Reg.*, XXVIII, 8; *Isa.*, XIV, 9.
[5] *Ezech.*, XXXVII, 10.
[6] *Sap.*, IX, 15; III, 1-4; V, 16; *Prov.*, XII, 28; XIV, 32; *Eccl.*, XII, 7; *Eccli.*, III, 19-21.
[7] *II Machab.*, VII, 23; VI, 26; XII, 43-46.
[8] *Matth.*, X, 28. — [9] *I Cor.*, II, 11.
[10] Lib. VI, c. 11, *P. G.*, I, 938; cfr. JOURNEL, *Enchir. Patrist.*, 147.
[11] DENZ.-BANN., 481 (409); cf. 738 (621).

In hâc definitione tria directe includuntur : **a**) animam humanam esse *formam corporis humani* seu substantialiter corpori uniri, sicut forma materiæ unitur, non tantummodo sicut motor mobili; ideoque corpori communicare suum esse, unam cum eo naturam constituens; **b**) et quidem *per se*, id est non per aliud, non mediante aliquo alio principio sensitivo aut vegetativo, aut mediatore plastico, sed directe, immediate per se ipsam; **c**) *essentialiter*, nempe per suam essentiam (non vero per aliquam facultatem[1], aut operationum conscientiam[2], vel accidentalem influxum), ita ut essentia animæ vere eliciat actiones non solum intellectuales, sed etiam sensitivas et vegetativas simul cum corpore cui unitur.

649. *Corollarium.* Ex quo sequitur unicam esse animam in homine, nec admitti posse *trichotomiam*, vi cujus homo tribus substantiis componitur, *spiritu*, *animâ* et *corpore*, prout docuerunt, diversimode tamen, post Græcos philosophos, *Philo*, *Apollinaris*, *Protestantes* nonnulli, et *Güntherus*[3]. Qui error definitione *Viennensi* attingitur : nam si anima *intellectualis* sit forma corporis, eo ipso est principium omnis vitæ, sensûs et motûs corporis, nec proinde datur anima sensitiva vel vegetativa ab intellectuali distincta.

650. Quomodo autem anima sit corporis forma?[4] Juxta *Card. Zigliara*, Concil. Viennense definivit animam esse formam corporis sensu stricte scholastico, ita ut anima sit ex se substantia incompleta in ratione speciei, actuans corpus ceu substantiam incompletam et determinabilem. Juxta *Palmieri*, qui modernorum atomistarum theorias defendit, Concilium tantum definivit unicam esse animam in homine, quæ dat corpori humano vitam, sed non *quomodo* anima sit corporis forma.

Aliunde certum est a Concil. Vienn. non fuisse damnatam Scotistarum theoriam, juxta quam existit in homine, præter animam, forma quæ dat esse corporeum. Sed solidior est doctrina S. Thomæ statuentis nullam aliam formam substantialem esse in homine præter animam intellectivam. Etenim, si præexisteret quæcumque alia forma substantialis, sequeretur logice quod anima uniretur corpori *accidentaliter*.

---

[1] Quod docebat *P. J. Olivi*, a C. Viennensi damnatus, asserens nempe animam rationalem informare corpus non per se, sed per facultates sensitivas et vegetativas.

[2] Ita Rosmini, qui hanc propositionem enuntiavit a Leone XIII damnatam : " Unio animæ et corporis proprie consistit in immanenti perceptione, quâ subjectum intuens ideam, affirmat sensibile, postquam in hâc ejus essentiam intuitum fuerit ". DENZING., n. 1914 (1759).

[3] VIGOUROUX, *Dict. de la Bible*, I, p. 454, 448.

[4] GARRIGOU-LAGRANGE, *Le sens commun...*, p. 128-131.

IV. *De propagatione generis humani, seu de ortu singulorum hominum.*

651. Status quæstionis. *Corpus* singulorum hominum per *generationem* propagari nemini dubium est; sed quæstio est *quomodo anima oriatur.* Prætermittimus veterum Philosophorum errores, qui putabant animam vel esse emanationem a Deo, vel substantiam a cælo delapsam.

A) *Origenistæ* et *Priscillianistæ* docuerunt *præexistentiam animarum*, videlicet : animas per se spiritus incorporeos esse et ab initio omnes a Deo creatas : in pœnam autem suæ defectionis, in corporibus inclusas fuisse.

B) Juxta *Traducianismum*, anima humana de substantiâ parentum producitur : juxta quosdam, ex ipso semine corporali, juxta alios directe ab animâ parentum : quod ultimum systema vocatur etiam *generatianismus*[1]. Cui theoriæ affines sunt opiniones : a) *Froschammer* dicentis animam a parentibus creari per vim peculiarem sibi a Deo inditam; b) *Rosmini* dicentis a parentibus generari animam sensitivam quæ postea illuminatione entis fit intellectiva.

652. Thesis. *Animæ humanæ a Deo creantur quando corporibus infunduntur.* Etenim

A) Origenismus fuit damnatus a *Concil. Constantin.*, œcum. V, an. 553 : " Si quis fabulosam animarum præexistentiam... asseruerit, A. S.[2] " *Anastasius II* reprobavit ut *hæreticam* sententiam dicentium a parentibus animas tradi ex semine[3]; Froschammer a *Pio IX* profligatus est[4], Rosmini a *Leone XIII*[5];

B) Thesis innuitur saltem his verbis *Scripturæ*[6] : " Revertatur pulvis in terram suam, unde erat; et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum ".

C) *Patres* creatianismum communiter tenent : ita, inter alios, *Lactantius*, *S. Ambrosius*, *S. Hieronymus*, *S. Hila-*

---

[1] Ita TERTULLIANUS, S. FULGENTIUS, S. AUGUSTINUS dubitative tamen; et nostris temporibus KLEE et HERMES.

[2] DENZ., n. 187 prior. ed.; cf. n. 203 nov. ed.

[3] DENZ., n. 170 nov. ed.

[4] In Brevi *Gravissimas* ad Archiep. Monac., 11 dec. 1862.

[5] DENZ., 1910 (1755). Cf. DENZ., 533 (1794).

[6] *Eccle.*, XII, 7.

rius, *S. Gregorius Naz.*, *S. Cyrillus Alex.*[1] Quorum doctrinam breviter et accurate *Petrus Lombardus* contrahit : " Catholica Ecclesia animas docet in corporibus infundi et infundendo creari[2] ". *S. Thomas*[3], post relatas tres sententias, *generatianismum*, *præexistentianismum* et *creatianismum*, dicit : " Primæ duæ postmodum judicio Ecclesiæ sunt damnatæ et tertia approbata ". Quod ceteri scholastici communiter dicunt.

D) *Ratione* thesis confirmatur[4]. Si enim animæ hominum a parentibus trahuntur, sane vel a corpore, vel ab animâ; atqui neutrum dici potest : non *prius*, quia principium intellectivum in homine est principium transcendens materiam, ideoque non potest ex semine materiali generari; *nec posterius*, nam anima infantis non potest creari ab animâ parentum, cùm virtus creativa soli Deo competat, nec est emanatio ex animâ parentum, cùm anima sit substantia simplex, partium expers, ex quâ proinde nil detrahi potest; ergo animæ non a parentibus trahuntur, sed a Deo creantur.

653. Attamen parentes recte dicuntur generare hominem, quia e suâ substantiâ producunt corpus ita dispositum ut ei, vi legis naturalis a Deo positæ, infusio animæ necessario sequatur. Et sane eodem jure parentes hominem generare dicuntur quo homicida, corpori vulnus letale infligens, occidit hominem.

§ II. De Hominis elevatione ad statum supernaturalem.

654. Cùm Deo placuerit hominem non solum dotibus naturalibus ornare, sed etiam *supernaturalibus*, remanet ut ejus elevationem ad ordinem supernaturalem exponamus. Quia vero protoparentibus concessa sunt dona tum *proprie supernaturalia*, tum *præternaturalia*, de utrisque successive agemus, præhabitis tamen quibusdam notionibus de ordine naturali et supernaturali.

---

[1] *P. L.*, VII, 73; X, 358; XIV, 366; *P. G.*, XXVII, 552; LXXVII, 22, etc.

[2] *Sent.*, lib. II, d. 18, n. 8.

[3] *De Pot.*, q. 3, a. 9; cf. *Sum. th.*, 1ª p., q. 118, a. 2.

[4] Cf. S. TH., 1ª p., q. 118, a. 2.

I. *Prævia notiones ad ordinem supernaturalem spectantes.*

Duo sunt declaranda : 1° *notio ordinis naturalis et supernaturalis;* 2° *varii status in quibus homo constitui potuit relate ad suum finem.*

1° De naturali et supernaturali.

Declarabimus quid sit *natura*, quid *naturale*, quid *supernaturale*, quid *ordo naturalis*, quid *ordo supernaturalis.*

655. **A) Notio naturæ.** Natura tria designat : **a)** naturam *individuam*, quatenus est principium essendi et operandi; seu essentiam substantialem entis cum suis facultatibus et proprietatibus; **b)** *collectionem omnium substantiarum creatarum* (*la nature*), quatenus efformant veluti universale operationis principium, ad aliquem finem communem prosequendum; **c)** *Deum ipsum* quatenus est *auctor naturæ.* Ex contextu apparet quænam ex his acceptionibus sumenda sit.

656. **B) Notio naturalis.** Per naturale intelligimus id quod, positâ creatione, est *debitum alicui naturæ aut personæ*[1], seu fusius, id quod est secundum alicujus naturæ creatæ : **a)** *essentiam :* quidquid scilicet requiritur ad *constituendum* aliquod ens in suâ specie; ita hominis essentiam efformant corpus et anima rationalis; **b)** *vires* seu facultates quæ dimanant ab ipsâ essentiâ : v. g., in homine, intellectus et voluntas; **c)** *exigentias :* ita concursus divinus exigitur ad facultates exercendas : quæ tria vocantur *debitum naturæ;* **d)** et *meritum*, videlicet quidquid aliquod ens, per modum sanctionis moralis, adipisci potest; v. g., finis naturalis acquisitio est aliquid naturale : quod autem ita obtinetur vocatur *debitum* seu *meritum personæ*, legitime suas facultates exercentis [2].

[1] Acatholici vero, præsertim rationalistæ, sæpe naturale vocant, sub respectu *cognitionis*, quod est sensibile, supernaturale autem quidquid experientiam prætergreditur; sub respectu *metaphysico*, naturale dicunt quidquid finitum est, supernaturale autem quod est infinitum.

[2] Cum vox *naturale* idem sonet ac *originale*, seu id quod cum origine connectitur, aliquando sensu lato et improprio adhibita fuit ad desi-

657. **C) Notio supernaturalis** [1]. *Supernaturale* proprie **definitur** id quod est *prorsus indebitum sive naturæ sive personæ*, ideoque superat *essentiam*, *vires*, *exigentias et meritum* alicujus naturæ.

Dicitur: **a**) quod *superat*, quia supernaturale non est contra sed supra naturam, eamque perficit; **b**) *essentiam*, *vires*, *exigentias et meritum*, nempe id omne quod non solum transcendit constitutionem alicujus entis, sed neque exigi aut ab illo naturaliter acquiri potest (n. 656); proinde supernaturale in genere est illud quod alicui enti conceditur *præter* et *supra debitum naturæ et meritum personæ*.

Dividitur supernaturale in supernaturale relativum et supernaturale absolutum.

a) Supernaturale *relativum* seu *secundum quid* est id quod *alicujus* duntaxat, non *totius* naturæ vires et exigentias superat : sic cognitio infusa superat naturam hominis, non vero angeli. — Ad supernaturale *relativum* refertur *præternaturale*, id nempe quod, etsi indebitum, non excedit tamen limites perfectibilitatis naturalis, sed aliquod ens perficit *in suâ specie :* donum immortalitatis corporeæ, Adamo collatum, erat *in se* quid naturale, utpote continuatio vitæ naturalis, sed ratione *subjecti*, cui conferebatur, erat supernaturale, quia immortalitas enti de se corruptibili minime debetur.

b) *Supernaturale simpliciter* seu *absolutum*, est illud *quod superat exigentias et vires totius naturæ creatæ et creabilis.*

Hujusmodi autem supernaturale invenitur quidem in *miraculis proprie dictis*, sed imprimis in *gratiâ et gloriâ*. 1) *Miraculi* tres gradus a S. Thomâ assignantur : miraculum enim naturam superat, vel quoad modum tantum, ut sanatio subita febricitantis, vel quoad modum et subjectum, ut resurrectio mortui et sanatio cæci, vel quoad substantiam ipsam facti, ut glorificatio corporis

gnandum : 1) donum *vere supernaturale*, quod *cum origine connectitur;* v. g., sanctitas originalis Adamo collata in suâ creatione a quibusdam Patribus hoc sensu vocata est naturalis; 2) donum *gratuitum* quod perficit naturam intra limites suæ nativæ conditionis, v. g., immunitas a concupiscentiâ. Hodie vero, ad tollendas æquivocationes, talis dicendi modus sedulo vitari debet.

[1] A. MERCIER, *Le surnaturel*, in *Rev. thomiste*, 1902, p. 215 sq.

humani [1]. 2) Per *gratiam* habetur ipsius naturæ divinæ participatio quâ immediate et connaturaliter disponimur ad *gloriam cœlestem* et *visionem beatificam*. 3) In Christo sunt summo gradu gratia habitualis et gloria cum præcellenti *gratiâ unionis hypostaticæ*.

658. **D) Notio ordinis seu statûs naturalis et supernaturalis.** Ordo, ut hìc sumitur, est apta dispositio mediorum ad finem ultimum. Ad talem ordinem quatuor requiruntur : *agens*, scilicet homo, *finis* ad quem agens tendit, *medium* per quod agens tendit in finem, *lex* per quam media recte ordinantur ad finem.

a) *Ordo naturalis* est apta dispositio mediorum naturalium ad finem naturalem. Pro homine ita constituitur : 1) finis est possessio Dei, non per visionem *intuitivam*, sed per rationem *modo discursivo* cogniti; 2) agens est natura humana, cum facultatibus et viribus propriis; 3) medium est exercitium facultatum, præsertim vero intellectûs et voluntatis, sub influxu concursûs Dei naturalis; 4) lex est lex naturalis, omnium cordibus insita, cum consectariis quæ ex eâ deduci possunt.

b) *Ordo supernaturalis*, qui est apta dispositio mediorum supernaturalium ad finem supernaturalem, sic constituitur pro homine : 1) finis est cognitio Dei perfecto et intuitivo modo, facie ad faciem, et amor Dei ejusdem generis, quia amor sequitur cognitionem; 2) agens est natura humana ad altiorem operandi modum elevata per gratiam sanctificantem, virtutes infusas et dona Spiritûs sancti; 3) medium est exercitium facultatum, sub influxu supernaturalis Dei concursûs seu gratiæ actualis; 4) lex est complexus præceptorum positivorum, quæ Deus legi naturali addere potest.

2° De variis statibus humanæ naturæ relate ad gratiam.

659. *Sex sunt status in quibus humana natura concipi potest relate ad gratiam et dona præternaturalia :*

a) *Status naturæ puræ*, in quo neque gratia neque dona præternaturalia conferuntur. Hinc in illo statu homo

[1] 1ª p., q. 106, a. 8; cf. *De pot.*, q. VI. a. 2, ad 3; Folghera, O. P., *Le miracle d'après S. Thomas d'Aquin*, in *Revue thom.*, 1904, p. 318 sq.

habuisset finem naturalem, media naturalia ad hunc finem attingendum, et legem naturalem; sed fuisset subditus ignorantiæ, concupiscentiæ, infirmitatibus et morti.

b) *Status naturæ integræ* includit, præter perfectiones naturæ puræ, amplificationem earum in suâ specie, ultra exigentias naturæ, nempe *immunitatem a concupiscentiâ, ab ignorantiâ, infirmitatibus* et *morte.*

c) *Status simpliciter supernaturalis*, in quo homo ad finem supernaturalem destinaretur, mediisque instrueretur ad hunc finem attingendum, absque privilegiis naturæ integræ.

d) *Status naturæ innocentis*, in quo gratia et dona præternaturalia simul conferuntur. Hic status, qui de facto exstitit in Adamo, vocatur etiam status justitiæ seu sanctitatis *originalis.*

e) Status *naturæ lapsæ et reparatæ*, in quo nunc versamur, consistit in eo quod homo remanet destinatus ad finem supernaturalem, ac simul est *capax per Christum* recuperandi gratiam, non autem dona præternaturalia, saltem in præsenti vitâ.

f) Ante promissionem Redemptoris, Adam et Eva erant in statu *naturæ lapsæ nondum reparatæ.*

II. *Existentia gratiæ in Adamo.*

660. Existentiam gratiæ in Adamo impugnant : **a**) *naturalismi* fautores, Pelagiani scilicet, Unitarii, Liberales, Athei et Positivistæ, Modernistæ, qui in homine agnoscunt naturam et naturale tantum [1]; **b**) fautores *pseudo-supernaturalismi*, qui admittunt quidem Adamo gratiam et dona fuisse concessa, sed addunt hæc privilegia fuisse *essentialia* humanæ naturæ (*Lutherus*), ad naturam humanam *completam* spectasse (*Calvinus*), fuisse *debita* naturæ (*Baius* et *Jansenius*).

Contra quos ostendemus : 1° protoparentes in statu *sanctitatis* et *justitiæ* fuisse constitutos, 2° hunc statum esse *gratuitum* seu *supernaturalem.*

661. Thesis I[a] : *Protoparentes in statu sanctitatis et justitiæ constituti fuerunt.* De fide est *ex Tridentino :* " Si

[1] Modernistæ docent supernaturale nil aliud esse nisi emanationem quamdam ex intimo quodam sensu erumpentem. Cf. DENZ., 2074 sq.

quis non confitetur primum hominem Adam... sanctitatem et justitiam, in quâ constitutus fuerat, amisisse... A. S. "[1]. Dicitur *constitutus* quia non absolute constat protoparentes a primo instanti creationis gratiam accepisse.

1° *Script.* A) Ex *Vet. Test.* constat : a) inter Deum et hominem quamdam fuisse *familiaritatem*[2], antequam status miseriæ et reprobationis incurreretur; b) insuper hominem creatum fuisse ad Dei *imaginem et similitudinem*, seu, juxta vim hebraici textûs, imaginem simillimam[3] : quod, ex locis parallelis[4] apte significat statum gratiæ; c) hominem creatum fuisse *rectum :* quod, ex usu loquendi biblico[5], gratiam sanctificantem indicat. Quæ argumenta sunt saltem *probabilia*, accedente præsertim analogiâ fidei et Patrum interpretatione.

B) Ex *Novo Testamento* constat eo ipso quod justificamur gratiâ sanctificante[6], nos *renovari*, *regenerari*, *restitui* in statum in quo *primus homo* fuerat[7] : quod aperte probat Adamum in gratiâ eâdem constitutum fuisse.

2° *Traditione.* A) Apud *Græcos*, *S. Irenæus* declarat primum hominem Deo similem fuisse per participationem Spiritûs sancti[8]; hanc autem similitudinem dicit *S. Athanasius* nobis restitui per Christum[9]. B) Apud *Latinos*, *S. Hieronymus* affirmat nos Spiritûs sancti gratiâ recipere " imaginem et similitudinem, ad quam in exordio conditi sumus[10] ". Quod et ait *S. Augustinus*[11] : " Hoc agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in quâ naturaliter facti sumus, instauret in nobis ". C) Rem decrevit Conc. *Arausic. II* contra Pelagianos[12] : " Natura humana, etiamsi in illâ *integritate*, *in quâ est condita*, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore non adjuvante, servaret.

---

[1] Sess. V, can. 1, DENZ.-BANN., 788 (670).
[2] *Genes.*, II, 18-24; III, 8; cf. A. MERCIER, *Le surnaturel.*
[3] *Genes.*, I, 26. — [4] *II Pet.*, I, 4; *I Joan.*, III, 2.
[5] *Ps.* XXXII, 1; CXI, 2, 3, 7; *Prov.*, XIV, 2; XXI, 18; *Sap.*, X, 10. Cf. JOURNEL, 1955.
[6] *Rom.*, III, 24-25.
[7] *Ephes.*, IV, 23; *II Cor.*, V, 18-19; *Coloss.*, I, 13-14.
[8] *Adv. Hæres.*, l. III, c 18, 1-2; l. V, c. 6, 1, *P. G.*, VII, 932, 1137.
[9] *Orat. de Incarn.*, 3, 4, 8, 44, *P. G.*, XXV, 101 sq.
[10] *In Ephes.*, IV, 30, *P. L.*, XXVI, 514.
[11] *De Spir. et litt.*, c. 27, JOURNEL, 1732.
[12] DENZ., 192 (162); cf. 175 (145).

Unde cùm sine gratiâ Dei *salutem non posset custodire, quam accepit*, quomodo sine Dei gratiâ poterit reparare quod perdidit".

Præter gratiam sanctificantem quâ deificatur animæ substantia, protoparentibus inerant *virtutes infusæ*[1] quibus eorum facultates disponerentur intrinsece ad eliciendos actus supernaturales, et sic merendum finem ultimum.

662. **Thesis II**[a] : *Status justitiæ originalis fuit gratuitus et supernaturalis.* Certum est : damnata est enim a *S. Pio V* sequens Baii propositio 21 : " Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis[2]"; vera est igitur contradictoria, scilicet : talis elevatio est supernaturalis.

A) *Script.* Etenim gratia nobis collata vere est supernaturalis, cùm eâ efficiamur *filii Dei adoptivi*[3], *consortes divinæ naturæ*[4], et ita apti ad videndum et diligendum Deum sicut tres divinæ personæ se cognoscunt et amant[5]. Atqui gratia Adamo collata fuit ejusdem generis ac nostra (n. 661).

B) *Tradit.* Juxta *S. Irenæum*[6], gratia Adæ collata vocatur *sanctitatis stola* quam habuit a Spiritu et per inobedientiam perdidit, — et *in melius transmutatio*, quæ comparatur *insertioni* (*greffe*) quâ oleaster fit *oliva fructifera;* ergo in Adamo gratia erat quid gratuitum et supernaturale.

C) *Ratione theol.* Etenim : **a**) repugnat totum genus humanum, culpâ unius, privatum esse perfectione necessariâ ad finem suum naturalem attingendum; ergo gratia, quam Adam ipsi et nobis amisit, erat naturæ humanæ

---

[1] S. THOM., 1a p., q. 95, a 3-4.
[2] DENZING., 1021 (901). Baii propositiones damnatæ sunt *proprio verborum sensu ab assertoribus intento*, tanquam respective hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, scandalosæ, in pias aures offensionem immittentes; nulla igitur tuto sustineri potest. — Constat etiam ex damnatione propos. 35 *Quesnellii* et 16 *Syn. Pistoriensis*, DENZ., 1385 (1250), 1516 (1379).
[3] *I Joan.*, III, 1. — [4] *II Petr.*, I, 4.
[5] *I Joan.*, III, 2. Cf *I Cor.*, II, 6-12.
[6] *Adv. Hæres.*, l. III, c. 23, n. 5; l. V, c. 10, n. 1. Cf. JOURNEL, n. 229 Indic. theolog.

indebita et superexcellens; b) definitum est [1], contra *Pelagianos*, præsentem ordinem gratiæ esse supra exigentias naturæ lapsæ; ergo et gratia Adami, ejusdem naturæ ac nostra, erat pariter supra has exigentias, ideoque aliquid indebitum.

663. **Corollarium** : Contra *Card. Noris*, *Berti* et *Augustinianos*, practice concludi potest gratiam protoparentibus concessam non fuisse debitam *ex decentiâ* Creatoris, ita ut Deus ex potentiâ *ordinatâ*, nequiverit eam denegare. Quod enim ex quâdam decentiâ debetur, non est omnino gratuitum et supernaturale.

III. *De dono integritatis protoparentibus concesso.*

664. Præter gratiam, protoparentibus collata sunt quatuor dona quæ *statum integritatis* constituunt. Hæc sunt, quoad *animam*, immunitas ab inordinatâ concupiscentiâ et ab ignorantiâ; quoad *corpus*, immunitas a morte et miseriis hujus vitæ : quibus addebatur quoddam dominium in animalia viresque naturæ. Quorum donorum exponemus : 1° *existentiam*, 2° *gratuitatem*.

665. Thesis Ia : *Protoparentes constituti sunt in statu naturæ integræ, id est, immunes a concupiscentiâ, ignorantiâ, dolore et morte.*

1° *Immunes fuerunt ab effrenatâ concupiscentiâ*, seu a motibus *inordinatis* quibus appetitus ad sensibilia, honores et alia bona magis spiritualia fertur independenter ab imperio voluntatis, etiam contra rationis ordinem. Certum est.

A) *Script.*[2], in quâ tria declarantur : **a**) *ante lapsum* protoparentes de suâ nuditate non erubuisse; **b**) post lapsum suam nuditatem animadvertisse, **c**) propter suam inobedientiam. Quæ significant protoparentes ante peccatum stimulis concupiscentiæ non fuisse exagitatos.

B) *Tradit.* **a**) SS. Patres, occasione textûs Genesis modo allati, testantur Adamum fuisse immunem a concupiscentiâ carnali et omni perturbatione passionum.

---

[1] *Concil. Carthagin.* a S. Zosimo Papa approb., can. 5, Denz.-Bann., 105 (69).
[2] *Genes.*, II, 25; III, 7, 11.

Ita *S. Joannes Chrysost.* : " Usque ad (prævaricationem) quasi angeli versabantur in Paradiso, non concupiscentiis flagrantes[1] "; *S. Augustinus :* " Nec pudebat eos; quid enim puderet, quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis suæ[2] "; *S. Cyrill. Alex. :* " Mens (Adami) tota et semper in Dei visione erat, corpus autem in tranquillitate et quiete, absque omni turpi voluptate; non enim erat in eo absurdorum motuum tumultus[3] ".

b) Unde *Concil. Trid.* declarat concupiscentiam ab Apostolo peccatum vocari, " quia *ex peccato* est et ad peccatum inclinat[4] "; jamvero si ex peccato est, ante peccatum non existebat.

C) *Ratione convenientiæ :* in statu innocentiæ voluntas hominis perfecte Deo subdebatur; atqui decebat ut, quamdiu homo manebat Deo subjectus, rationi vires inferiores obedirent, et animæ corpus, ut sic ordo esset perfectus; porro immunitas a concupiscentiâ in hâc subjectione inferiorum virium sita est[5].

Quomodo autem Adam appetitum sensitivum rationi perfecte subditum habuerit declarat *Suarez*[6] : a) Deus providebat ne objecta animi pacem et tranquillitatem perturbantia occurrerent; b) facultates hominis per intrinsecos habitus perficiebat, ita ut ratio ad recte judicandum inclinaretur, voluntas ad sequendam rationem, et appetitus ad utrique prompte obediendum.

666. 2° *Immunes fuerunt ab ignorantiâ*, eo sensu quod ab initio acceperunt a Deo infusam scientiam tum naturalem, tum supernaturalem, *suo statui proportionatam* et indoli *Capitis moralis* totius generis humani, id est, notitiam rerum religiosarum ac moralium ad sui filiorumque instructionem necessariam; scientiam autem rerum physicarum sufficientem ad operandum in paradiso, eumque custodiendum. Sane quidem, sicut a principio par erat Adam generandis filiis, debuit statim et esse par iis instruendis et educandis : quod requirebat scientiam infusam. Ita *S. Cyrillus Alexand. :* " Primus pater Adam, non in tempore, sicut nos, sapientiam

---

[1] *In Genesim* homil. XV, 4. — [2] *De Genesi ad litt.*, l. XI, cap. I, n. 3.
[3] *In Epist. ad Rom.*, V, 18. Cf. JOURNEL, n. 230 Ind. theolog.
[4] Sess. V, can. 5; cf. Sess. VI, can. 5; Conc. *Arausic. II*, apud DENZ., 174 (144), 186 (156).
[5] S. THOM., 1ª p., q. 95, a. 1.
[6] *De divinâ substantiâ*, l. II, cap. 12, n. 17 sq.

consecutus esse videtur, sed statim a primis ortûs sui temporibus perfectus in intelligentiâ ostenditur[1]... " Ita etiam *S. Joan. Damasc.* [2] Et uterque advocat *Genesim* [3].

667. 3° *Immunes fuerunt a necessitate moriendi*, eo sensu quod, expleto probationis tempore, vivi ad vitam immortalem translati fuissent. *De fide est* ex Conciliis, præsertim ex *Tridentino* [4], definiente primum hominem per peccatum incurrisse " iram et indignationem Dei atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus ".

Probatur A) *Script.*, sive *directe*, ubi dicitur : " Deus creavit hominem inexterminabilem... Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum [5] "; sive *indirecte*, ex locis in quibus declaratur *mortem* esse *pœnam peccati :* " In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris [6] "; mortem vero de quâ agitur, esse mortem corporis colligitur ex contextu, ubi dicitur : " In sudore vultûs tui vesceris pane, donec revertaris in terram de quâ sumptus es; quia pulvis es et in pulverem reverteris [7] ".

B) *Tradit.* Deus, inquit *S. Theophilus Antioch.* [8], hominem fecit capacem mortalitatis et immortalitatis, " ut, si ad ea ferretur quæ ducunt ad immortalitatem, observando Dei mandata, mercedem ab eo acciperet immortalitatem et deus fieret; si vero deflecteret ad ea quæ ducunt in mortem, non obediens Deo, ipse sibi mortis auctor esset ". — Patrum autem latinorum doctrinam recapitulans *S. Augustinus* explicat qualis immortalitas protoparenti concessa fuerit [9] : " Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris ". Quod quidem sæpe contra Pelagianos defendit,

---

1 *In Joan.*, lib. I, c. 9.
2 *De fide orthod.*, l. II, c. 30, JOURNEL, 2104, 2360.
3 Hodie vero satis communiter admittitur thesim probari non posse ex *Gen.*, II, 19-20, ubi refertur Adamum dedisse nomina animantibus (cf. HUMMELAUER, in h. loc.); neque ex *Eccli.*, XVII, 6, cùm verba " *creavit illis scientiam spiritus* " ... apud *Septuaginta* non inveniantur, textus autem hebraicus deficiat. — Cf. potiùs *Rom.*, V, 12-19; *I Cor.*, XV, 21-22.
4 Sess. V, can. 1, DENZ., 788 (671). — 5 *Sap.*, II, 23-24.
6 *Genes.*, II, 16. — 7 *Genes.*, III, 19.
8 *Ad Autolyc.*, l. II, c. 27, *P. G.*, VI, 1093.
9 *De Gen. ad lit.*, l. VI, c. 25, n. 36; *P. L.*, XXXIV, 354. — Cf. JOURNEL, n. 231 Indic. theol.

contra quos *Synodus Carthag.*, a. 418, decrevit : " Placuit ut quicumque dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret non peccati merito, sed necessitate naturæ, A. S.[1] "

C) *Ratione.* Decebat ut, quamdiu anima remanebat perfecte Deo subdita, corpus pariter animæ perfecte subderetur, et ab eâ incorruptibile servaretur.

668. 4° *Immunes fuerunt a dolore, singularique felicitate gaudebant.* Ita communiter. Et satis constat

a) Ex descriptione paradisi, in quo tria præsertim loci amœnitatem exprimunt : arbores fructiferæ, fluvius in quatuor capita divisus, aurum et lapides pretiosi; b) ex eo quod dolores improbique labores exhibentur ut peccati pœnæ; c) aliunde quædam impassibilitas ex immortalitate corporeâ sequi videtur[2].

669. 5° Quibus privilegiis quintum addi potest, videlicet *dominium in animalia*, vi cujus homini non invite subjiciebantur; Deus siquidem, postquam hominem creavit, dixit : " Præsit piscibus maris et volatilibus cæli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terrâ[3]... ". Decebat siquidem ut, quamdiu homo Deo subdebatur, ea quæ naturaliter homini sunt inferiora, ipsi facilius etiam obedirent.

670. **Thesis II^a** : *Dona integritatis, protoparentibus collata, erant gratuita et præternaturalia.* Certum est.

A) *Argumento generali.* a) Damnatæ fuerunt sequentes *Baii* propositiones (26,55)[4] : " Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio "; " Deus non potuisset ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur ". Hic notandum est propositiones Baii reprobatas esse *sensu ab assertoribus intento.* Jamvero verba *qualis nunc nascitur* in sensu Baii nihil aliud significant quam *sine gratiâ et dono integritatis.* Tuta igitur est contradictoria, nempe integritas non fuit humanæ naturæ debita, sed Deus potuisset hominem creare qualis nunc nascitur, id est, sine gra-

---

[1] Denz., n. 101 (65). — [2] Journel, 1762.
[3] *Genes.*, I, 26-28; cf. *Eccli.*, XVII, 4.
[4] Denz., 1026 (906); 1055 (935). Cf. Ibid., 1516 (1379).

tiâ et dono integritatis, proinde, cum *quâdam* ignorantiâ et concupiscentiâ, infirmitatibus et morte.

b) Experientiâ constat totum genus humanum dona integritatis per peccatum Adami amisisse; atqui æquum non videtur ut, sine propriâ culpâ, homines amittant dona ipsi humanæ naturæ debita.

B) *Speciatim de immunitate ab ignorantiâ.* In ordine cognitionis, id solum est stricte homini debitum ut possit finem suum, scilicet Deum, cognoscere necnon media ad illum attingendum. Atqui homo valet hæc omnia scire absque integritate intellectûs, id est sine speciali acie, facilitate et rectitudine intellectûs, et etiam sine scientiâ infusâ : homo enim ita naturâ comparatus est ut pedetentim a rebus sensibilibus ad spiritualia ascendat *ratiocinando*, *inducendo*, *syllogizando*.

C) *De immunitate a concupiscentiâ.* Etenim concupiscentia a) *in se* non repugnat, cùm non sit peccatum; b) nec *libertati;* nam, non obstante concupiscentiâ, homo potest adhuc recte judicare, et rationis judicium sequi, accedente saltem auxilio divino quod in hoc statu non denegabitur; c) nec *nativæ conditioni hominis;* nam e contra, concupiscentia naturaliter defluit ex hominis constitutione : non potest enim non accidere ut aliquando appetitus sensibilis tendat ad bonum quod ratio reprobet, et exinde naturaliter oriatur pugna.

D) De *immortalitate.* Item immortalitas non est debita homini; nam duobus modis mors *naturaliter* evenire potest, vel ab extrinsecâ causâ, v. g. per ignem, aquam, ensem, etc., vel ab intrinsecâ causâ, scilicet naturali corruptione.

E) De *impassibilitate* quæ est corollarium naturale immortalitatis, satis constat eam non esse debitam ei qui est naturaliter mortalis[1].

671. **Corollarium.** *Status naturæ puræ est possibilis.* Constat : a) ex damnatione propositionis *Baii* supra allatæ; b) ratione theologicâ : etenim status naturæ puræ consistit in eo quod homo ad finem naturalem destinetur, mediaque sufficientia ad hunc finem attingendum accipiat; atqui, Deus non tenetur aliquid amplius dare homini, cùm gratia et bona præternaturalia sint homini prorsus indebita (nn. 662, 665). — Neque dici potest in hoc statu concupiscentiam insuperabilem fuisse; nam Deus

[1] Cf. *Synopsim. maj.*, de concordiâ doctrinæ de statu innocentiæ et lapsu originali cum scientiis, nn. 892-894.

auxilia ordinis naturalis præbuisset ad tentationes vincendas[1].

§ III. De hominis lapsu.

Dicemus : **a**) de *protoparentum lapsu* et peccati originalis existentiâ in eorum *posteris*, **b**) de peccati originalis *effectibus*, **c**) et *naturâ;* postea **d**) de *concordiâ* originalis peccati cum ratione.

I. *De protoparentum lapsu et existentiâ peccati originalis in eorum posteris.*

1° De protoparentum lapsu.

672. **A) Thesis** : *Protoparentes mandatum sibi a Deo datum transgrediendo graviter peccaverunt.* De fide est ex *Trident.*[2] : " Si quis non confitetur primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam in quâ constitutus fuerat amisisse, incurrisseque, per offensam prævaricationis hujusmodi, iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, A. S. "

Prob. **a**) *Scriptura* enim testatur simul præcepti existentiam et gravitatem ac ejus violationem : 1) in *Genesi :* " De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris... Mulier... tulit de fructu... et comedit, deditque viro suo qui comedit[3] "; 2) in *Sap. :* " Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum[4] ".

---

[1] Ad theoriam Baianam prope accedunt Augustiniani *Card. Noris* et *Berti* qui docent : **a**) Deum ex potentiâ *absolutâ* potuisse homini denegare gratiam et dona præternaturalia, non vero potuisse ex potentiâ *ordinatâ*, attentis scilicet ejus sapientiâ et bonitate; **b**) et consequenter hominem creari in statu naturæ puræ non potuisse ex potentiâ ordinatâ. Hoc tamen systema, Romanis Pontificibus delatum et ab eis sedulo perpensum, nunquam damnatum fuit.

[2] Sess. V, can. 1, Denz., 788 (670). — [3] II, 17; III, 6.

[4] *Sap.*, II, 24. Cf. *Eccli.*, XXV, 33; *Tob.*, IV, 14; *Rom.*, V, 12-19; *I Cor.*, XV, 21-23; *I Tim.*, II, 13-14.

b) *Ratione* explicatur quomodo protoparentes peccare *potuerunt*, et quidem *graviter*.

1) Ille solus est naturâ impeccabilis cujus regula est ipsissima sua voluntas : sed hoc est Dei proprium [1], quia non ordinatur ad superiorem finem. Aliunde melius erat homines et angelos esse simul liberos et peccabiles ut attingerent finem suum libere et non coacte. Neque confirmatio in gratiâ erat quid debitum, neque forsan conveniens, saltem si de omnibus agitur.

2) Quod autem transgressio Adami fuerit *grave peccatum*, apparet ex gravitate præcepti, quæ constat : ex *fine præcepti* quod fuit impositum ut tributum subjectionis et obedientiæ Deo solveretur; — ex *comminatione gravis pœnæ*, qualis est pœna mortis pro corpore et animâ; — ex *effectibus* peccati in protoparentibus et in eorum posteris : siquidem per peccatum protoparentes amiserunt gratiam seu intimam et supernaturalem amicitiam cum Deo [2], et dona præternaturalia, ut constat ex narratione mosaicâ [3].

673. **B) Natura peccati protoparentum declaratur.** Rejectis expositionibus tum *mere allegoricis* aut *mythologicis* Clementis Alex. et Origenis, Protestantium liberalium et Loisy, tum *mere litteralibus* veterum Commentatorum Genesis [4], probabilior nobis videtur sententia *S. Thomæ* [5], secundum quam primus homo peccavit per *superbiam*, inordinate appetendo divinam similitudinem, *principaliter* quantum ad scientiam boni et mali, volens nempe sibi determinare, per virtutem propriæ naturæ, quid esset bonum et quid malum ad agendum; *secundario* autem quantum ad propriam potestatem operandi, ut scilicet virtute propriæ naturæ operaretur ad beatitudinem consequendam.

Inobedientia autem ex superbiâ causata fuit [6].

---

[1] S. THOM., 1ª p., q. 63. a. 1. — [2] Lege *Genes.*, III, 9-23.
[3] *Genes.*, III, 7, 19, 16-20. — [4] Cf. declar. *Commiss. bibl.* 27 jun. 1909.
[5] 2ª 2æ, 11. q., 63, a. 1, 2.
[6] Juxta *S. Thomam* igitur, comestio fructûs prohibiti fuit quid omnino secundarium, et ita evanescit difficultas quam desumunt Rationalistæ e defectu proportionis inter præceptum et pœnam. Imo, juxta eumdem, 1ª 2æ, q. 81, a. 2, et *de Malo*, q. 4, a. 8, peccatum Adæ infecit totum genus humanum in quantum fuit *primum* grave peccatum; ita ut, si ipse non peccâsset, peccâsset vero quilibet e posteris ejus, iste induxisset in posteros suos originale peccatum. Quod et docet CARD. BILLOT, *De peccato originali*, 1910, p. 13-14.

Insuper Adamus commisit peccatum *inordinati amoris* erga uxorem; Eva vero peccata *scandali* et *infidelitatis* [1].

674. **Scholion.** Communis est sententia protoparentes salutem esse consecutos [2], et in Ecclesiâ Græcâ festum Adami et Evæ celebratur die dominicâ quæ præcedit nativitatem Domini [3].

2° EXISTENTIA ORIGINALIS PECCATI IN ADÆ POSTERIS

675. **Thesis** : *Omnes homines, ex Adamo naturaliter geniti, exceptâ B. Virgine, in conceptione suâ peccatum aliquod contrahunt, quod merito vocatur originale peccatum. De fide est ex Tridentino* [4] *:* "Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini, asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem, et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse ; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ, A. S., cùm contradicat Apostolo dicenti : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, etc.*".

Prob. 1° *Script.* Transmissio peccati Adæ in ejus posteros, implicite et obscure tradita in *Veteri Testamento* [5], apertius traditur in *Novo Test.*, imprimis a *S. Paulo*, ad Romanos scribente [6]. Hic explicite agens de justificatione (seu gratiæ infusione), parallelismum instituit Christum inter et Adamum, ostenditque *omnes homines mori* quia *omnes peccaverunt*, et quidem *per Adamum*, — sicut omnes vivificantur per Christum : "Sicut per unum hominem *peccatum* in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in *omnes homines* mors pertransiit, in quo [7] *omnes peccaverunt*... regnavit mors ab Adam usque

---

[1] *I Tim.*, II, 14. — [2] *Sap.*, X, 1.

[3] Cf. X. LE BACHELET, *Adam*, in *Dict. de Théol.* (*Vacant*), I, 379.

[4] Sess. V, can. 2, DENZ., 789 (671).

[5] "Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?" *Job*, XIV, 4. "Ecce enim in iniquitatibus (*heb.* pravitate) conceptus sum, et in peccatis (*heb.* peccato) concepit me mater mea". *Ps.* L, 7. Cf. *Eccli.*, XXV, 33; *Sap.*, II, 23-24.

[6] *Rom.*, V, 12-19.

[7] Utrum *in quo* (græce ἐφ'ᾧ) significet *in Adamo*, an *eo quod*, *quia*, disputatur inter Commentatores. Prior sententia, asserens *in quo* significare *in Adamo*, pro se habet Patres latinos, quorum tamen auctoritas in quæstione philologiæ græcæ non est tanti valoris ac Græcorum,

ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est *forma futuri*... Sicut enim *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti* sunt multi". Ex his verbis et ex toto contextu quem attente perlegere præstat, satis apparet hoc peccatum quo omnes homines constituti sunt peccatores : **a**) esse *verum peccatum*, cùm opponatur justitiæ seu gratiæ (v.v. 18, 19) et sit "in condemnationem"; **b**) non autem peccatum *actuale*, cùm sit etiam in his "qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ" (v. 14); sed peccatum *speciale*, quod, a solo Adamo commissum, in omnes ejus posteros tanquam *hereditarium* transit, vi nempe *solidaritatis*, quâ omnes homines cum Adamo connectuntur, humani generis capite (qui est *forma futuri*), sicut omnes connectuntur cum Christo.

676. 2° *Tradit.* **A**) Ante hæresim pelagianam, per quatuor priora sæcula, fides in peccati originalis transmissionem dupliciter asserta fuit : **a**) *Ecclesiæ praxi*, quæ baptismi sacramentum etiam *infantibus* ministrabat, et quidem in *remissionem peccatorum*, ut constat ex exorcismis ad fugandum diabolum adhibitis, et ex textu *S. Cypriani*[1] cum 66 Africanis episcopis scribentis : "Infans recens natus nihil peccavit nisi quod, secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxit, qui ad remissionem peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi *remittuntur non propria, sed aliena peccata*".

b) *Patrum* testimonio *obiter* dogma catholicum proponen-

---

plerosque doctores catholicos antiquos et nonnullos recentes. Posterior habet pro se syntaxim et usum loquendi Græcorum, Patres Græcos quinque linguæ suæ peritissimos, plerasque versiones, doctores catholicos recentes non paucos eruditione præstantes. — Quæcumque autem interpretatio admittitur, nil refert ad probationem thesis nostræ; nam etiamsi *in quo* idem sonet ac *quia*, *quatenus*, totus postulat contextus ut mors et peccatum *per Adamum* in nos transierint, tum quia dicitur : "per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit", tum quia infra additur : "unius delicto multi mortui sunt,... sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem".

[1] *Epist.*, LIX, 5, *P. L.*, III, 1019. — Cfr. etiam HERMAS, *Simil.*, IX, 16, p. 611 ed. Funk, JOURNEL, 92; ORIGENES, *in Levit.*, homil. VIII, 3, *P. G.*, XII, 496, JOURNEL, 496; S. AUGUSTINUS, *De peccat. merit. et remis.*, l. I c. 26, 34, *P. L.*, XLIV, 131, 146.

tium. Ita *II° sæc. S. Irenæus*[1] scribit : " Deum quidem in primo Adam *offendimus* non facientes ejus præceptum, in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti. Neque enim alteri cuidam eramus debitores sed illi cujus præceptum trangressi fueramus a principio"; *III° sæc.*, præter S. Cyprianum supra allatum, invenimus *Origenem* pluries affirmantem transmissionem peccati originalis : " Quæcumque anima in carne nascitur, iniquitatis et peccati sorde polluitur[2]"; *IV° sæc.*, *Didymus*[3] dicit : " Omnes ex Adamo (peccatum) per successionem contrahunt"; et inter Latinos, *S. Ambrosius*[4] : " Omnes in primo homine peccavimus, et per naturæ successionem culpæ quoque ab uno in omnes transfusæ successio est". Merito itaque *S. Augustinus* Pelagianis opponebat Patrum auctoritatem : " Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credit antiquitus, sed tu, qui hoc negas, sine dubio novus es hæreticus...[5] Propter quam catholicam veritatem sancti ac beati in divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes, *Irenæus*, *Cyprianus*, *Reticius*, *Olympius*, *Hilarius*, *Ambrosius*, *Gregorius*, *Innocentius*, *Joannes* (*Chrysost.*), *Basilius*, quibus addo presbyterum, nolis velis, *Hieronymum*, ut omittam eos qui nondum dormierunt, adversus vos proferunt *de omnium hominum peccato originali* obnoxiâ successione sententiam[6]".

677. B) Contra *Pelagianos*[7], disertius propugnavit *S. Augustinus* existentiam peccati originalis ope Scripturæ, Traditionis et rationis : confirmabat enim thesim catholicam ex miseriis hujus vitæ quæ ipsos infantes afficiunt et *tanto gradu*

---

[2] *Adv. Hæres.*, l. V, c. 13, n. 3, *P. G.*, VII, 1168, JOURNEL, 255. Cfr. S. JUSTINUS, *Dial. cum Triph.*, n. 88, *P. G.*, VI, 686, JOURNEL, 140; THEOPHIL. ANTIOCH., *Ad Autolyc.*, II, 25, *P. G.*, VI, 1092, JOURNEL, 183.

[2] *In Levit.*, VIII, 3, *P. G.* XIII, 1334, JOURNEL, 496. Cfr. TERTULLIANUS, *De testim. animæ*, c. 3, *P. L.*, I, 613, JOURNEL, 286.

[3] *Contra Manich.*, 8, *P. G.*, XXXIX, 1096, JOURNEL, 1077.

[4] *Apol. prophetæ David*, *P. L.*, XIV, 915, JOURNEL, 1291.

[5] *De nup. et concup.*, l. II, c. 12, n. 25, *P. L.*, XLIV, 450.

[6] *Contra Julian.*, l. II, c. 10, n. 33, *P. L.*, XLIV, 697, JOURNEL, 1899.

[7] *Pelagius* docebat Adamum, mortalem creatum, gratiâ ornatum non fuisse, peccatum ejus ipsi soli non autem humano generi nocuisse, infantes omnes nasci in eodem statu quo fuit Adam ante peccatum, ideoque posse, non suscepto baptismate, *vitam æternam* ingredi, etsi *a regno cælorum* exsules manerent. Distinguebat enim inter *vitam æternam* seu beatitudinem, et *regnum cælorum* ad quod ingrediendum *baptismus* necessarius erat secundum *Joan.*, III, 5. Juxta eum, *naturâ* sumus *boni*, sed *baptismo* et *gratiâ meliores* : in baptismate conferuntur illuminatio spiritualis, adoptio filiorum Dei, municipatus Jerusalem cælestis, sanctificatio atque in Christi membra translatio, et possessio regni cælorum.

in nobis sæviunt ut, nisi admittatur quædam originalis culpa, Dei sanctitati et justitiæ contrariæ videantur [1].

Insuper S. Augustinus concilia provincialia coadunavit ad Pelagianismum condemnandum. *C. Carthaginense* (418) statuit, can. 1-2 : "Ut quicumque dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret non peccati merito, sed necessitate naturæ, A. S. Item placuit ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur... A. S." [2] Quod decretum specialiter approbavit *Zozymus*, qui et *epistolam tractoriam* scripsit, in quâ fidem Ecclesiæ recte exposuit [3]. Postea, an. 431, *C. Ephesinum* [4] Pelagianismum iterum damnavit. *S. Cœlestinus*, pariter Innocentii et Zozymi decreta confirmans, Semi-pelagianorum errores reprobavit [5].

II. *De effectibus peccati originalis in Adami posteris.*

678. **A) In præsenti vitâ : a)** primus effectus est *privatio gratiæ sanctificantis. De fide est* ex *C. Tridentino* declarante Adamum non solum sibi, sed *nobis* amisisse gratiam seu justitiam originalem [6]; et addente hanc conditionem, quâ scilicet protoparentes facti sunt *servi peccati et mortis*, ad posteros transiisse, ita " ut non modo Gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi inde liberari aut surgere possent [7]"... Illa gratiæ amissio est simul peccatum et pœna peccati : quatenus habitualis *aversio* a Deo, est peccatum, seu status peccaminosus; quatenus *privatio* doni antea concessi, est pœna.

b) Secundus effectus est *privatio donorum integritatis.* Quod constat pariter ex *Trident.* declarante " totum Adam secundum corpus et animam in deterius commutatum

[1] *Contra Jul.*, VI, 67 sq., *P. L.*, XLIV, 863 sq.; *Cont. Jul. op. imperf.*, I, 27, 29, 49; II, 87, 119; V, 48, 64; VI, 36; *P. L.*, XLV, 1061 sq.; *De Civit. Dei*, l. XXII, c. 22, 1-3, *P. L.*, XLI, 784-785.
[2] DENZ., 101-102 (65-66).
[3] *P. L.*, t. XLV in appendice, p. 1750. — [4] DENZ., 126 (85).
[5] *Ep. 21 ad Ep. Galliarum*, 431, apud DENZ., 129-142 (87-97).
[6] Sess. V, can. 2. — [7] Sess. VI, cap. I, DENZ., 793 (675).

fuisse[1]". Eâ amissione donorum præternaturalium dicitur homo *vulneratus*. Præter passibilitatem et mortalitatem quæ sunt in corpore, in animâ quatuor sunt vulnera : 1) vulnus *ignorantiæ*, per quod *intellectus* ita debilitatur per comparationem ad statum justitiæ originalis, ut difficile verum, imprimis practicum et morale, cognoscat, facile in errorem labatur, et ad res temporales considerandas magis inclinetur quam ad res æternas; 2) vulnus *malitiæ*, quo *voluntas*, comparative etiam, prona est ad mala, et ita debilitatur ut nonnisi cum difficultate vitia superet virtutesque excolat; 3) vulnus *infirmitatis*, quo *appetitus irascibilis* torpore laborat quando difficultates occurrunt, simulque pronus est ad inordinate irascendum; 4) vulnus *concupiscentiæ*, quo *appetitus concupiscibilis* immoderate fertur ad bonum sensibile, etiam contra ordinis rationem.

Notandum est tamen vim concupiscentiæ non esse in omnibus æqualem, ut apprime norunt spirituales directores animarum. Quod sic declarari potest, juxta *S. Thomam*[2] : ante peccatum originale, vires animæ continebantur vinculo originalis justitiæ; soluto hujusmodi vinculo, unaquæque vis in suum objectum tendit, et tanto vehementius quanto fuerit fortior. Atqui vires et passiones hominis vehementiores sunt in uno quam in altero, propter diversas corporis complexiones.

c) Tertius effectus est *dominatio dæmonis* super genus humanum, juxta hæc verba *S. Petri*[3] : " A quo quis superatus est, hujus et servus est ".

679. **Controvertitur** autem inter theologos num homo sit debilior in statu naturæ lapsæ quam fuisset in statu naturæ puræ.

a) Quidam theologi, post *S. Augustinum*, docuerunt naturales vires hominis per peccatum originale *intrinsece* fuisse debiliores factas ad bonum. Sed talis sententia rejicienda videtur; nam 1) æquum non est ut quis, sine propriâ et personali culpâ, naturalibus dotibus sibi debitis spolietur, et 2) aliunde Deum non decet infundere in animam nostram aliquem habitum positivum ad malum inclinantem.

---

[1] Sess. V, can. 2. — [2] *Sum. theol.*, 1ª 2ᵃᵉ, q. 82, a. 4, ad 1.
[3] *II Petr.*, II, 19.

b) Multi *Thomistæ*, inter quos *Goudin* et *Billuart*[1], contendunt vires hominis naturales non quidem intrinsece minutas fuisse, sed solum *extrinsece*, quatenus sunt in præsenti statu obstacula extrinseca quæ non adfuissent in statu naturæ puræ, scilicet, *tyrannis diaboli*, *aversio a Deo ut fine naturali*, *auxiliorum subtractio* aliaque hujusmodi.

Hæc sententia nobis probabilior videtur : 1) et quoad tyrannidem diaboli quæ in ordine naturali non existeret sicuti post peccatum; et 2) quoad subtractionem auxiliorum : etenim in statu naturæ puræ Deus sibi debuisset homini concedere auxilia naturalia quibus hic moraliter potuisset tentationes etiam graves superare, dum in statu præsenti, supernaturalibus sepositis auxiliis, versamur in quâdam impotentiâ morali omnes graves tentationes collective sumptas vincendi, et bonum valde arduum operandi. Non autem constat Adæ posteros, per peccatum originale, aversos esse a Deo ut fine naturali; nam homo naturaliter tendit ad Deum, et nil probat illam naturalem tendentiam per peccatum originale mutatam fuisse[2].

c) *Suarez*, *Bellarminus*[3], plerique theologi Societatis Jesu et alii multi, ulterius progredientes, docent vires hominis naturales *neque intrinsece neque extrinsece diminutas esse*, et hominem *esse nunc in eodem statu ac fuisset in statu naturæ puræ*, cum illâ exceptione quod nunc destinatus manet ad finem supernaturalem. Nec objici potest in contrarium axioma in Scholâ communiter receptum, scilicet hominem per peccatum originale fuisse *gratuitis spoliatum et vulneratum in naturalibus;* nam sensus hujus axiomatis est hominem spoliatum fuisse gratuitis, id est gratiâ aliisque donis tum supernaturalibus tum præternaturalibus, et consequenter vulneratum fuisse in naturâ, quæ deinceps caruit integritate suâ, non debitâ quidem, sed tamen connaturali. " Quare, ait *Bellarminus*[4], non magis differt status hominis post lapsum Adæ a statu ejus in puris naturalibus quam differat *spoliatus* a *nudo...* " — Quæ quidem opinio probabilis est, sed non videtur tamen sufficienter explicare verba Patrum et Conciliorum

---

[1] Cf. GOUDIN, *de Gratiâ*, q. II, a. 4, concl. 3; BILLUART, *de Gratiâ*, diss. II, a. 3.

[2] Hinc quando dicimur *naturâ filii iræ, inimici Dei*, id de ordine *supernaturali* intelligendum est, non de ordine naturali. Vix enim concipi potest quomodo Deus creare possit animam naturaliter a seipso aversam.

[3] Cf. SUAREZ, *De Gratiâ*. Prolegom. IV, c. 9; BELLARMINUS, *De Gratiâ primi hominis*, c. 5.

[4] *Loc. cit.*

quibus asseritur hominem lapsum, etsi liberum, viribus esse attenuatum; nec istam moralem impotentiam ad verum cognoscendum, bonum arduum operandum gravesque tentationes superandas, quam admittunt theologi et quotidiana confirmat experientia.

680. **B) In alterâ vitâ** : *Decedentes cum solo peccato originali* (*parvuli scilicet et perpetuo amentes non baptizati*), *visione Dei intuitivâ non fruentur.* De fide est ex *Florent.* quod definivit, " illorum animas qui in actuali mortali peccato vel *solo originali* decedunt, mox *in infernum* descendere, pœnis tamen disparibus puniendas [1] ". Jamvero in inferno non datur visio beatifica : ergo.

Notandum est autem vocem *infernum* (*sheol*) non designare necessario locum in quo sunt damnati adulti, sed designare omnia receptacula cælo inferiora, et complecti tum Limbum, tum Purgatorium, tum infernum proprie dictum, et insuper sensum decreti optime determinari decreto *Innocentii III*, qui accurate distinguit inter pœnam peccati actualis et pœnam peccati originalis : " Pæna *originalis* peccati est *carentia visionis Dei; actualis* vero pœna peccati est gehennæ perpetuæ *cruciatus* [2] ". — Ceterum decrevit *Trident.* baptismum parvulis necessarium esse ad vitam æternam consequendam [3].

681. **Controvertitur** : 1° Num decedentes cum peccato originali *tristitiam* habeant ex privatione visionis beatificæ.

a) Alii, cum *Bellarmino*, affirmant, quia parvuli aut amentes cognoscent, saltem in judicio, se privatos esse maximo bono, et non poterunt non dolere de tali amissione : fatentur tamen ipsorum dolorem fore mitissimum [4].

b) Alii vero multo probabilius negant cum *S. Thomâ* [5] qui hanc rationem affert : " Hoc est superexcedentis gratiæ ut aliquis sine actu proprio præmietur : unde defectus talis gratiæ non magis tristitiam causat in pueris decedentibus non baptizatis quam in sapientibus hoc quod in eis multæ gratiæ non fiunt, quæ in aliis similibus factæ sunt ". Unde, etiamsi cognoscerent se gloriâ privatos esse, de hoc non dolerent,

---

[1] DENZ., 693 (588).
[2] Lib. III *Decretal.*, tit. 42, c. 3, DENZ., 410 (341); cf. 102, 175 (66, 145).
[3] Sess. V, can. 4, DENZ., 791 (673).
[4] BELLARMINUS, *op. cit.*, l. VI, c. 6-7.
[5] *In 2 Sent.*, dist. 33, q. 2, a. 2.

quia scient se nunquam fuisse proxime proportionatos ad gloriam æternam consequendam[1].

2° Num decedentes cum solo originali peccato, *pœnam sensûs* seu *ignis patiantur*.

a) Quidam inter Patres Latinos, præsertim *S. Augustinus*[2], docuerunt illos parvulos pœnam sensûs, mitissimam tamen, experiri. Ratio est quia illi descendunt in infernum; jamvero in inferno est pœna ignis.

b) *Communissima* tamen sententia, a Patribus Græcis et omnibus fere Scholasticis propugnata, tenet illos parvulos nullomodo pœnam sensûs experiri. Hæc autem sententia tuto teneri potest, ut constat : 1) ex damnatione propositionis 26 Synodi *Pistoriensis*, quæ hanc sententiam ut fabulam pelagianam reprobabat[3]; 2) ex decreto *Innoc. III* superius allato (n. 680); 3) *ratione theologicâ :* non videtur divinæ justitiæ consentaneum ut *positivam* pœnam imponat iis qui voluntate *propriâ* non peccaverunt[4].

3° Num decedentes cum solo originali peccato *naturali beatitudine gaudeant.*

a) Multi theologi *negant :* 1) quia ex *Florentino* hujusmodi decedentes in *infernum* descendunt, *pœnis* disparibus puniendi; 2) quia remanent aversi a Deo, etiam tanquam *fine naturali.*

b) Alii, cum *Sfondrati*, *Suarez* et *Lessio*[5] *affirmant*, quia nimis durum videtur eos privare bonis naturalibus propter culpam, quæ non est voluntaria voluntate personali. Cui sententiæ favet S. Thomas[6] : " Quamvis pueri non baptizati sint separati a Deo, quantum ad illam conjunctionem, quæ est per gloriam, non tamen ab eo penitus separati sunt. Imo ipsi conjunguntur per participationem naturalium bonorum : et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione ". Hæc opinio hodie communior evadit. Nec tamen dici debet hos parvulos *suum* finem assequi; nam destinati fuerant ad finem supernaturalem, quo privantur, et, sub hoc respectu, in statu *damnationis* sunt.

---

[1] Cf. SUAREZ, *de Peccatis*, disp. IX, sect. 6. — [2] *Sermo 294.*
[3] DENZ., 1526 (1389). — [4] Cfr. S. THOMAS, *de Malo*, q. 5, a. 2.
[5] Cfr. SUAREZ, *De Vitiis et peccatis*, disp. IX, s. 2, n. 18; LESSIUS, *de Divinis perfectionibus*, XIII, 22 sq.
[6] *In II Sent.*, dist. 33, q. 2, a. 2, ad 5.

Quæcumque autem opinio speculative eligitur, *urgendi* sunt *parentes* ut quam citissime infantes baptizatos habeant, ne hi æternâ beatitudine supernaturali careant, quin tamen asseratur eos secùs igne cruciandos esse.

III. *De naturâ originalis peccati.*

682. 1° Protestantium errores. Protestantes (exceptis Socinianis, Unitariis et Liberalibus) contenderunt originale peccatum essentialiter consistere : **a**) in *vehementi concupiscentiâ*, quæ tanta est ut *liberum arbitrium exstinguat* (ita *Lutherus* et *Calvinus*), **b**) imò et *ipsam substantiam hominis funditùs corrumpat* (*Flaccius Illyricus*). Lutheri hæresim, tantisper temperatam, renovârunt *Jansenistæ*, qui et ipsi docuerunt concupiscentiæ inesse reatum culpæ, et per eam liberum arbitrium ita minui ut delectatione terrenâ *necessario* trahatur, nisi gratiâ efficaci juvetur.

683. 2° Patrum et theologorum opiniones ante Tridentinum.

Jam *S. Augustinus*[1] originale peccatum in concupiscentiâ, imprimis carnali, alio tamen sensu ac Protestantes agnoverat, distinguens in eâ duplicem respectum : reatum scilicet *culpæ* et *pœnam* peccati. Reatum autem culpæ docebat per baptismum tolli, etsi concupiscentia, ut est pœna peccati, remaneat in baptizatis. Itaque non expresse quidem, sed vere tamen includebat in naturâ peccati originalis privationem justitiæ et gratiæ[2].

S. Anselmus[3] docebat originale peccatum situm esse in *privatione justitiæ originalis* seu *rectitudinis voluntatis*, id est, probabilius[4] in privatione gratiæ et donorum præternaturalium.

Juxta *S. Thomam*[5], qui SS. Augustini et Anselmi theorias consociavit et expolivit, consistit essentialiter peccatum originale in *destitutione justitiæ originalis;* et quia hæc duo complectebatur, *gratiam* scilicet et donum *integritatis*, peccatum duplici constat elemento, *formali*,

[1] Cf. TIXERONT, II, 436-482.
[2] Cf. PORTALIÉ, *S. Augustin*, in *Dict. de théol.* (*Vacant*), I, 2933, 2395-96; TIXERONT, II, 463-465.
[3] *De Conceptu virginali et originali peccato, P. L.*, CLVIII, 432-464.
[4] R. M. MARTIN, *La question du péché originel dans S. Anselme*, in *Revue des Sc. philos. et théol.*, t. V, 1911, p. 735-749.
[5] *Sum. th.*, 1a 2æ, q. 81, a. 1; *de Malo*, q. 4, a. 1.

nempe *privatione gratiæ*, et *materiali*, nempe *concupiscentiâ*[1].

Paulo ante Tridentinum, *A. Catharinus* et *A. Pighius*, strenui defensores fidei catholicæ contra Protestantes, docuerant peccatum originale *formaliter esse peccatum actuale Adami ejus posteris extrinsece imputatum*, privationem vero gratiæ esse tantum *pœnam* non autem essentiale elementum originalis peccati.

684. 3° **Tridentina definitio.** Definivit autem Concil. Trid.[2] Adam *acceptam a Deo sanctitatem et justitiam nobis etiam perdidisse et in omne genus humanum transfudisse peccatum, quod est mors animæ, — Adæ peccatum origine unum, propagatione transfusum omnibus, inesse unicuique proprium, — parvulos ex Adam trahere originale peccatum quod regenerationis lavacro necesse est expiari ad vitam æternam consequendam, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt, — in baptismate remitti reatum originalis peccati, tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, et non tantum radi aut non imputari; manere autem in baptizatis concupiscentiam, quæ vere et proprie in renatis peccatum non est.*

Quâ definitione Concilium Protestantium errorem damnavit, non vero theoriam Catharini et Pighii, quæ tamen cum *Tridentino* vix conciliari potest : non videtur enim quomodo id quod extrinsece imputatur possit *inesse unicuique proprium*, esse *transfusum propagatione*, *regeneratione mundatum*...

685. 4° **Post-Tridentinæ opiniones. A)** Unde quidam theologi[3], ad emendandam Catharini theoriam, dixerunt peccatum originale esse *ipsum peccatum Adami, quatenus a posteris ejus moraliter commissum, et in eis moraliter perseverans, eos Deo odibiles reddit*, ita ut privatio gratiæ sit tantum *effectus* originalis peccati. In quâ theoriâ Adæ peccatum est ejus posteris sane proprium per moralem inclusionem voluntatum nostrarum in volun-

[1] Retinet tamen *S. Thomas* modum loquendi S. Augustini, præsertim quando asserit baptismo peccatum originale tolli quidem quoad *reatum*, sed remanere *actu* quantum ad *fomitem*, qui est inordinatio partium inferiorum animæ et etiam corporis. (1ª 2æ, q. 81, a. 3, ad 2).
[2] Sess. V, DENZ., 787 sq. (669 sq.)
[3] SALMERON, TOLETUS, CARD. DE LUGO, WIRCEBURGENSES.

tate protoparentis; sed tamen *non realiter nobis inest* ut status peccati nisi *per* privationem gratiæ, quâ præcise realis fit hæc moralis solidaritas.

686. **B**) Hinc communis evasit sententia peccatum originale esse *privationem gratiæ sanctificantis*, *quâ avertimur a Deo ut fine supernaturali quatenus nobis est aliquo modo voluntaria ex nostrâ cum Adamo connexione* [1].

Scilicet peccatum originale : **a**) non est *actus*, sed *status* peccaminosus qui inficit directe naturam (peccatum *naturæ*) [2] et indirecte personam : gratia scilicet a Deo concessa erat Adæ non tantum sibi retinenda, sed suis filiis et posteris communicanda, quasi *dos specifica naturæ humanæ* et *accidens speciei;* idcirco Adam, ob peccatum suum quo hanc gratiam amisit, nobis transmittit naturam privatam gratiâ quæ secundum positivam Dei ordinationem nobis inesse deberet [3], ac propterea, et in eo sensu, nascimur Deo odibiles, filii iræ et peccatores, in statu mortis spiritualis : peccatum enim originale consistere debet in privatione illius rei quæ per baptismum redditur; sed id quod in baptismo confertur est gratia sanctificans. **b**) Est etiam in nobis *voluntarium*, cùm secùs non esset peccatum, non vero voluntarium in se ex actu nostræ voluntatis, cùm incurratur antequam libere agere possimus, sed in causâ ex actu peccaminoso Adæ, qui utpote caput non solum physicum sed *morale* totius generis humani, libere peccavit et amisit *sibi* et *nobis* illam gratiam : uno verbo, quatenus est *effectus* in nobis actûs voluntarii et culpabilis a capite nostro commissi.

Debuit enim Adam constitui *caput nostrum morale* ut simul cum vitâ naturali, nobis communicaret vitam supernaturalem quæ ordinem causalitatis naturalis transcendit. Non videtur esse insuper admittendum *pactum explicitum* inter Deum et Adamum, nam nullibi tale pactum commemoratur; et aliunde consensus Adami minime necessarius erat.

---

[1] Quæ definitio ad fidem non spectat, quia Ecclesia hucusque non definivit in quo consistat essentia originalis peccati; sed doctrina, quam exponimus, eadem est ac ea quæ Patribus *Vaticanis* in schemate proposita fuit, et explicationes nostræ desumuntur ex Annotationibus theologorum, ut videre est in *Actis C. Vatic.*, pp. 517, 549.

[2] Lege CARD. BILLOT, *opusculum de peccato originali.*

[3] Cf. S. THOMAS, *de Malo*, q. 4, a. 1.

Corollaria.

687. 1° *Peccatum originale simul cum generatione transmittitur.*

A) Etenim, ex dictis, illi soli incurrunt originale peccatum quorum Adamus caput morale constitutus est; atqui Adamus non erat caput nisi posteritatis suæ, id est eorum quos ipse active erat generaturus.

B) Confirmatur ex *Tridentino* dicente [1] : " Hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, et *propagatione* non imitatione transfusum ". Quæ quidem verba dupliciter intelligi possunt : a) eo sensu quod generatio est veluti *causa instrumentalis* peccati originalis, sicut fuisset *vehiculum* gratiæ in statu innocentiæ; b) vel quatenus est tantummodo *conditio sine quâ non.* Hoc ultimum sufficit ad salvandam fidem, prout constat ex *Tridentini* verbis [2].

688. 2° *Peccatum originale in nobis est minimum in ratione voluntarii.* Nam, ex dictis, non est voluntarium in nobis voluntate propriâ, sed voluntate capitis nostri. Hinc ait *S. Thomas* [3] : " Inter omnia peccata minimum est originale, eo quod minimum habet de voluntario. Non enim est voluntarium voluntate istius personæ, sed voluntate principii naturæ tantum ".

3° Si Eva sola peccâsset, probabiliter posteri non contraxissent originale peccatum. Nam Adamus solus, non autem Eva, constitutus est procurator noster, juxta illud : " Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit ".

4° Si Adamus, ante peccatum, genuisset filios, hi non contraxissent originale peccatum; quia gratia, semel habita, non videtur posse amitti nisi propriâ voluntate.

5° Juxta S. Thomam, primum Adæ peccatum induxit in posteros originale peccatum. Alia vero peccata, si commiserit, non fuerunt transmissa ejus posteris, quia non erat caput morale nostrum, nisi ad communicandam nobis gratiam ut accidens speciei, si in justitiâ perseveraret, aut ejus privationem statim ac peccaret.

IV. *De concordiâ originalis peccati cum ratione.*

Ostendemus : 1° originale peccatum non repugnare; 2° originali peccato admisso, melius explicari præsentem generis humani conditionem.

---

[1] Sess. V, 3; DENZING., 790 (672).
[2] Sess. VI, cap. 3; DENZING., n. 795 (677).
[3] *In II Sent.*, dist. 33, q. 2, a. 1, ad 2.

689. 1° **Peccatum originale non repugnat :** **A)** *In se :* **a)** neque ex parte *divinæ justitiæ*, cùm sit solum privatio gratiæ et donorum supernaturalium seu *rei indebitæ*, peccati autem rationem induat solum in eo quod ita privamur gratiâ, contra voluntatem Dei et ex aliquâ culpâ a capite nostro commissâ : sane Deus poterat gratiam generi humano dare sub conditione quod Adam, caput morale nostrum, non peccaret, et sic hæreditatem et solidaritatem quæ naturaliter vigent inter patrem et descendentes quoad dona naturalia, protendere ad gratuita et supernaturalia; **b)** neque ex parte *divinæ sapientiæ :* Deus enim conferendo protoparenti potestatem nobis transmittendi gratiam, jam sufficienter nobis providebat medium ad finem nostrum supernaturalem attingendum; sed insuper, post Adami lapsum, aliud medium mirabilius et efficacius providit per Redemptionem; **c)** neque ex parte *divinæ bonitatis :* non obstante enim peccato originali, homo integra servat sua naturalia, imo auxiliis superabundantis gratiæ ad finem supernaturalem denuo instruitur per Christum : " O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem ! ".

690. **B)** *Ex parte transmissionis.* Etenim : **a)** quando Deus creat animam, nullam maculam, nullum vitiosum habitum in eam ipse infundit, sed eam producit talem qualis fuisset in statu naturæ puræ; si autem ei non infundit gratiam sanctificantem, hoc Adæ soli tribuendum est, qui non servavit conditionem, sub quâ talis gratia communicanda erat; **b)** parentes, dum generant pueros, opus *ex se* bonum faciunt, et si parvuli ab ipsis geniti nascuntur gratiâ privati, id nec intenditur nec efficitur a parentibus ipsis, sed per accidens evenit, non ex ipsorum, sed ex Adami culpâ.

691. 2° *Existentiâ originalis peccati semel admissâ,* **melius explicatur præsens humani generis conditio. a)** Homo enim, in præsenti vitâ, tot tantisque miseriis involvitur ac veluti obruitur, tam facile a Deo avertitur, tam vehementer ad illicita trahitur, tam mollis ad labores, tam pronus ad libidines esse videtur ut, licet hujusmodi defectus stricte loquendo fluere possint ex ipsâ hominis constitutione, tamen, divinâ providentiâ suppositâ, melius certo explicentur si reputantur pœnales et sic infertur

"humanum genus peccato aliquo originaliter esse infectum [1]". Aut saltem ea nunc videtur impotentia et indigentia hominis sine gratiâ, ut *œconomia præsens*, juxta quam nempe homo per peccatum Adæ *spoliatus gratuitis* et *vulneratus in naturalibus*, sensu supra exposito, solâ gratiâ Redemptoris salutem et beatitudinem assequi potest, multo melius consistat quam quælibet alia hypothesis, **b**) Confirmatur variis populorum traditionibus apud paganos, poetas et philosophos consignatis, in quibus plus minusve explicite existentia lapsûs agnoscitur. Sic, inter *Græcos*, *Hesiodus* describit *Promethei* fatum, qui, postquam ignem e cælo eripuit, non solum in se crudeles pœnas luit, sed etiam causa fuit cur cujuscumque generis mala totum terrarum orbem pervaserint.



[1] *C. Gent.*, l. IV, c. 52.

TRACTATUS VIII.

DE VERBO INCARNATO ET REDEMPTORE.

Credo... et in Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, Dominum nostrum...

692. In *Tr. de Deo Creante et Elevante*, de Dei operibus ad extra disputavimus, de Angelis et Homine, præsertim vero de elevatione protoparentum ad statum supernaturalem et eorum miserabili lapsu; hic dicemus de hominis redintegratione per Christum Redemptorem.

Duo sunt mysteria exponenda : *Incarnatio* Verbi, seu mysterium unionis hypostaticæ duplicis naturæ, divinæ et humanæ, in unicâ scilicet personâ quæ *Christus* dicitur; et *Redemptio* seu opus a Christo Salvatore peractum, propter nostram salutem : de quibus seorsim disseremus, addentes, per modum consectarii, ea quæ respiciunt *cultum Christi et Sanctorum.*

CAPUT I.

Mysterium Incarnationis seu Christologia.

In triplici articulo dicemus : 1° de *unione hypostaticâ;* 2° de hujus *consectariis quoad personam assumentem;* 3° de ejus *consectariis quoad naturam assumptam.*

ART. I. DE UNIONE HYPOSTATICÂ.

§ I. De genuino conceptu unionis hypostaticæ et erroribus quibus adulteratus est.

693. I. **Notio Incarnationis.** A) *Quoad nomen,* mysterium Incarnationis vocatum est :

a) Ratione *originis*, *missio Filii*, *exitus* a Patre, *descensus* e cælo; b) ratione *termini*, *adventus* in mundum, *assumptio* humanitatis, *exinanitio* Verbi, *Epiphania*, *œconomia* seu

attemperatio quâ Deus in hoc mysterio infirmitati nostræ sese accommodavit; c) ratione *effectûs*, *unio*, *adunatio*, *unio hypostatica*, *incorporatio*, *inhumanatio;* d) sed præcipue *incarnatio* seu unio cum carne, non quidem eo sensu quod Verbum solam carnem assumpserit, sed ad plenius significandum, Ipsum non solum superiorem, sed etiam inferiorem humanæ naturæ partem assumpsisse : vox enim *caro* sæpe sæpius in Scripturâ totum hominem designat : " Videbit omnis *caro* salutare Dei[1] ".

694. B) *Quoad rem*, Incarnatio, ad mentem Conciliorum *Ephesini*, *Chalcedonensis* et *Constantinopolitani III*, definiri potest : *unio hypostatica duplicis naturæ*, *divinæ et humanæ*, *in unicâ Verbi personâ*, *ex quâ unione unus est Christus*. Dicitur :

a) *Unio hypostatica*, id est non mere accidentalis, seu per concordiam voluntatum vel meram inhabitationem, vel collationem alicujus extrinsecæ dignitatis, sed vere *substantialis*[2]; *nec tamen naturalis* seu ex duabus naturis unicam efficiens naturam, sed *personalis*, ita ut duæ naturæ, quæ uniuntur, integræ maneant, et tamen unicam efforment personam : "nusquam sublatâ differentiâ naturarum propter unionem"[3], ut ait C. *Chalcedonense*.

b) *in unicâ Verbi personâ*, id est, natura humana *directe* unita fuit personæ Verbi, non autem naturæ divinæ quæ tribus personis communis est; insuper Verbum assumpsit naturam humanam integram, non autem personalitatem humanam, cujus Ipsum vices supplevit.

c) *Ex quâ unione unus est Christus*, nam ex illâ unione persona Verbi fit theandrica, id est, simul Deus et homo et vocatur Jesus Christus.

695. **II. Errores.** Mysterium Incarnationis varie in variis sæculis impugnatum est; quandoque *divinum* in Christo elementum, quandoque *humanum*, aut etiam *unionem* inter utrumque existentem hæretici perverse exposuerunt.

---

[1] *Luc.*, III, 6.

[2] Patres hanc unionem vocant *substantialem*, οὐσιώδη : " Substantialem enim hanc unionem dicimus, hoc est veram et non imaginariam; substantialem autem, non quod duæ naturæ unam compositam naturam effecerint, sed quod in unam Filii Dei compositam hypostasim inter se unitæ fuerint " (DAMASCENUS, *De Fide Orthod.*, III, 3, *P. G.*, XCIV, 993). Nonnulli eam vocant etiam *physicam* ut sic distinguatur a morali unione, imo *naturalem* et *essentialem*, non eo sensu quod unica sit in Christo natura aut essentia, sed ut significent unionem esse veram et realem, non autem moralem. Cf. DENZ.-BANN., 115 (75).

[3] DENZ.-BANN., 148 (137).

1° Errores antiqui. A) Primo sæculo, duo errores oppositi recenseri debent : **a**) *Ebionitæ*, a *Judaismo* conversi, *divinum* in Christo elementum negaverunt, asserendo Christum esse merum hominem; quod pariter dixerunt *Cerinthiani* seu discipuli Cerinthi, qui *gnosim* cum Judaismo miscebat. **b**) *Docetæ* seu *Phantasiastæ*, generatim a *paganismo* conversi, humanum in Christo elementum negârunt, docendo corpus Christi fuisse apparens et phantasticum[1].

B) *Sæc. IIo et IIIo*, duæ præcipuæ hæreses viguerunt : **a**) *Adoptianismus* (una ex formis Monarchianismi), juxta quem Christus est homo qui, tempore quo baptizabatur, a Deo in filium adoptatus, potestatem acceperat miracula patrandi; **b**) *Dualismus*, a Marcione et quibusdam Gnosticis propugnatus, juxta quem in Christo erat duplex elementum, unum quidem terrenum et humanum, alterum vero cæleste et divinum, priori accidentaliter unitum, ut ita redemptionem peragere valeret : ita præsertim *Valentiniani*.

C) *Quarto* sæculo, jam intimius mysterium Incarnationis investigatum est : **a**) *Ariani* admittebant quidem Verbum vere fuisse humanæ naturæ unitum, sed ejus *consubstantialitatem* cum Patre negabant, ideoque Christum perfectissimam creaturam esse dicebant. **b**) *Apollinaristæ*, sic dicti ab eorum duce, Apollinari, episcopo Laodicensi, humanam Christi naturam minuebant, asserendo hanc intellectu carere: tria principia, post Platonem, in homine admittentes, *corpus* scilicet, animam *sensibilem* (ψυχήν) et animam *intellectualem* (πνεῦμα), docebant Verbum assumpsisse quidem corpus et animam sensibilem, non autem animam intellectualem; nam Verbum ipsum, ut aiebant, vices tenet mentis in Christo.

D) Jam a sæculo *quinto*, primaria quæstio fuit *quomodo* duæ naturæ, divina scilicet et humana, in Christo uniantur; et hâc de re duo fuerunt errores oppositi, *Nestorianismus* et *Eutychianismus*, inter quos tertius error irrepsit sub prætextu utrumque conciliandi, *Monothelismus;* postea, sub nomine *Adoptianismi*, revixit mitigata forma Nestorianismi.

a) Erraverunt imprimis *Nestoriani*, qui unionem tantum moralem[2] inter divinam et humanam naturam admittebant, proindeque duas in Christo esse personas[3]. Damnati sunt

---

[1] Ambæ hæreses jam tempore S. Joannis existebant, qui eas impugnat in primo capite Evangelii et in primâ Epistolâ.

[2] Cf. *Anathematismos de Tribus Capitulis*, apud DENZ., 213 sq. (172 sq.).

[3] Ab hoc errore non satis recessit nostris diebus GÜNTHER, juxta quem persona est *natura sui conscia;* nam ex hoc sequitur duas in Christo esse personas, cùm duplex in eo sit natura sui conscia; et revera ejus discipuli docuerunt duas esse in eo personas, ita tamen unitas ut persona humana personæ Verbi subdatur, et ambæ personam compositam

in C. *Ephesino* (431). Quidam tamen isti hæresi adhærere non cessârunt et hodie *Chaldaicam* efformant ecclesiam.

b) *Eutychiani* in oppositum inciderunt errorem, docentes non solum unam personam, sed etiam unicam in Christo esse naturam : " Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum *ante unitionem; post unitionem vero, unam naturam* confiteor ". Eutyches ipse non explicavit quomodo ex duabus naturis ante unionem existentibus, unica tantum in Christo maneat; ejus discipuli variis modis illud explicârunt : alii dicebant humanitatem fuisse *absorptam* a divinitate, sicut guttula aquæ ab oceano absorbetur; alii docebant duas naturas fuisse *commixtas* et in tertiam transmutatas; alii hanc unionem omnino assimilabant *unioni* corporis et animæ.

Damnati sunt in Conc. *Chalcedonensi* (451), in quo suscepta et approbata fuit celebris Epistola *S. Leonis* ad Flavianum. Attamen hæresis Eutychiana hodie etiam viget in Armeniâ, Syriâ et Ægypto.

c) *Monothelitæ* mitigatum Eutychianismum professi sunt, dicentes unam esse *voluntatem* et *operationem* in Christo. Damnati sunt in *Concil. Constantinopol.* (680).

d) *Adoptiani*, nempe *Elipandus* archiepiscopus Toletanus et *Felix* episcopus Urgelitanus, in Hispaniâ, sæc. VIII, distinxerunt inter Verbum æternum, quem dicebant Filium Dei *naturalem*, et Filium Mariæ, quem *adoptivum* tantum Dei Filium vocabant. Ex quo logice sequebatur duas in Christo esse personas. Damnati sunt in Conc. *Ratisbonensi* et *Francofordiensi* (794).

696. 2° Moderni errores. A) Jam ab initio Reformationis, *Sociniani*, errores Ebionitarum et priorum Adoptianorum renovantes, docuerunt Christum fuisse quidem *divinitus missum*, sed esse tamen *merum hominem*, nec vocari posse Filium Dei nisi sensu lato, quia videlicet Deus specialiter habitabat in eo, eumque regebat et inspirabat. Hodierni *Unitarii* Socinianorum vestigiis inhærent.

B) Protestantes *liberales* hodie easdem opiniones profitentur[1], quamvis non explicite Unitariorum sectæ adhæreant. Admittunt quidem Christum seipsum dixisse Filium Dei, sed tantum lato sensu, vel quatenus sibi specialem cognitionem Dei ut Patris habuit et aliis tradidit, vel inquantum seipsum putavit Dei vicarium in stabiliendo regno Dei proxime ven-

efforment. Quod damnatum est a PIO IX, 15 Jun. 1857 (DENZING., 1655 (1509).

[1] Ita A. RÉVILLE, A. SABATIER, MÉNÉGOZ, E. DOUMERGUE.

turo. — Quidam vero, ad mythicas theorias redeuntes, eo usque procedunt ut ipsam Christi existentiam negent[1].

C) *Modernistæ* contendunt Jesum fuisse tantummodo regni Dei præconem, nec unquam dixisse se Filium Dei esse sensu theologico; sed discipulos eum, post passionem, tanquam Messiam prædicâsse, posteaque christianos, hellenicis theoriis circa *Logon* imbutos, eum tanquam Verbum divinum adorâsse[2].

Itaque, aiunt, "divinitas Jesu Christi ex Evangeliis non probatur, sed est dogma quod conscientia christiana e notione Messiæ deduxit[3]", elaborando scilicet judaicos conceptus circa Messiam græcarum ope doctrinarum.

§ II. Thesis fundamentalis de unione hypostaticâ.

697. Thesis : *Natura divina et natura humana hypostatice unitæ fuerunt in unicâ personâ Verbi, ita ut Jesus Christus sit verus Deus et verus homo.* De fide est contra Nestorianos, Eutychianos, Unitarios, Liberales et Modernistas, ex *C. Chalcedonensi* definiente, "*unum eumdemque Christum*, Filium Dominum unigenitum, in *duabus naturis inconfuse*, *immutabiliter*, *indivise*, *inseparabiliter* agnoscendum, *nusquam sublatâ naturarum differentiâ* propter *unitionem*, magisque *salvâ proprietate utriusque naturæ*, et in *unam personam* atque *subsistentiam concurrente*, non in *duas personas* partitum atque divisum, sed *unum et eumdem Filium unigenitum Deum*, Verbum Dominum, Jesum Christum[4]".

698. Animadvertere licet thesim proponi et definiri sub duplici formâ, nempe formâ abstractâ et magis scientificâ : *natura divina et natura humana hypostatice unitæ sunt in personâ Verbi*, et formâ concretâ et, ut ita dicam, populari : *Jesus Christus est verus Deus et verus homo.* Jamvero *chronologice* forma concreta prior invenitur apud scriptores N. Testamenti et Patres apostolicos, forma autem abstracta nonnisi successive elaborata fuit, eliminando errores contrarios.

---

[1] Quomodo *Liberales* progressive ceciderint in rationalismum, pantheismum, mythismum et evolutionismum, erudite declarat L.-Cl. Fillion, *Les étapes du Rationalisme*, Paris, Lethielleux, 1911.

[2] Decret. *Lamentabili*, 27 sq., Denz.-Bann., 2027 sq.

[3] Proposito 27 damnata in Dec. *Lamentabili.* Modernismum fusius exposuimus in *Additamentis ad Synopsim theologiæ*, 1912.

[4] Denz.-Bann., 148 (137).

Ad thesim vero demonstrandam, ostendemus : 1° Christum esse vere *Deum;* 2° eum vere esse *hominem* et quidem *integrum;* 3° in eo naturam divinam et naturam humanam *uniri secundum personam.*

I. *Probatur Ia pars thesis, nempe Christum esse verum Deum.*

699. Fatentibus adversariis, Ecclesia catholica, jam a sæculo IV, certe hoc dogma docuit tanquam ab ipso Christo et Apostolis traditum : quod, juxta principia in *Tr. de Ecclesiâ* statuta, est invictum veritatis argumentum. Expedit tamen, ad confutandos adversarios [1], *directe* divinitatem Christi probare :

1° Ex testimonio ipsius *Christi* in Synopticis Evangeliis [2], ubi Christus : **A)** omnibus hominibus Angelisque superiorem se facit. Major est Salomone et Jonâ [3]; Davide, qui Eum vocat Dominum suum [4]; Moyse et Eliâ, ut patet ex Transfigurationis narratione [5]; ipso Joanne, quo inter natos mulierum non surrexit major [6]. Major est Angelis, quos ipse vocat Angelos suos [7], qui ei ministrant [8],

---

[1] Quo melius intelligatur argumentum, sciendum est adversarios ita explicare evolutionem hujus dogmatis. 1° Juxta quosdam, præsertim *Liberales*, hujus evolutionis præcipua stadia hæc sunt : a) In Actibus Apostolorum et Synopticis, Christus est Dei legatus, Messias, sed nihil amplius; b) Paulus Christi præexistentiam, non autem divinitatem docet; c) in quarto Evangelio Christus vocatur Deus, attamen inferior est Deo; d) in Traditione Christus paulatim æternus et Deo æqualis agnoscitur. 2° Alii vero, præsertim recentiores, v. g., Loisy, Harnack, non negant doctrinam nostram inveniri apud Paulum ,et in verbis quæ in Evangeliis Christo tribuuntur; sed contendunt Paulum errâsse, et postea Evangelistas, sub influxu Paulinæ prædicationis, falso suam fidem Ipsi Christo adscripsisse.

[2] Ut valeat argumentum ex testimonio Christi desumptum, tria probanda sunt : 1) verba quæ in Evangelio Christo tribuuntur sunt revera verba Christi; 2) In his verbis Christus se esse Deum affirmat; 3) Christi affirmatio verax est. Porro, ex genuinitate et historicitate Evangeliorum (*Tr. de Verâ Relig.*, n. 80-83), necnon ex eorum inspiratione (*Tr. de Fontibus Rev.*, n. 292-295), primum jam sufficienter constat. Tertium vero jam probatum est (*Tr. de Verâ Relig.*, n. 93-96), nec ab adversariis negatur. Secundum ergo tantum remanet probandum, scilicet Christum revera se Deum declaravisse.

[3] *Matth.*, XII, 41-42; *Luc.*, XI, 31-32.

[4] *Marc.*, XII, 35-37; *Luc.*, XX, 41-44; *Matt.*, XXII, 41-46.

[5] *Matth.*, XVII, 1-9; *Marc.*, IX, 1-9; *Luc.*, IX, 28-36.

[6] *Matt.*, XI, 1-11; *Marc.*, I, 7; *Luc.*, VII, 26, 28.

[7] *Matt.*, XIII, 41; XVI, 27; XXIV, 31.

[8] Cf. *Matt.*, IV, 11; XXVI, 53; *Marc.*, I, 13; VIII, 38; XIII, 32; *Luc.*, IX, 26.

quos in die judicii Ipse jubebit congregare electos suos a quatuor ventis [1] et malos separare de medio justorum [2].

Quis vero, præter Deum, hanc supra omnes creaturas præeminentiam sibi legitime vindicare possit?

700. B) Christus ut *propria* sibi vindicat *munera* et *auctoritatem*, quæ nullus legatus divinus sibi unquam arrogavit, et quæ in Veteri Testamento soli Deo, scilicet Yawheh, competebant. Ita :

a) *Proprio nomine miracula facit*, sanando ægros vel obsessos a dæmone, suscitando mortuos, elementis imperando [3]. Utitur uno verbo ad hæc patranda [4] : et ideo mirantur turbæ [5]. Hæc autem potestas miracula patrandi ei tam propria est ut eam aliis communicet [6], et de facto in nomine Jesu Christi apostoli miracula operati sunt [7].

b) *Docet* proprio nomine et supremâ auctoritate : "Ego autem dico vobis... Unus est Magister vester Christus... Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt [8]"; dum prophetæ et Apostoli nomine Dei docent : "Hæc dicit Dominus".

c) *Peccata dimittit auctoritate propriâ*, tanquam contra se commissa, eaque dimittit ob amorem sibi præstitum. Scandalizatis pharisæis quod peccata remitteret, — nam "Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?" — probat potestatem hanc sibi competere, sanando paralyticum [9]. In parabolâ duorum debitorum [10], supponit peccatricem sibi per peccatum esse debitricem, ejusque peccata dimittit ob amorem sibi redditum : "Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum". Ergo peccatum, quod alibi exhibetur ut debitum *erga Deum*, v. g., in oratione dominicâ, est simul debitum *erga Jesum*, et propter amorem *erga Jesum* remittitur.

d) In prophetiâ de ultimo judicio, *seipsum ut judicem supremum* exhibet : ab Ipso homines æterna præmia obtinebunt vel æternis suppliciis punientur, prout erga Ipsum in

---

[1] *Matt.*, XXIV, 31; *Marc.*, XIII, 27 sq. — [2] *Matt.*, XIII, 49.
[3] *Marc.*, V, 30; *Luc.*, VI, 19.
[4] *Marc.*, I, 25; V, 41; IV, 39; *Matt.*, VIII, 27; *Luc.*, IV, 35; VIII, 54-55.
[5] *Marc.*, I, 27; II, 12; IV, 40; *Luc.*, IV, 36; V, 25, 56; VIII, 25; *Matt.*, IX, 8; VIII, 27.
[6] *Marc.*, XVI, 17; *Matt.*, X, 8; *Luc.*, IX, 1-2; X, 9.
[7] *Luc.*, X, 17; *Matt.* XI, 7; *Marc.*, III, 15; VI, 7; *Act.*, III, 6; IX, 32-40.
[8] *Luc.*, VI, 40; *Matt.*, V, 22 sq.; XXII, 33; XXIII, 8, 10.
[9] *Marc.*, II, 3-13; *Matt.*, IX, 1-8; *Luc.*, V, 17-26.
[10] *Luc.*, VII, 36-50.

personâ discipulorum officia caritatis impleverint vel neglexerint. "Venite benedicti Patris mei... esurivi enim et dedistis mihi manducare... Quamdiu hæc fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis... Discedite a me, maledicti, in ignem æternum... esurivi enim et non dedistis mihi manducare... Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis [1]".

701. C) Christus seipsum *vocat*, *vocarique permittit sensu stricto Filium Dei.*

a) De Deo loquens, Ejusque relationibus ad ipsum et ad discipulos, nunquam dicit Pater *noster*, sed Pater *meus* et Pater *vester* [2]. Ejus igitur filiatio ejusdem generis non est ac aliorum hominum. Homines *fiunt* filii Dei, ipse vero *est* Filius Dei [3].

b) Idem apparet ex confessione Petri in partibus Cæsareæ Philippi factâ et solemnì approbatione huic confessioni a Christo datâ [4]; ex condemnatione in Christum latâ propterea quod principi sacerdotum respondit se esse Filium Dei [5]; ex parabolâ de perfidis vinitoribus, ubi evidens est per *servos* significari prophetas, per *filium* autem Christum [6].

c) Inter argumenta, præeminet *textus de mutuâ cognitione* inter Patrem et Filium [7] : "Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare... Nemo scit quis sit Filius, nisi Pater, et quis sit Pater nisi Filius". Hìc declaratur relatio transcendens inter Patrem et Filium : Pater talis est ut a Filio solo cognosci possit; et pariter adeo magnus est Filius ut a solo Patre, id est, ab ente infinito plene cognoscatur.

Nec dicatur [8], Christum se declarare filium Dei, quatenus specialem cognitionem Dei ut patris ipse habet et aliis tradere debet. Si enim Filius est Filius, quia cognoscit Patrem, Pater est Pater seu Deus est Deus, quia cognoscit Filium seu Christum, quod plane absurdum est. Hinc talis

---

[1] *Matth.*, XXV, 34-46.

[2] *Matth.*, VI, 9, 32; X, 33; XI, 25-27; XII, 50; XV, 13; XVI, 17, 27; XVIII, 19, 35; XX, 23; XXV, 34; XXVI, 29, 39, 42, 53; XXVIII, 19; *Marc.*, VIII, 38; XIV, 36; *Luc.*, II, 49; IX, 26; X, 21-22; XII, 32; XXII, 29, 42; XXIII, 46; XXIV, 49.

[3] *Matt.*, V, 44-45; III, 17; XVII, 5; *Marc.*, I, 11; IX, 6; *Luc.*, III, 22; IX, 35. Cf. *Matt.*, XI, 25; XVI, 15; XXVI, 68; *Luc.*, X, 22; XXII, 70; *Marc.*, XIV, 61.

[4] *Matt.*, XVI, 13-20; *Marc.*, VIII, 27-30; *Luc.*, IX, 18-21.

[5] *Matt.*, XXVI, 63-66; *Marc.*, XIV, 61.

[6] *Matth.*, XXI, 33-44; *Marc.*, XII, 1-9; *Luc.*, XX, 9-16.

[7] *Matth.*, XI, 27; *Luc.*, X, 22.

[8] Harnack, *Das Wesen des Christentums*, VII.

interpretatio rejicitur, non solum ab omnibus catholicis sed etiam a plerisque rationalistis.

d) Ante ascensionem, Christus apostolis dedit missionem docendi omnes gentes easque baptizandi "*in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti*". Unde sic : baptizari in nomine seu potius *in nomen*, juxta vim græci textûs, est consecrari et devoveri alicui ut objecto cultûs; atqui nec debent, nec possunt homines cuiquam ita consecrari nisi soli Deo [1]. Præterea Patrem esse Deum nemo negat; atqui in textu Filius juxta Patrem seipsum ponit ut pari jure honorandum.

Recte igitur damnata est hæc *Modernistarum* propositio : "In omnibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* æquivalet tantum nomini *Messias*; minime significat Christum esse verum et naturalem Dei Filium [2]".

702. 2° *Ex fide Apostolicæ Ecclesiæ de divinitate Christi.* In sermonibus suis, Apostoli Christum prædicant non tantùm ut "virum sanctum et justum,... approbatum a Deo", ut prophetam a Moyse prænuntiatum, ut Messiam a Judæis quidem occisum, a Deo autem resuscitatum et exaltatum [3], — sed etiam ut auctorem vitæ [4], mortuorum ac vivorum judicem [5], Dominum omnium [6], datorem Spiritûs sancti [7], gratiæ fontem [8], a dextris Dei stantem... [9] : quæ munera de solo Deo dici possunt.

703. 3° *Ex testimonio S. Pauli* [10]. **A**) Sunt loca fere innumerabilia ubi S. Paulus Christo assignat dignitatem et munera quæ sine blasphemiâ creaturis tribui non possunt.

Ita : **a**) S. Paulus est Apostolus Jesu Christi pariter ac Dei cùm suam missionem æqualiter acceperit a Jesu Christo et Deo Patre, et hæc missio consistat in prædicando Chri-

---

[1] PESCH, *De Deo Trino*, n. 461.
[2] Decr. *Lamentabili*, prop. 30; cf. prop. 27, 31, DENZ., 2027 sq.
[3] *Act.*, III, 14; II, 22; III, 22; II, 32, 36. — [4] *Act.*, III, 15.
[5] *Act.*, X, 42; XVII, 31. — [6] *Act.*, X, 36; cf. *Apocalyps.*, XIX, 16.
[7] *Act.*, II, 33. — [8] *Act.*, XIII, 43; XV, 11. — [9] *Act.*, VII, 55-60.
[10] Etiam abstrahendo ab auctoritate quâ gaudet S. Paulus ut scriptor inspiratus, ejus testimonium, quatenus testis fidei primævæ generationis, maximi momenti est; nam **a**) epistolas, ex quibus argumenta sumimus et genuinas esse et intra triginta annos post passionem Domini scriptas esse, ipsi rationalistæ admittunt; **b**) doctrina in eis contenta circa Christum non tam ex professo traditur quam assumitur ut communis fides christianorum; **c**) evangelium suum consentaneum esse ei quod alii apostoli prædicabant ipse gloriatur.

stum crucifixum simul et magnalia Dei [1]; b) ad salutem obtinendam christiani debent in Christum credere, ejus mandata (quæ sedulo ab humanis mandatis distinguuntur) servare, illum denique supremo amore diligere : " Vos estis filii Dei, per fidem quæ est in Christo Jesu... Sic adimplebitis legem Christi... Præcipio non ego sed Dominus... Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema... Quis nos separabit a caritate Christi [2] "? c) Christus æque ac Pater passim vocatur *Dominus*, *Dominus omnium*, *Dominus gloriæ;* atqui hoc nomen non minoris est dignitatis ac nomen Dei, cùm LXX Interpretes nomen Dei ineffabile nomine κύριος reddere soleant. — Quod patet etiam ex contextu : quæ in prophetis de die Domini seu Dei dicuntur, a S. Paulo de adventu Domini Jesu prædicantur; Christo Domino applicantur V. T. verba de Domino Deo v. g.: " omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit [3] ".

B) Expressius S. Paulus : a) in *Ep. ad Colos.* [4] exhibet Christum ut Creatorem et Conservatorem, ac personaliter Deo unitum : " In ipso condita sunt universa in cælis et in terrâ,... omnia per ipsum et in ipso creata sunt... in ipso habitat plenitudo divinitatis corporaliter "; b) in *Ep. ad Philip.* [5], ipsi attribuit essentiam et majestatem Dei : " Cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; " c) in *Ep. ad Rom.* [6], de Christo dicit quod " est super omnia Deus benedictus in sæcula ". d) In *Ep. ad Hebræos* [7] dicitur quod sit " splendor gloriæ et figura substantiæ Dei ", quod sit " hæres universorum ", quod " omnia per Ipsum facta sunt; " ita ut ei applicentur hæc verba : " Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi ".

704. 4° *Ex testimonio Sancti Joannis*, qui contra Ebionitas et Cerinthianos *ex professo* divinitatem Christi inculcat. a) In *Apocalypsi*, Agnus cum Deo Patre simul adoratur, laudatur et glorificatur ab omni creaturâ [8]. b) In *Evangelio*, refert clarissima verba Christi de propriâ divinitate : " Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum *unigenitum* daret "; " Quærebant eum Judæi interficere,

---

[1] *I Cor.*, I, 1; IV, 2; *Galat.*, I, 1; *I Cor.*, I, 22; *II Cor.*, IV, 5; *Rom.*, I, 1; *Galat.*, I, 10; *Act.*, II, 11.
[2] *Gal.*, III, 6; VI, 2; *I Cor.*, VII, 10; XVI, 22; *Rom.*, VIII, 35 sq.
[3] *II Thess.*, I, 7; *II Cor.*, II, 8; *Rom.*, IV, 13; X, 9-13; *Gal.*, III, 16
[4] I, 15-19; II, 9 — [5] II, 5-11. — [6] IX, 5. — [7] I-III.
[8] I, 6, 17; II, 13, 18, 23; III, 7; XIX, 13, 16; XX, 6; XXXII, 13, etc.

quia... Patrem suum dicebat *Deum*, *æqualem se faciens Deo"*; "Ego et Pater unum sumus"; "Philippe, *qui videt me videt et Patrem...* Non creditis quia *ego in Patre et Pater in me est"*, etc.[1] c) Divinitatem Christi *S. Joannes* et ipse disertissime affirmat in *prologo* sui evangelii : "In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum... Et Verbum caro factum est...".

705. *Conclusio.* Qui igitur affirmant divinitatem Christi esse dogma a conscientiâ christianâ elaboratum, græcarum theoriarum ope, non unam aut alteram N. Testamenti paginam, sed integram ejus substantiam lacerare debent : ubi enim hoc dogma non explicite traditur, saltem implicite supponitur. Hinc nil mirum quòd Patres Apostolici, Apologetæ, aliique secundi et tertii sæculi auctores, Christi divinitatem unanimiter professi sunt, ut vidimus *De Deo trino*, n. 542, et infra exponetur, n. 711.

Probatur IIª pars thesis, Christum esse verum et integrum hominem.

706. Hìc demonstrabimus Christum esse præditum corpore carneo et animâ non solum sensibili sed et rationali, contra Docetas et Apollinaristas.

1° *Script.* Christus enim in Novo Testamento exhibetur ut homo ceteris hominibus similis, excepto peccato.

A) Si de *corpore* agitur : a) ejus *genealogia* traditur[2], ut exinde appareat eum esse, secundum carnem, ex regiâ familiâ David; b) *concipitur* quidem operante Spiritu Sancto, sed vere tamen[3], et, post ejus nativitatem, invenitur infans, pannis involutus, positus in præsepio[4];

[1] Vide *Syn. maj.*, n. 988-993. — Inter modernos negatores Divinitatis Christi plerique libenter concedunt Christi verba, prout in hoc evangelio referuntur, affirmationem divinitatis propriæ continere. Sed addunt : "Narrationes Joannis non sunt proprie historia, sed mystica evangelii contemplatio; sermones in ejus evangelio contenti sunt meditationes theologicæ circa mysterium salutis, historicâ veritate destitutæ;... Joannes sibi vindicat quidem rationem testis de Christo, re tamen verâ non est nisi eximius testis vitæ christianæ, seu vitæ Christi in Ecclesiâ exeunte primo sæculo" (*Lament.*, 16, 18). Sed valor historicus hujus evangelii, in Tract. *De Rel.* jam probatus, nuper decreto Commis. Bibl., 29 Maii 1907, confirmatus, a scriptoribus non paucis, sive Catholicis sive Acatholicis sæpe sæpius vindicatus est (LEPIN, *Origine et val. hist. du 4e évang.*, Paris, Letouzey, 1907-09; *Irish. Eccles. Quart.*, Octob 1908).

[2] *Matth.*, I, 1-17; *Luc.*, III, 23-38. — [3] *Luc.*, I, 31. — [4] *Luc.*, II, 7, 12.

c) more ceterorum hominum, *adolescit*, *proficiens ætate* et sapientiâ apud Deum et homines[1]; d) constanter *se gerit ut hominem* inter homines, colloquens, esuriens[2] et sitiens[3], manducans et bibens[4], dormiens[5], deambulans, fatigatus ex itinere[6], sanguinem exsudans[7], flagellatus, crucifixus, moriens in cruce, sepultus. Corpore igitur vere humano præditus apparet.

B) Ad *animam* quod spectat, exercet actus animæ sive sensibilis, sive rationalis. a) Turbatur, infremit spiritu, plorat[8], pavet et mæstus est, tristis usque ad mortem[9]; b) actus variarum virtutum exercet, nempe *religionis*, pernoctans in oratione Dei[10], gratias agens Patri; *humilitatis*[11] et *obedientiæ*, obediens factus usque ad mortem[12]; plenæ in Deum *fiduciæ*, in manus Dei commendans spiritum suum[13], etc.

C) Imo, juxta doctrinam apostolorum et præsertim S. Pauli, homo Christus Jesus, unus mediator Dei et hominum, est causa salutis nostræ, quia verus est sacerdos *ex hominibus assumptus, fratribus per omnia assimilatus*[14], excepto peccato, ideoque eorum vices agere potest ut caput generis humani.

Argumentum e *Traditione* opportunius evolvetur infra n. 711.

Probatur III^a pars thesis, in Christo naturam divinam et naturam humanam hypostatice esse unitas in unicâ personâ Verbi.

707. 1° In **Scripturâ** thesis nostra non declaratur explicitis terminis, sed implicite affirmatur, cùm unus idemque Christus Deus simul et homo prædicetur, unde jure concludimus divinæ naturæ et humanæ unionem *in personâ* factam esse. Itaque, cùm unionem duarum naturarum dicimus *hypostaticam*, hâc dogmaticâ formulâ eamdem

[1] *Luc.*, II, 52. — [2] *Matt.*, IV, 2; *Luc.*, IV, 2. — [3] *Joan.*, XIX, 28.
[4] *Matt.*, XI, 19; *Luc.*, VII, 34.
[5] *Matt.*, VIII, 24; *Marc.*, IV, 38; *Luc.*, VIII, 23.
[6] *Joan.*, IV, 6. — [7] *Luc.*, XXII, 44. — [8] *Joan.*, XI, 33, 35.
[9] *Matt.*, XXVI, 37-38; *Marc.*, XIV, 33-34.
[10] *Marc.*, I, 35; *Luc.*, VI, 12. — [11] *Matt.*, XI, 29.
[12] *Philipp.*, II, 8; *Matt.*, XXVI, 27, 36; *Luc.*, XXII, 19.
[13] *Luc.*, XXXIII, 46. — [14] *I Tim.*, II, 5; *Heb.*, V, 1; IV, 14.

notionem exprimimus, quæ ex factis et verbis in Novo Testamento relatis colligitur. Quod ex supradictis patet et quibusdam exemplis sic illustrari potest.

708. **A)** Juxta *Synopticos*, *idem* qui propriâ virtute miracula patrat ut *Filius Dei* (supra, n. 700-701), humanas etiam operationes peragit et ut homo patitur, n. 706.

709. **B)** Idem constat ex *S. Paulo* cujus doctrina in hoc textu contrahitur : " Qui, cùm in *formâ Dei* esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit, *formam servi* accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem[1] "... Ex his verbis, unus idemque Christus possidet : **a)** *naturam divinam*, quippe qui dicatur esse in *formâ* Dei, id est, præ se ferens divinitatis characteres, et insuper *æqualis* Deo; **b)** *naturam humanam*, quia accipit formam seu naturam servi.

710. **C)** Luculentius etiam constat ex *toto secundum Joannem evangelio* ac præcipue ex ejus mirabili compendio : " *Et Verbum caro factum est* ". Ex hoc enim textu ea est unio inter Verbum et humanam naturam ut Verbum vere homo factus sit.

Atqui talis modus loquendi **a)** significare nequit *unionem tantùm moralem* aut *unionem naturalem*. Quantumvis enim sit arcta *unio moralis*, sive per concordiam voluntatum, sive per gratiam, nunquàm potest dici : Paulus et Joannes ita sunt amici ut Paulus factus sit Joannes ; Abraham tantâ gratiâ Deo unitus est ut Deus factus sit Abraham. **b)** Pariter *unio naturalis* inter Verbum et naturam humanam repugnat : 1) sive per *conversionem;* nam Verbum, utpote immutabile, non potuit converti in naturam humanam; et, si humana natura conversa fuisset in divinam naturam, Evangelista dicere debuisset : " Caro facta est Verbum; " 2) sive per *commixtionem* quæ supponit alterationem commixtorum, dum Verbum est immutabile; 3) sive per *compositionem*, quæ fit ex elementis incompletis ad aliquid completum efficiendum unitis; nam *per se* tum Verbum, tum natura humana sunt respective completa.

Ergo remanet ut unio Verbi cum naturâ humanâ sit *hypostatica*, seu in personâ, ita ut ex unione utriusque naturæ unica resultet persona.

---

[1] *Philipp.*, II, 6-8.

711. 2° Traditione. A) Tribus prioribus sæculis : a) Patres *affirmant* Christum esse simul Deum et hominem, quia venit ad nos salvandos et redimendos : quod facere nequivisset, nisi fuisset simul Deus et homo[1]. b) *Rejiciunt* autem errrores *docetarum* et *dualistarum* (n. 695), asserendo Christum esse Verbum Dei vereque Deum, sed simul verum hominem, ex stirpe David secundum carnem, vere ex virgine natum, vere passum et mortuum[2]. c) Unionem vero inter utramque naturam fieri *in personâ* jam asserit Tertullianus[3] : " Videmus *duplicem statum non confusum*, sed conjunctum *in unâ personâ*, Deum et hominem Jesum ".

712. B) Quarto sæculo, Patres, doctrinam catholicam contra Apollinarem propugnando, clarius affirmant unum esse Christum, Filium Dei verum, perfectum Deum simul et perfectum hominem. Præcipuum argumentum quo usi sunt hoc fuit : " *Quod non est assumptum, non est sanatum* ". Sicut enim Christus nos salvare non potuisset, si corpus habuisset tantum apparens, ita pariter si non assumpsisset animam vere intellectualem[4].

S. Damasus Papa Apollinaristas damnavit in synodo Romanâ (an. 380) : " Anathematizamus eos qui pro hominis animâ rationabili et intelligibili dicunt Dei Verbum in humanâ carne versatum, cùm ipse Filius sit Verbum Dei, et non pro animâ rationabili et intelligibili in suo corpore fuerit, sed nostram, id est, rationabilem et intelligibilem, sine peccato, animam susceperit atque salvaverit[5] ". Quam sententiam ratam habuit *C. Constantinopolitanum*[6] (381).

713. C) Sæculo quinto, occasione duplicis hæresis *nestorianæ* et *eutychianæ*, conceptus catholicus unitatis personæ in Christo et unionis hypostaticæ diserte asseritur :

a) *Nestorius*, cui jam præluserat schola Antiochena, cum *Diodoro* et *Theodoro Mopsuesteno*, contendebat :

---

[1] Ita S. Clemens, *I Cor.*, XXXII, 2; XXXVI, 2-5; S. Ignatius, *Magn.*, VI, 1; VIII, 2; *Ephes.*, I, 1; VII, 2; XV, 3; Pseudo-Barnabas, V, 11.

[2] *Adv. Prax.*, 27, *P. L.*, II, 191.

[3] S. Irenæus, *Adv. hæres.*, III, 18, 1; III, 21, 10; V, 18, etc.; Tertullianus, *Adv. Praxeam.;* S. Hippolytus, *Philosophumena.*

[4] S. Athanasius, auctor operis *Contra Apollinarium*, S. Gregorius Naz., in pluribus epistolis, S. Gregor. Nyss., *Antirrheticus*, S. Epiphanius, *De hæresibus.*

[5] Denz., 65 (29). — [6] Denz., 85 (46).

1) Sedulo distinguenda esse in Christo attributa operaque Verbi ab actionibus propriis homini Jesu; 2) unionem inter Verbum et Jesum comparari posse cum unione inter Spiritum Sanctum et prophetas, sed esse tamen altioris ordinis, cùm Christus sit non tantum propheta sed redemptionis organon; 3) Mariam proinde vocari posse χριστοτόκον, non autem θεοτόκον; 4) Jesum tamen merito vocari Deum et adorari, quippe qui Deum in se gerat.

Præcipuus fidei catholicæ defensor fuit *S. Cyrillus Alex.*[1] qui scribebat : " ... Ex duabus igitur rebus, divinitate nimirum et humanitate, certo constat Emmanuel. Unus tamen Dominus Jesus Christus, unus verus naturalisque Filius, qui Deus simul et homo est; non homo deificatus, par illis qui per gratiam divinæ naturæ participes efficiuntur, sed Deus verus, qui salutis nostræ causâ in humanâ formâ apparuit ". Quod vero ad Mariam attinet, hanc deducit conclusionem : " Si Dominus noster Jesus Christus Deus est, quomodo non sit deipara quæ illum edidit ".

Dicendo autem[2] : *una natura Verbi incarnata*, duo significabat S. Doctor : non negabat quidem, post Incarnationem *duas in Christo esse naturas*, sed dicebat unum esse *subjectum*, Verbum scilicet incarnatum, de quo tam divina quam humana prædicantur. Postea, Nestorius damnatus fuit a *Concil. Ephes.* (431) quod, approbatis duodecim anathematismis Cyrilli[3], clare definivit unionem utriusque naturæ, divinæ et humanæ, *non esse moralem* tantum (secundum dignitatem scilicet, auctoritatem, potestatem aut per inhabitationem Verbi in homine Christo), sed esse *secundum hypostasim.*

b) Occasione *Eutychianismi*, qui asserebat unicam esse in Christo naturam incarnatione jam peractâ (n. 695), iterum dogma unionis hypostaticæ fuit solemniter declaratum. Concilium enim *Chalcedonense* (451), *epistolam dogmaticam* S. Leonis Magni sequens, definivit[4] : " *Unum eumdemque Christum, Filium Dominum unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublatâ naturarum differentiâ propter unitionem, magisque salvâ proprietate utriusque naturæ, et in unam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas* partitum atque divisum, sed *unum et eumdem Filium* unigenitum Deum, Verbum Dominum, Jesum Christum ". Quæ quidem definitio, multo lucidior Ephesinâ, speculative finem liti imponebat.

---

[1] *Epist.*, 1, *P. G.* LXXVII, 27. — [2] Cf. *Syn. maj.*, n. 1019.
[3] Denz.-Bann., 113 sq. (73 sq.) — [4] Denz.-Bann., 148 (137).

§ III. Corollaria ex unione hypostaticâ quoad ipsam unionem.

714. **Corollarium I** : *In Christo duplex est voluntas et operatio.* De fide est ex definitione Concil. *Constantinop. III* (680) : " Duas naturales voluntates in Christo et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum SS. Patrum doctrinam prædicamus [1] ".

1° **Probatur.** A) *Ex thesi fundamentali merito infertur.* Duplex est enim natura integra in Christo, divina et humana; atqui ad integritatem naturæ pertinet voluntas et operatio, cùm voluntas sit proprietas, operatio autem ultima actuatio naturæ.

B) *Scripturâ* confirmatur. Scriptura enim agnoscit in Christo, præter volitionem et operationem divinam, quam etiam Monothelitæ asserunt in Eo esse, aliam voluntatem et operationem : **a**) " Descendi de cælo non ut faciam voluntatem *meam* (humanam utique), sed voluntatem *ejus qui misit me* [2] "; " Non *mea* voluntas, sed *tua* fiat " [3].

b) Insuper adest duplex *operatio :* operatio *divina* quando Christus dicit : " Pater meus usque modo operatur et ego operor [4] ", item quando miracula proprio nomine efficit; operatio *humana*, quando Christus dicit : " Filius hominis non venit ministrari sed ministrare [5] ".

715. 2° **Explicatur.** **a**) Quidam, post S. Maximum [6], triplicem operationem in Christo distinguunt, *divinam*, *humanam* et *theandricam :* " Siquidem ut *Deus* tantum operabatur, quando absens centurionis filium sanabat (operatio *divina*); ut *homo* tantum, etsi Deus erat, quando comedebat et tristabatur (operatio *humana*); mixtim autem operabatur miracula, cœci oculos illiniendo restituens (operatio *theandrica* seu *deivirilis*) ".

b) Alii tamen, inter quos Card. Billot [7], jure ac merito advertunt " omnem humanam operationem in Christo fuisse theandricam ", seu divinæ operationis non expertem [8]. Quæ

[1] Denz.-Bann., 291 (238). — [2] *Joan.*, VI, 38. — [3] *Luc.*, XXII, 42.
[4] *Joan.*, V, 17. — [5] *Matth.*, XX, 28.
[6] *In 4 Dionys Areop. Epistolam.* — [7] P. 313, ed. 4ª.
[8] S. Joannes Damasc., *De fide orthod.*, III, 19, Journel, 2366.

mixtio operationis divinæ triformis est : una, in quantum operatio humana, regente operatione divinâ, ordinatissima et rectissima habetur in ordine morum, ita ut Christus præ se ferat omnibus numeris absolutum perfectionis moralis exemplar; altera, in quantum divinitas humanitate utitur tanquam instrumento ad patranda miracula; tertia tandem, in quantum Verbum divinum, sustentando humanitatem tanquam ejus hypostasis, infinitam quamdam dignitatem meritis Christi et satisfactionibus infundit.

716. **Corollarium II.** *Unica est filiatio in Christo; Christus scilicet, etiam ut hic homo, est Filius Dei naturalis, nec ullâ ratione dici potest adoptivus.*

1° Est Filius *naturalis. De fide est* contra Adoptianos (n. 695), qui duos in Christo filios distinguebant, alium *per naturam*, nempe Verbum, alterum *adoptivum*, videlicet Christum quâ hominem.

Quod ut intelligatur, sciendum est filium *per naturam* eum dici, qui vere genitus est ab eo cujus appellatur filius; filium autem *adoptivum* eum qui, cùm sit persona extranea, a patre adoptante non genita, ex merâ benevolentiâ in adoptantis familiam suscipitur. — In thesi dicimus "Christus ut *hic homo*", id est, Christus spectatus ut persona Verbi subsistens in naturâ humanâ, nam pronomen demonstrativum designat personam; non autem dicimus : "Christus ut homo", quia talis expressio esset æquivoca et significare posset naturam humanam esse vere genitam a Patre; quod est hæreticum [1].

Prob. A) Christus enim, ut hic homo, est Verbum hypostatice unitum humanæ naturæ; atqui Verbum, sese uniendo humanæ naturæ, non cessavit esse Filius Dei per naturam; ergo Christus, ut hic homo, est Filius Dei naturalis. Siquidem filiatio proprie convenit hypostasi vel personæ, non autem naturæ; nam *actiones et passiones sunt suppositorum.*

B) Christus in Scripturâ, spectatus ut hic homo, vocatur Filius Dei *unigenitus* [2], *proprius* [3] : "qui *proprio* Filio suo non pepercit"; *verus* [4] : "Filius Dei venit ut cognoscamus verum Deum et simus in *vero Filio* ejus"; nusquam vero filius adoptivus.

C) *C. Ephesinum* jam definierat "Christum esse veraciter Deum tanquam Filium per naturam [5]". *Francofor-*

[1] Denz., 117 (77). — [2] *Joan.*, III, 16. — [3] *Rom.*, VIII, 32.
[4] *Joan.*, V, 20. — [5] Denz.-Bann., 117 (77).

dense (794), errores Adoptianorum rejiciendo, merito declaravit : " Si ergo Deus verus est qui de Virgine natus est, quomodo tunc potest adoptivus esse vel servus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum vel adoptivum [1] ".

717. 2° *Non potest dici adoptivus.* Pauci theologi, post *Scotum* et *Durandum*, etsi confitentes Christum, ut *hunc hominem*, esse Filium Dei naturalem, dixerunt Christum ut hominem posse vocari etiam Filium Dei adoptivum *secundum quid*, quatenus ejus natura humana ornata fuit gratiâ sanctificante, quæ nos facit filios Dei adoptivos. Quæ sententia non est hæretica, sed ut falsa merito rejicitur a plerisque theologis : a) quia nec Scripturæ nec Patribus innititur; b) quia filiatio convenit proprie personæ, non naturæ; c) quia adoptio est assumptio personæ *extraneæ* in filium.

Ita Christus non potest dici *servus stricto sensu*, quia servus proprie est persona quæ *alieni juris* est, non sui; sed vocari potest *servus lato sensu*, quatenus fuit divinæ voluntati subjectus.

718. **Corollarium III.** *Admittenda est in Christo communicatio idiomatum in concreto, non vero in abstracto.*

1° *Explicatur.* Communicatio idiomatum (a græcâ voce ἴδιον, proprium) in eo sita est quod, vi unionis hypostaticæ, natura divina ac humana et utriusque proprietates non tantùm de Christo [2], sed etiam de se invicem prædicentur, dummodo usurpentur *termini concreti* [3]. Unde dicere licet : *Christus est Deus*, *Christus est homo*, *Christus est Creator et omnipotens*, *Christus passus et mortuus est; — Deus est homo*, *Homo est Deus*, *Æternus natus est in tempore*, *Crucifixus est omnisciens et omnipotens.*

2° *Probatur.* A) *Auctoritate :* constat ex omnibus textibus Scripturæ et Traditionis in quibus hic modus loquendi adhibetur.

B) *Ratio* est quia nomina *concreta* significant cum proprietate, sive substantiali sive accidentali, *suppositum* seu personam; de his igitur prædicari potest quælibet proprietas quæ personæ Verbi incarnati, tum ex parte naturæ

---

[1] Denz., 313 (256). — [2] Denz., 116 (76).

[3] *Concreti* dicuntur termini qui proprietatem designant quatenus in aliquo subjecto existit, v. g., homo, Deus, mortalis; *abstracti* vero qui proprietatem significant *in se*, prout a subjecto separatam, quales sunt humanitas, divinitas, etc.

divinæ, tum ex parte naturæ humanæ, convenit. Ita quando dicitur : *Homo est Deus*, idem est ac si diceretur : persona Verbi in quâ natura humana subsistit, est Deus. Nomina verò *abstracta*, cùm significent proprietatem tantum, non possunt ita adhiberi. Qui, v. g., diceret : *Humanitas* est *Divinitas*, est *Deus*, enuntiaret falsissimum, scilicet naturam humanam esse ipsam naturam divinam.

719. 3° *Exemplis declaratur*. Regulæ modo enuntiatæ et probatæ dantur exceptiones, sed *apparentes* tantùm. Ita : **a**) nomina concreta adjectiva, quæ *derivata* appellantur, ut *divinus*, *humanus*, minùs accurate dicuntur de Christo et de se invicem, v. g., Christus minùs recte dicitur esse *divinus*, *dominicus*, *deifer;* nam talia nomina non stricte exprimunt genuinas proprietates Verbi incarnati, sed harum proprietatum participationes, quasi diceretur Christum esse Deum vel Dominum per participationem. **b**) Pariter non potest dici : "hic homo factus est Deus", quia sic declararetur aliquam personam humanam prius exstitisse, et postea divinam factam fuisse; quod falsum est. **c**) Nomina concreta quæ *reduplicantur*, v. g., Christus *quatenus homo*, est Deus, falsum exprimunt; nam hujusmodi reduplicatio, jam non personam sed solam naturam designat, nisi corrigatur per pronomen personale, ut "hic homo". **d**) Nomina etiam concreta quæ hæresi favent, sunt reprobanda : v. g., dici non debet, Christus est creatura, quia, licet illa propositio sit aliquo modo vera, tamen hæresi arianæ favet. **e**) Nomina *abstracta* naturæ humanæ de personâ Christi prædicari nequeunt; dici non debet, v. g., Christus est humanitas, quia natura humana, licet Verbo unita, ab eo tamen distinguitur. Nomina vero abstracta divinæ naturæ possunt de personâ Christi prædicari, quia in Deo qualitates abstractæ cum divinis personis identificantur, v. g., dici potest : "Christus est divinitas, est omnipotentia, vita", etc.

§ IV. Concordia unionis hypostaticæ cum ratione.

Exposito conceptu dogmatico unionis hypostaticæ ejusque corollariis, jam statuere licet, et quidem triplici assertione, quomodo ratio sese habeat ad hoc mysterium.

720. **Thesis I**[a] : *Demonstrari nequit mysterium Incarnationis rectæ rationi ullo modo repugnare.*

Si enim repugnaret, illud esset vel ex parte Verbi, vel ex parte naturæ humanæ, vel tandem ex parte unionis hypostaticæ; atqui nullum ex his dici potest.

1° Non repugnat *ex parte Verbi.* Etenim : a) personalitas Verbi, quippe quæ sit infinita et eminenter æquivaleat cuilibet personalitati creatæ, *supplere potest vices personalitatis humanæ.*

b) *non magis mutatur Verbum per Incarnationem* quàm Deus per creationem; siquidem Verbum remanet intrinsece idem, solummodo ad se elevans et sub dominio suo personali constituens aliquam naturam creatam, ita ut tota mutatio facta sit in naturâ humanâ quæ fuit assumpta in consortium personale divinæ naturæ.

Sane incepit esse relatio nova Verbi ad naturam humanam. Sed, ut animadvertit S. Thomas [1], ea quæ *relative* dicuntur possunt de novo prædicari de aliquo absque ejus mutatione, sicut homo de novo fit dexter, absque sui mutatione, per motum illius qui fit ei sinister.

Ita Verbum fit homo ratione unionis, quæ est relatio quædam, et illa relatio quâ Verbum refertur ad humanitatem suam, non est realis ex parte Verbi, quia nihil novi Ei confert, sed est realis ex parte humanæ naturæ, quæ per unionem hypostaticam perficitur [2].

721. 2° Non repugnat *ex parte naturæ humanæ.* In tantum enim repugnaret, in quantum Verbum non posset sibi assumere naturam humanam, quin assumeret personalitatem humanam; atqui non est ita.

a) Nam si admittitur, cum *Thomistis*, personalitatem esse quid *positivum* et realiter distinctum a naturâ, tum Verbum potuit assumere naturam humanam quin assumeret personalitatem.

In hâc hypothesi, natura humana, etsi propriâ personalitate carens, non exinde minuitur, sed e contra perficitur, quia " dignius est alicui quod existat in aliquo se digniore, quam quod existat per se ", sicut " sensitivum nobilius est in homine propter conjunctionem ad nobiliorem formam completivam [3] ".

b) Si admittitur cum *Scotistis*, personalitatem nihil aliud esse nisi naturam completam et singularem, quatenus a supe-

---

[1] 3ª p., q. 16, a. 6, ad 2.

[2] Ad quod explicandum, comparatione utitur S. BONAVENTURA (*In 3 Sent.*, dist. 1, a. 1, q. 1) : "Si enim crystallus superinduatur radio domum jam illuminanti, crystallus illuminari dicitur et a radio pertransiri et ei copulari absque mutatione factâ ex parte radii, sed solum ex parte crystalli : sic suo modo, sed longe spiritualius intelligendum est in naturâ assumptâ et personâ Verbi ".

[3] S. THOMAS, 3ª p., q. 2, a. 2, ad 2.

riori personâ non assumitur, sed *sibi vivit*, mysterium pariter concipi potest : nam Verbum, assumendo naturam humanam, impedivit ne illa esset *sui juris*, propriam personalitatem haberet, et sic potuit assumere naturam quin assumeret et personalitatem.

722. 3° Non repugnat ex parte *unionis hypostaticæ*, quæ, licet conceptu difficilis, impossibilis dici nequit.

Nam si in homine duæ substantiæ tam diversæ, et primo intuitu tam oppositæ, substantia scilicet spiritualis et corporalis, corpus et anima, tam intime uniri possunt ut unam naturam et unam personam efforment, quis dicere audebit Deo impossibile esse naturam divinam et naturam humanam in unam personam coadunare? — Nulla quidem est inter Verbum et naturam humanam proportio *æqualitatis*, sed est proportio *ordinis*, proportio scilicet quæ existit inter perfectum et perfectibile : quod est enim perfectum in se potest alteri uniri non ad acquirendam, sed ad communicandam perfectionem [1].

723. **Thesis IIa** : *Positâ revelatione, ratio potest tum expolire conceptum dogmaticum mysterii Incarnationis, tum ostendere ipsius mysterii convenientiam maximam.*

1° Scholastica expolitio unionis hypostaticæ.

Fides catholica nos edocet humanitatem Christi non compleri personalitate connaturali seu humanâ, sed haberi a personâ Verbi. Quæstio est igitur quomodo natura humana possit hypostatice uniri Verbo quin suam integritatem amittat. Diversæ sunt solutiones secundum varias opiniones de naturâ personalitatis et discrimine inter naturam et personam.

a) Juxta *Scotum*, *Tiphanum* aliosque [2], personalitas creata non est aliqua realitas naturæ singulari superaddita, sed ipsa natura singularis quatenus alii non communicatur. *Omnis* itaque realitas substantialis quæ est in quolibet puro homine, univoce adest in Christo; si vero non est subsistens nec persona, id provenit ex hoc solo quod a Verbo assumitur : hâc enim assumptione, non est amplius *totum in se*, sed pars totius; si vero unio

---

[1] S. Thomas, *in 3 Sent.*, dist. I, q. 1, a. 1, ad 2.
[2] Scotus, in *III Sent.*, dist. 1, q. 1; Tiphanus, *De hypostasi et personâ*.

hypostatica cessaret, eo ipso et sine ullo addito, natura humana Christi fieret suppositum.

Sed, in tali explicatione, humanitas Christi est aliquid *de se* et *per se* omnino substantialiter completum. Si res ita se habet, non apparet quomodo possit pertinere ad suppositum Verbi nisi *accidentaliter*, et ita hæc opinio logice reincidere videtur in errorem ponentium in Christo duas hypostases unitas hâc honoris et dignitatis communitate quæ improprie vocaretur unitas personæ.

b) *Suarez*[1], et alii post eum theologi, autumant personalitatem seu *subsistentiam*, ut aiunt[2], esse *modum substantialem* quc natura ultimo terminatur et fit sui juris, et exinde concipiunt in Christi naturâ humanâ Verbum vices exercere talis modi substantialis.

Sed, in systemate philosophico horum theologorum, actus essendi creaturarum cum earum naturâ identificatur : unde sequitur personalitatem superaddi rei jam actu existenti in suo esse intimo et substantiali : quod *logice* profiteri videtur unionem accidentalem personalitatis cum naturâ.

c) *Cajetanus* ad constitutionem personæ in creatis requirit etiam entitatem quamdam *substantialem* quam vocat " *terminum ultimum* naturæ substantiæ[3] ", quæ superadditur naturæ singulari eique confert subsistentiam cum incommunicabilitate. In Christo autem natura humana, etsi singularis et completa, non subsistit personalitate connaturali, sed *in Verbo*, et ita non aliam personalitatem habet quam personalitatem Verbi.

Quæ theoria sartam tectamque servat unionem substantialem Verbi cum naturâ humanâ ; fulcitur autem duplici ratione : 1) ita apprime distinguitur substantia sumpta pro hypostasi a substantiâ sumptâ pro essentiâ seu naturâ etiam individuatâ; 2) ita apprime salvatur personalitatem non consistere in aliquo negativo, sed in re quâdam positivâ.

724. d) *Card. Billot* rejicit ut gratuitum et inutilem *modum substantialem* a Cajetano propugnatum; et rectius forsan explicat unionem hypostaticam " per hoc quod humanitas sic communicatur Verbo, ut *in illo exsistat* et *non in semetipsâ*, quatenus scilicet esse personale Filii Dei supplet vices creatæ exsistentiæ sive proprii actus essendi qui eidem humanitati naturaliter debebatur[4] ".

---

[1] *Disput. metaph.*, disp. XXXIV, sect. 1-2.

[2] Proprie subsistentia non est idem ac personalitas. Etenim : a) persona est subsistens, non quodcumque, sed distinctum et *incommunicabile;* b) in Deo persona non ex eodem formaliter incommunicabilitatem habet, a quo subsistentiam.

[3] In 3 part., q. 4, a. 2. — [4] Thesis VII.

Et hìc intelligitur *esse* Verbi secundum quod fungitur munere communicandi subsistentiam seu exsistentiam in se, non autem prout dicit ipsam essentiam seu naturam divinam. Nullum igitur intermedium fingendum est sive ex parte naturæ sive ex parte personæ inter humanitatem Christi et Verbum. Verbum sibi ipsi immediate assumpsit humanitatem quæ ex hoc facta est sibi arctissime et personaliter propria, ita ut Verbum dicat propriissime : *Mea* humanitas, *meum* corpus, *ego* ambulo, *ego* passus sum [1]. Hæc autem relatio, quæ inter Verbum divinum et *suam* humanitatem innata est vi unionis hypostaticæ, est in solâ naturâ humanâ realiter, in Verbo autem secundum rationem tantum.

Hìc operæ pretium est animadvertere præcipuam difficultatem, quam multi in hoc mysterio concipiunt, ex eo oriri quod *naturam humanam* Christi *secundum se* considerant quasi esset persona, et ita sibi fingunt difficultates quæ reapse non existunt.

2° Incarnationis convenientia.

725. *Mysterium Incarnationis, quale proponitur ab Ecclesiâ et explicatur a theologis, valde convenit sive ex parte Dei, sive ex parte hominis.*

A) Ex parte *Dei.* Siquidem optime manifestat Incarnatio attributa Dei, præsertim ejus : a) *bonitatem*, nam in Incarnatione Deus nobis largitur non solum optima dona, ut in creatione et justificatione, sed etiam proprium et unigenitum Filium suum : " Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret [2] "; b) *sapientiam*, quia per Incarnationem, Deus optimum medium invenit *conciliandi justitiæ et misericordiæ jura*, exigendo, ex unâ parte, perfectam satisfactionem pro peccato, et ex alterâ, parcendo homini peccatori, juxta illud : " justitia et pax osculatæ sunt [3] "; c) *potentiam*, quæ manifestatur

---

[1] " Comparatur igitur humana natura Christi ad Deum sicut instrumentum *proprium* et *conjunctum*, ut manus ad animam ". S. Thomas, *Sum. cont. Gent.*, lib. IV, cap. XLI. Notentur hæc verba : *proprium* et *conjunctum*. Humanitas scilicet non est tantum *propria* Verbi sicut domus est propria proprietarii; sed est præterea *conjuncta* ad Verbum, non tàm ut manus ad animam quæ conjunguntur et naturaliter et personaliter, quàm ut " sextus digitus " ad animam, quæ conjunguntur tantùm personaliter, ut advertit ipse Angelicus.

[2] *Joan.*, III, 16. — [3] *Ps.* LXXXIV, 11,

in unione duarum naturarum quæ *tantum distant*, et *tam arcte* conjunguntur, licet *distinctæ* maneant.

B) Ex parte *hominis*, quem **a**) promovet *in bonum* : 1) *fidem* magis certificando[1], 2) *spem* erigendo[2], 3) *caritatem* excitando[3], 4) omnium virtutum nobis præbendo *exemplum*[4]; **b**) removet *a malo* : 1) eum instruendo de propriâ dignitate : " Memento cujus capitis et cujus corporis sis membrum[5] ", 2) eum etiam docendo peccati fœditatem et malitiam quæ tanto remedio indiguit, 3) a præsumptione et superbiâ liberando, ob quam causam non statim post lapsum Verbum incarnatum est ut homo melius suam infirmitatem cognosceret et ardentius ad medicum clamaret[6].

ART. II. CONSECTARIA UNIONIS HYPOSTATICÆ QUOAD PERSONAM ASSUMENTEM.

I. *Quænam sit persona assumens?*

726. Thesis : *Sola persona Verbi incarnata fuit, seu assumpsit humanam naturam. De fide* est ex variis symbolis quæ, contra Patripassianos, sedulo tres divinas personas distinguunt, et affirmant Filium, non autem Patrem aut Spiritum, de Virgine conceptum et natum, pro nobis passum et mortuum esse.

Probatur : **A**) textibus Script. et Tradit. jam allatis (n. 697 sq.)

B) *Ratione convenientiæ*, quæ desumitur : **a**) *ex fine Incarnationis* : Verbum, ut Sapientia Patris, doctrinam præbere, ut exemplar universale, exemplum nobis dare congruenter valebat; **b**) *ex naturâ justificationis* : conveniebat ut efficeremur filii adoptivi per eum qui est verus et proprius Dei Filius, juxta illud Apostoli : " Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui[7] ".

727. Nec dici potest Patrem et Spiritum sanctum fuisse etiam *mediate* incarnatos, quia naturam humanam non assumpserunt *personaliter;* sed propter circumincessionem et inseparabilitatem trium Personarum, Pater et Spiritus sanctus sunt in humanitate Christi titulo speciali.

---

[1] *Heb.*, I, 1-2. — [2] *Rom.*, VIII, 17. — [3] *Joan.*, III, 16.
[4] *Joan.*, XXIII, 15. — [5] S. LEO, apud JOURNEL, 2193.
[6] Cf. S. THOMAS, *Sum. th.* 3, q. 1, a. 6. — [7] *Rom.*, VIII, 29.

II *Num persona assumens unione aliquid amiserit?*

728. **Thesis** : *Verbum divinum, humanam naturam assumendo, humanas quidem infirmitates suas fecit, sed divinam naturam divinaque attributa minime seposuit nec ad tempus abdicavit.*

De fide est contra recentes quosdam Protestantes, qui non intelligentes textum quemdam Apostoli, ubi dicitur Christum *se exinanivisse*[1], contenderunt Verbum, per Incarnationem, exspoliavisse divinitatem divinaque attributa, præsertim omnipotentiam ac omniscientiam, et induisse humanas dotes atque infirmitates, ita ut suæ divinitatis conscium non fuerit nisi post suam resurrectionem, aut saltem aliquando, juxta alios, divinitatis suæ conscientiam amiserit[2].

A) Quæ quidem nova theoria catholico dogmati, prout ab antiquis Conciliis definito, manifeste opponitur. Jam enim *Chalcedonense* (451) definierat " unum eumdemque Christum, Filium Dominum unigenitum, in *duabus naturis inconfuse*, *immutabiliter*, *indivise*, *inseparabiliter agnoscendum*, *nusquam sublatâ naturarum differentiâ propter unitionem...* " Jamvero si duæ naturæ, divina et humana, sunt in Christo inconfuse et immutabiliter, certo dici nequit Verbum Incarnatum exuisse, etiam ad tempus, vel naturam divinam, vel divina attributa, vel attributorum divinorum divinam conscientiam (cf. n. 713).

B) Pariter hoc systema contradicit omnibus *Scripturæ* locis quibus Christus suam divinitatem ac cum Patre consubstantialitatem affirmat; non enim declarat se *fuisse* aut *fore*, sed *esse* Filium Dei unigenitum Patrique æqualem; atqui æqualis Deo tunc temporis non fuisset, si divina attributa seposuisset ad humanas infirmitates induendas. — Textus autem S. Pauli ita exponitur non solum a Patribus ac catholicis exegetis, sed etiam a plerisque Protestantibus : Filius Dei exinanivit semetipsum, id est, inanem ac vacuum se fecit conditione ac majestate divinâ, non formam Dei deponendo, sed eam occultando sub formâ servi, ut sequentibus verbis declaratur " *formam servi accipiens* ".

[1] *Philip.*, II, 7.
[2] *Kenotica* dicitur illa theoria propter verbum ἐκένωσε quod usurpat S. Paulus in textu modo allato.

C) *Ratio* sufficienter probat Verbum non posse esse verum Deum quin sit omnino immutabile.

III. *Quænam sint dotes unionis hypostaticæ?*

729. 1° *Unio hypostatica est perpetua.* Scilicet :

A) *Verbum assumpsit humanam naturam primo instanti quo concepta fuit. De fide* est contra *Origenistas*, qui præexistentiam animarum admittentes, docuerunt animam Christi extitisse ante unionem hypostaticam, et meruisse Incarnationem; nec non contra *Paulum Samosatenum* et *Nestorium*, qui docuerunt Christum prius extitisse, ut hominem, quam a Verbo assumeretur.

Etenim : a) is quem concipit B. Virgo jam ab initio conceptionis vocatur *Filius Altissimi* [1], et *Dominus* [2]; b) S. Leo, in *Epistolâ Dogmaticâ* [3], scribit : " Natura nostra non sic assumpta est ut prius creata post assumeretur, sed ut ipsâ assumptione crearetur. "

B) *Verbum ita assumpsit humanam naturam ut eam nunquam reliquerit, nec unquam sit relicturum.* Est contra Sabellianos, *Marcellum Ancyranum* et *Photinum*, qui docuerunt, peracto finali judicio, Verbum depositurum esse naturam humanam; necnon contra *Leporium* et alios qui contenderunt unionem hypostaticam interruptam fuisse triduo mortis Christi.

Etenim, a) quoad triduum mortis, 1) descensus ad inferos et sepultura attribuuntur *Filio Dei* in Symbolo; 2) aliunde, mors, quæ est separatio corporis et animæ, non trahit separationem divinitatis ab humanitate [4].

b) Peracto autem judicio finali, 1) Christus *manet in æternum*, juxta S. Paulum [5]; 2) quod confirmat Concil. *Chalcedonense* docens " unum eumdemque Christum in duabus naturis *immutabiliter*, *inseparabiliter* esse agnos-

---

[1] *Matth.*, I, 20-23; *Luc.*, I, 30. — [2] *Luc.*, I, 43.
[3] *Epist.* 35 ad Julianum. Cf. JOURNEL, n. 386 Indicis theolog.
[4] Magno æstu olim disputatum est Dominicanos inter et Franciscanos num triduo mortis Verbum unitum remanserit sanguini in cruce effuso; *Pius II* decretum edidit (1464) ne hâc de re disputarent donec quæstio a S. Sede definita fuisset (DENZING., n. 718 (609); nunquam vero definita fuit. Probabilius videtur Verbum unitum remansisse sanguini qui resurrectionis tempore resumendus erat.
[5] *Heb.*, VII, 24.

cendum"; 3) præterea, Deus non solet opera sua, præsertim perfectissima, destruere.

730. 2° *Unio hypostatica est immediata.* Scilicet :

A) si consideratur ordo *executionis*, Verbum assumpsit *immediate* tum corpus, tum animam; etenim a) dicitur in Scripturâ : "Verbum caro factum est"; porro hæc verba sensu obvio important Verbum directe assumpsisse carnem; b) confirmatur ex eo quod Verbo directe tribuuntur operationes non solum animæ, sed etiam corporis, ut manducatio, fatigatio, dolores physici, etc.

B) Si consideratur ordo *intentionis*, Verbum assumpsit corpus mediante animâ, seu propter animam; nam Verbum non assumpsit corpus nisi quia erat corpus humanum; atqui corpus non est humanum nisi propter animam rationalem cui unitur; ergo.

731. 3° *Unio hypostatica est arctissima.* Videlicet :

A) *Verbum divinum ita assumpsit humanam naturam, ut intrinsecus eam penetraret, quamvis ab eâ distinctum maneret.* Cùm enim Verbum terminet et hypostatice sustentet humanam naturam, totum hominem permeare debet et quasi medullitus perficere. In hoc munere, Verbum comparatur igni qui, "ubi lignum penetravit, illud in suam ipsius claritatem ac vires transfert, eo tamen servato quod erat [1]".

B) *Unio Verbi cum humanâ naturâ est omnium maxima :* Etenim, ex unâ parte, extrema hujusce unionis sunt a se invicem summe dissita, cùm Verbum sit infinitum, humana vero natura finita; ex alterâ parte, arctissime conjunguntur, cùm in unam coadunentur personam, ita ut, juxta gravissimos theologos, existentiâ unâ eâdemque, scilicet divinâ, existant natura humana et natura divina.

C) *Persona Christi est aliquo sensu composita.* Siquidem considerari potest *in se*, et sic est omnino simplex, sicut et natura Verbi; alio modo considerari potest secundum *munus* personificandi quod dupliciter exercet, prout in duabus naturis subsistit, et tunc est composita, quia constat ex duabus naturis realiter distinctis, licet unitis : hinc legitur in ep. *Agathonis* ad imperat. : "Ex quibus (naturis) inconfuse, inseparabiliter et incommutabiliter est *compositus* [2]".

---

[1] S. CYRILLUS ALEX., *Ad Nestor.*, l. II; cf. JOURNEL, 1431, 1393.
[2] DENZ., 288 (235); cf. JOURNEL, 2362.

Art. III. Consectaria unionis hypostaticæ quoad naturam assumptam.

Dicemus de dotibus : 1° intellectûs assumpti; 2° voluntatis; 3° appetitûs sensitivi; 4° corporis.

§ I. De dotibus intellectûs, seu de scientiâ humanâ Christi.

732. *Protestantes* non pauci, imprimis *Liberales*, nostris præsertim diebus, plus æquo scientiam humanam Christi limitant, eâ ratione ut nobis similior Christus appareat, veri progressûs capax et omnino liber : hinc contendunt eum multa ab initio ignorâsse, et suam missionem nonnisi post aliquod tempus et quasi pedetentim novisse. Eumdem fere errorem profitentur : **a**) *Guntheriani* paucique alii catholici moderni, ut *H. Schell*, qui docent Christum ut hominem visionem beatificam non habuisse saltem ab initio; sed multa ignorâsse, quæ nonnisi paulatim didicit; **b**) *Modernistæ* juxta quos " criticus nequit asserere Christo scientiam nullo circumscriptam limite... ", et speciatim, ab initio, " conscientiam suæ dignitatis messianicæ [1] ". Contra quos statuitur :

733. **Thesis I**[a] : *Christus ut homo scientiam eximiam habuit, ab omni errore et ignorantiâ immunem.* Certum est.

1° Juxta *Scripturam*, Christus, plenus gratiæ et veritatis [2], omnibus thesauris sapientiæ et scientiæ ditatus [3], cordium scrutator [4] et futurorum nuntius [5], est magister quem nos audire debemus [6], testis æternæ veritatis [7], qui fratribus suis hominibus veram perfectamque lucem et cognitionem Dei affert. Porro hæc omnia ostendunt doctorem eximiâ scientiâ ornatum et infallibilem, ne quis eum sequens in tenebris ambulet [8].

734. 2° Quoad *Patres*, tria præsertim stadia distingui possunt.

---

[1] Denz., 2034-35. — [2] *Joan.*, I, 14. — [3] *Coloss.*, II, 3.
[4] *Matth.*, IX, 4; XII, 25.
[5] *Marc.*, X, 33; *Matth.*, XX, 17-19; XXVI, 21-25, 31, 34, 47-49, 57; XXVII, 2, 26, 30, etc.
[6] *Matth.*, XXIII, 10; *Luc.*, IX, 35; *Joan.*, XIII, 13.
[7] *Joan.*, III, 11; XVIII, 37; *Apocalyps.*, I, 5. — [8] *Joan.*, VIII, 12.

A) *Per tria priora sæcula*, sæpe agitur de Christo *luce* et *pædagogo* hominum, sed nonnisi obiter de perfectione et extensione scientiæ humanæ quâ præditus erat [1].

B) *Sæculis IVº et Vº*, occasione Arianæ hæresis, de scientiâ Christi directe disputatum est. Ariani enim dicebant Christum plura ignorâsse, præcipue diem judicii, eumque in scientiâ vere profecisse [2]. Patres autem diversimode hanc difficultatem solvunt : omnes quidem asserunt Christum ut Deum infinitâ scientiâ pollere; non pauci concedunt eum, ut hominem, quædam ignorâsse, præsertim diem judicii, licet supponant eum ab errore immunem fuisse. Sed multo plures, cum *S. Augustino*, affirmant nullam in eo fuisse ignorantiam : " Quam plane ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis, nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis [3]". Si igitur Dominus aliquando dixit se aliquid nescire, ita locutus est quia non expediebat id hominibus revelare [4].

C) *A sæc. VIº ad XIIum*, occasione hæresis Agnoetarum, communis evadit sententia Christum ut hominem nihil ignorâsse ex iis quæ ad munus suum spectant.

Errant ergo ipsi Liberales et Modernistæ dùm dicunt Christum erravisse regnum Dei eschatologicum annuntiando tanquam proxime futurum. Regnum enim Dei quod Dominus prædicat, est *novum fœdus* inter Deum et homines statuendum, in quantum *antiquo fœderi* succedit. Hoc autem fœdus triplex veluti stadium complectitur : a) jam *inchoatur* per prædicationem Christi, ideoque regnum Dei jam ingrediuntur ii omnes qui Evangelio credunt et obediunt; b) hoc autem non *consummabitur* nisi ultimo judicio et beatitudine æternâ electis conferendâ; c) interea vero instituitur regnum *externum* et *visibile* ex iis constans qui, sub magisterio et auctoritate Petri et Apostolorum, fidem, caritatem ceterasque virtutes excolunt ad vitam æternam consequendum.

735. Thesis IIa : *Triplex scientia distinguitur in Christo : scientia seu visio beatifica, scientia infusa, et scientia experimentalis.*

---

[1] Cfr. S. Irenæus, *Adv. Hæres.*, II, 28, 6-8; Origenes, *in Matth.*, *P. G.*, XIII, 865, 1686-1688.

[2] Objiciebant siquidem hos textus : "De die autem illo, vel horâ, nemo scit neque Angeli in cælo, *neque Filius*, nisi Pater" (*Marc.*, XIII, 32); " Jesus proficiebat *sapientiâ* et ætate et gratiâ apud Deum et homines" (*Luc.*, II, 52).

[3] *De peccat. meritis*, II, 48. — [4] *De fide*, V, 220, 222.

736. 1° *Christus ut homo a primo instanti suæ conceptionis intuitivam visionem habuit, quâ Deum facie ad faciem videbat, et creaturas in Eo.* Ita communis et vera sententia : theologi enim omnium scholarum, a sæc. XII usque ad tempora nostra, fere unanimes sunt in propugnandâ thesi nostrâ; jamvero "concordem omnium theologorum scholæ de fide aut moribus sententiam contradicere, si heresis non est, at hæresi proximum est[1]".

Suadetur rat. convenientiæ : **a)** Christus, ut homo, præceptor generis humani, homines ad visionem beatificam dirigere debuit, juxta illud : "Ego sum via, veritas, et vita[2]", quod munus perfecte exercere nequivit nisi, per visionem beatificam, perfectam cognitionem habuerit mysteriorum et ipsius beatitudinis. **b)** Heres naturalis statim hereditate fruitur, nisi aliquid adsit quod ejus possessionem impediat; atqui Christus ab initio erat naturalis Dei Filius, proindeque heres, nec aderat impedimentum quo hereditatem adire prohiberetur; ergo ab initio fruebatur divinâ hereditate, scilicet visione beatificâ. **c)** Hoc genus cognitionis competit Christo ut propriæ divinitatis clare conscius esse valeat.

Cum visione beatificâ compossibilis fuit in Christo : **a)** tum qualitas viatoris, quia Christus erat *comprehensor* quatenus visione beatificâ fruebatur, *viator* autem quatenus experimentalem et infusam scientiam habebat; **b)** tum passio ipsa quia visio beatifica in superiori parte animæ Christi continebatur, ac proinde tum corpus, tum inferior animæ pars pati poterant; imo et quòd ipsa superior pars animæ aliquando videbatur derelictioni obnoxia, juxta illa verba Christi in cruce[3] : "Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me", hoc non erat incompossibile cum gaudio visionis intuitivæ : martyres, dum fortiter pro Deo tormenta tolerarent, gaudebant quidam pro ejus nomine pati, sed simul pœnam acerbam sentiebant.

Objectum autem *primarium* visionis beatificæ in Christo fuit Deus ipse, unus et trinus, quem Christus præ omnibus creaturis perfectissime contemplabatur. Nam tanto magis quis videt Deum quanto propinquior est ipsi; atqui, anima humana Christi propinquior est Deo quam quælibet alia creatura, cùm ei uniatur in personâ[4]. *Secundarium* objectum fuerunt omnia contin-

---

[1] M. CANUS, *de Loc. theol.*, l. VIII, c. 4. Cfr. SUAREZ, disp. XXV, sect. 1; Decret. *S. Officii*, 7 Jun. 1918.
[2] *Joan.*, XIV, 6. — [3] *Matth.*, XXVII, 46.
[4] S. THOMAS, 3a p., q. 10, a. 4.

gentia quæ ad proprium statum Christi pertinent : cùm autem Christus sit Caput, Rex et Judex omnium hominum, cognoscere debet omnia quæ egerunt et agent; cùm insuper sit aliquo sensu Caput Angelorum, debet etiam cognoscere ea quæ ad ipsos referuntur.

737. 2° *Christus ut homo habuit scientiam infusam, quâ res cognoscebat per ideas seu species a Deo immediate inditas.*

Quidam theologi, præsertim *Scotistæ*, Christo denegant scientiam *per se infusam*[1], utpote inutilem (cùm jam Christus omnia cognoscat per visionem beatificam) et in Scripturis non fundatam. Plerique tamen, cum *S. Thomâ*, autumant in Christo fuisse *scientiam per se infusam;* nam ea scientia Christo tribuenda est, quæ quibusdam aliis creaturis concessa est, et aliunde fini Incarnationis maxime convenit; atqui scientia per se infusa Angelis, et scientia per accidens infusa quibusdam hominibus, v. g., Apostolis, pariter fuit concessa; aliunde talis scientia maxime inservit Incarnationis finibus; nam, cum illâ, Christus mereri potuit ab initio, dum, sine illâ, ab initio mereri non potuisset : siquidem scientia experimentalis tunc non existebat in Christo; aliunde actus eliciti sub influxu visionis beatificæ, non sunt meritorii[2].

738. 3° *Admittenda est in animâ Christi scientia experimentalis, exercitio sensuum et intellectûs acquisita.* Etenim : A) S. Paulus de Christo dicit : " Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex eis quæ passus est, obedientiam[3] "; atqui illa verba important Christum, qui jam aliunde *theoretice* obedientiam cognoscebat, per propriam experientiam, per dolores ex obedientiâ susceptos, modo *novo* et *practico* quid sit obedientia, quid secum involvat cognovisse.

B) Ex dictis supra, Christus habebat intellectum verè *humanum*, et exinde aptum ad ideas a rebus sensibilibus abstrahendas ope sensuum externorum et internorum; atqui talis

---

[6] Scientia *per se infusa* ea est quæ ex se naturam alicujus excedit, atque idcircò solâ communicatione divinâ obtineri potest, ut est, v g., cognitio futurorum contingentium, vel immediata essentiarum cognitio in homine; scientia *infusa per accidens* ea dicitur quæ, licet ex se nativis viribus comparari posset, de facto tamen divinâ communicatione obtinetur, ut est, v. g., notitia alicujus idiomatis divinitus data : hanc esse in Christo omnes concedunt.

[2] Quidam tamen theologi putant Christum mereri potuisse amoris actibus per scientiam beatam regulatis. Cf. SALMANTIC., *De Incarn.*, disp. III, n. 55.

[3] *Heb.*, V, 8.

intellectus otiosus remanere nequibat, sed ex quotidianâ inspectione creaturarum, ideas ac proinde scientiam acquirere debebat.

739. Hæc autem scientia : a) successive et *vero progressu*[1], prompte tamen et celeriter pro perfectione intellectivarum ac sensitivarum potentiarum, acquisita fuit; b) sese extendit ad omnia quæ cognosci possunt virtute intellectûs agentis.

§ II. De dotibus voluntatis Christi.

Dicemus : 1° de *sanctitate;* 2° de *libertate;* 3° de *potentiâ* Christi.

I. *De Sanctitate Christi.*

Duplex est Christi sanctitas : *negativa* et *positiva.*

1° De Sanctitate negativâ.

740. *Sanctitas negativa* Christi quatuor elementa complectitur : immunitatem *a peccato*, *impeccabilitatem*, immunitatem *a concupiscentiâ*, immunitatem *ab imperfectionibus.*

Argumento *generali* probatur hæc quatuor Christo competere : vi unionis hypostaticæ, Verbum sua facit omnia quæ humanæ naturæ insunt aut ab eâ peraguntur, cùm *actiones sint suppositorum;* atqui Verbum sua facere nequit peccata aut ipsam possibilitatem peccandi, nec proinde fomitem peccati seu concupiscentiam, immo nec imperfectiones morales. Quod confirmatur per partes.

A) *Christus homo fuit ab omni peccato immunis tum originali, tum actuali.* De fide est ex Concil. *Florent.:* " Firmiter credit, profitetur et docet (Ecclesia) neminem ex viro feminâque conceptum a diaboli dominatione fuisse liberatum, nisi per meritum mediatoris Dei et hominum, Jesu Christi D. N., *qui sine peccato conceptus, natus et mortuus*, humani generis hostem, peccata nostra delendo, solus suâ morte prostravit[2] ".

Siquidem : a) de Christo dicit *Scriptura :* " Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus[3] " : quod excludit omne peccatum actuale; peccatum vero originale excludit hoc encomio absoluto : " Decebat ut nobis esset Pontifex

---

[1] *Luc.*, II, 52. — [2] Denz., 711 (602). — [3] *I Pet.*, II, 22.

sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cælis factus [1] "; b) Concil. autem *Ephes.* (can. 10) dicit de Christo : " Non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit [2] "; c) præterea, ii soli originale peccatum contrahunt, qui active ex Adamo generantur.

741. B) *Christus homo fuit absolute impeccabilis.* Certum videtur contra *Günther* et *Farrar*, propter communem Patrum consensum, inter quos Origenes rem sic comparatione illustrat [3] : " Sicut massa aliqua ferri in igne posita et tota ignis effecta, non potest frigus aliquando recipere; sic illa anima quæ semper in Verbo, semper in sapientiâ, semper in Deo posita est, inconvertibilitatem possedit [4] ".

742. C) Certum est Christum *nullos habuisse inordinatos concupiscentiæ motus*, *imo communiter tenetur nec ipsum habuisse fomitem concupiscentiæ*, seu potentiam habendi motus inordinatos.

Nam a) concupiscentia est sequela originalis peccati, quod in Christo non fuit; b) Concil. Œcum. V^{um} damnavit Theodorum Mopsuestenum qui dicebat Christum fuisse " a passionibus animæ et concupiscentiis carnis molestatum [5] "; c) præterea, quanto gratia et virtutes perfectius in animâ radicantur, tanto magis appetitum sensitivum rationi subjiciunt; atqui in Christo fuit virtus quam perfectissima; ergo in eo fomes peccati non fuit [6].

Christus autem *non fuit immunis ab impugnationibus mundi et diaboli*, sed e contra fuit " tentatus per omnia, pro similitudine, absque peccato [7] "; et ita victoriam promeruit, nobisque exemplum reliquit, quod, adjuvante gratiâ, imitari possumus, strenue contra tentationes certando [8].

743. D) *Christus immunis fuit ab imperfectionibus in ordine morali*, quippe qui universam voluntatem Dei semper egerit et ejus gloriam indesinenter promoverit [9].

---

[1] *Heb.*, VII, 26. — [2] JOURNEL, n. 397, 398 Indicis theol.
[3] *De Princip.*, l. II, c. 6. Cf. JOURNEL, n. 399 Ind. theol.
[4] Attamen sententia *Scoti* qui docebat Christum *de se* peccare posse, sed ex divinâ Providentiâ esse impeccabilem (*in III Sent.*, XIII, q. 1, ad 2) a theologicâ censurâ immunis est, ex declaratione S. Congreg. jussu Pauli V editâ.
[5] DENZ., 224 (183).
[6] Imo plerique theologi tenent nec de potentiâ Dei absolutâ potuisse in Christo esse fomitem peccati. Cf. SALMANT., disp. XXV, dub. 4.
[7] *Heb.* IV, 15. — [8] *Luc.*, IV, 1-13; *Heb.*, IV, 15.
[9] *Joan.*, VIII, 29; XVII, 4.

2° Sanctitas positiva Christi.

744. *Sanctitas positiva* Christi duplici gratiâ constituitur : gratiâ unionis quæ resultat ex ipsâ unione hypostaticâ, gratiâ sanctificante quæ est qualitas creata et supernaturalis quâ divinæ efficimur consortes naturæ.

A) **Thesis I^a** : *Christus homo habuit gratiam unionis, seu aliis verbis, ipsa unio hypostatica reddidit animam Christi sanctam et Deo gratam.*

Ita *communiter* contra Scotistas, qui contendunt unionem hypostaticam *per se*, absque gratiâ creatâ, *formaliter* non sanctificare humanitatem.

Prob. a) auctoritate Patrum et theologorum. Ita *S. Augustinus*[1] scribit : " In quo (Verbo) et ipse filius hominis sanctificatus est ab initio creationis suæ, quando Verbum factum est caro, *quia una persona facta est Verbum et homo.* Tunc ergo sanctificavit *se in se*, hoc est hominem *se* in Verbo *se*, quia unus Christus Verbum et homo, sanctificans hominem in Verbo ". Et *S. Joannes Damasc.* nobis repræsentat ipsam carnem Christi non solum operatione Dei unctam, sed *totius ungentis præsentiâ*[2]. A sæculo autem XVI°, hæc sententia in omnibus Scholis accepta est ita ut a *Suarez* dicatur sine dubio vera[3].

b) *Ratione theol. :* Unio enim hypostatica *per se* 1) reddit Christum non solum immunem a peccato, sed etiam omnino impeccabilem; 2) eumdem participem efficit divinæ naturæ non solum accidentaliter et moraliter, sed substantialiter et permanenter; 3) illum reddit Filium Dei non solum adoptivum, sed etiam naturalem, et ipsi confert jus speciale ad hereditatem divinam; et exinde 4) reddit humanitatem Christi infinite Deo gratam : gratia enim unionis est infinita *secundum quid*, ratione scilicet termini qui est infinitus[4].

745. **B) Thesis II^a** : *Anima humana Christi gratiâ sanctificante creatâ exornata fuit.* Ita communiter, et probatur :

---

[1] *In Joan.*, CVIII, 5. — [2] *Orat. I de Imag.*, in fine.
[3] Disp. XVIII, sect. I, n. 3.
[4] S. Thomas, 3^a p., q. 7, a. 11; Suarez, disp. XXII, sect. I, n. 13.

a) *Script.*, ubi legitur de Christo : " Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ... " et quidem gratiæ ejusdem speciei ac nostra, cùm subdat Evangelista : " et de plenitudine ejus nos omnes accepimus et gratiam pro gratiâ[1] ".

b) *Patribus*[2]: quorum doctrinam contraxit *S. Bernardus*[3] explicans verba evangelica : *ideoque et quod nascetur ex te Sanctum :* " Posuit ergo indefinite *sanctum*, quia quidquid illud sit quod Virgo genuit, sanctum procul dubio ac singulariter sanctum fuit, et per *Spiritûs sanctificationem* et per *Verbi assumptionem* "; ubi duplicem sanctitatem in Christo distinguit, *creatam* quam vocat Spiritûs sanctificationem, et *gratiam unionis* quam Verbi assumptionem appellat.

c) *Rat. convenient.* Gratia habitualis in Christo admittenda est propter tria : 1) propter *unionem* animæ illius cum Verbo : quanto enim aliquod receptivum propinquius est causæ influenti, tanto magis participat de influentiâ ipsius; atqui anima Christi propinquissima erat gratiæ fonti, scilicet Deo. 2) Propter *perfectionem* Christi : nam, etiamsi anima Christi per ipsam unionem hypostaticam sit sancta, tamen gratia sanctificans ei novum decorem addit ipsi inhærentem et quasi proprium. 3) Propter ejus *munera :* Christus, ut homo, est mediator apud Deum, et ipse in nos effundere debet gratiam sanctificantem : atqui convenientiùs diffundit illud quod habet[4].

746. **Corollaria.** a) *Christus habuit plenitudinem gratiæ non solum relativam, ut alii sancti, sed etiam absolutam.*

Duplex siquidem distinguitur plenitudo gratiæ : prior *relativa*, quâ quis omnem gratiam possidet quam requirit ejus conditio et status, et in hoc sensu multi sancti dicti sunt pleni gratiâ et Spiritu Sancto; posterior est plenitudo *absoluta*, quâ tanta gratia habetur quanta haberi potest *de potentiâ Dei ordinatâ;* et illam plenitudinem gratiæ solus Christus habuit, quia : 1) non potest dari majus munus et officium quam officium Christi, cùm sit Caput, Redemptor et Mediator omnium hominum; 2) anima Christi gratiam recipiebat, ut ex eâ quodammodo transfunderetur in alios; et ideo oportuit eum habere maximam gratiam, sicut qui est causa caloris in omnibus calidis,est maxime calidus[5].

---

[1] *Joan.*, I, 14. — [2] JOURNEL, n. 394 Indicis theol.
[3] *Homil.* IV super *Missus est.* — [4] *Sum. theol.*, 3ª p., q. 7, a. 1.
[5] S. TH., 3, q. 7, a. 9.

b) Gratia Christi non fuit quidem infinita *entitative*, cùm reciperetur in animâ Christi finitâ, sed potest dici infinita *in genere moris*, quatenus nempe cooperabatur actionibus supernaturalibus quæ, propter unionem hypostaticam, erant infiniti valoris[1].

c) *Christus habuit hanc plenitudinem gratiæ ab initio.* Etenim hæc plenitudo gratiæ Christo tribuitur, ex supra dictis, propter unionem hypostaticam, quæ ab initio existebat.

Proficiebat[2] ergo Jesus, non secundum habitus sapientiæ et gratiæ augmentatos, sed tantum secundum effectus, " quia secundum processum ætatis *perfectiora* opera faciebat, ut se verum hominem demonstraret, et in his quæ sunt ad Deum, et in his quæ sunt ad homines[3] ".

d) *Christus habuit omnes virtutes theologicas et morales quæ non repugnant visioni beatificæ aut unioni hypostaticæ.*

Etenim virtutes supernaturales sunt veluti proprietates et effectus gratiæ sanctificantis, et tanto perfectius in animâ imprimuntur quanto perfectior est gratia sanctificans; atqui, ex dictis, gratia sanctificans Christo collata perfectissima fuit; ergo modo perfectissimo possedit virtutes supernaturales[4].

747. Hinc Christus non habuit *fidem*, quæ cum visione beatificâ est incompossibilis[5], — nec *spem*, cùm ab initio possessione Dei frueretur : expectabat tamen glorificationem proprii corporis, — nec *pœnitentiam* quæ est dolor de proprio peccato : egit tamen opera pænitentiæ pro peccatis nostris, — nec *continentiam* stricte sumptam, quæ supponit motus concupiscentiæ inordinatos.

e) *Christus habuit omnia dona Spiritûs Sancti.* *Isaias* enim expresse asserit Spiritum Sanctum Messiæ seu Christo collaturum esse omnia sua dona : " Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectûs, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris[6] ".

Aliunde illa dona consequuntur gratiam sanctificantem et disponunt animam ad prompte obediendum Spiritui sancto; atqui Christus homo erat plenus gratiâ et perfectissime a Spiritu sancto movebatur.

---

[1] Cf. S. THOMAS, q. 7, a. 11. — [2] *Luc.*, II, 52.
[3] S. TH., 3ª p., q. 8, a. 12, ad 3. — [4] S. TH., 3, q. 7, a. 2.
[5] S. TH., 3, q. 7, a. 3. — [6] *Isa.*, XI, 1.

f) *Christus habuit gratias actuales.* Non poterat enim agere humanâ naturâ nisi Deo concurrente et auxiliante. Ad agendum vero supernaturaliter, auxilio Dei supernaturali indigebat.

g) *Christus habuit omnes gratias gratis datas.* Etenim gratiæ gratis datæ, v. g. donum miracula patrandi, donum prophetiæ, scientiæ, etc., conferuntur fidei doctoribus, ut fidem, quam prædicant, verbis suadeant, et signis confirment : atqui Christus est primus et principalis Doctor fidei : ergo conveniebat ut ipsi conferrentur omnes gratiæ gratis datæ [1].

II. *De libertate Christi.*

748. 1° **Notiones.** Libertas *a coactione* est expedita potestas spontanee agendi, absque ullâ externâ coactione; libertas autem *a necessitate* est facultas eligendi unum præ altero, ita ut agens non sit *intrinsece* determinatus ad unum. Hæc iterum triplex est : libertas *contradictionis*, quâ eligere possumus inter actum et non actum, v. g., inter amare et non amare; libertas *specificationis*, quâ eligere valemus inter actus specie diversos, v. g., inter deambulare et legere; libertas *contrarietatis*, quâ quis eligere potest inter actus sibi contrarie oppositos, v. g., inter bonum et malum. Jamvero Christus habuit quidem libertatem contradictionis et specificationis, non autem libertatem contrarietatis ad malum, cùm esset impeccabilis.

749. 2° **Thesis** : *Voluntas humana Christi vere fuit libera, non solum a coactione, sed etiam a necessitate, saltem in plurimis. De fide est;* nam de fide est : **a**) Christo inesse omnes proprietates humanæ naturæ connaturales [2] et unam ex his proprietatibus esse libertatem a necessitate [3]; **b**) ad meritum requiri libertatem a necessitate et Christum vere pro nobis meruisse (n. 781).

Prob. **A**) *Script.* **a**) Christus, de passione suâ loquens, ait : " Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso [4] "; quo loco utitur

---

1 S. Th., q. 7, a. 7.
2 Denz.-Bann., 262 (210), 288 (235), 290 (237), 708 (601).
3 Denz.-Bann., 316 (279), 793 (675). — 4 *Joan.*, X, 17-18.

S. Augustinus[1] ut demonstret animam Christi corpus deseruisse "*quia voluit, quando voluit, quomodo voluit*".

b) Huc etiam pertinent textus quibus Christo potestas eligendi adscribitur : "Post hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam; non enim volebat in Judæam ambulare[2]"... "Qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemptâ[3]".

750. B) *Rat. theol.* Christus fuit obœdiens, et vere meruit[4]; atqui obœdientia et meritum libertatem supponunt.

751. 3° *Conciliatio libertatis in Christo cum impeccabilitate et visione beatificâ.*

A) Ad conciliandam libertatem cum *impeccabilitate* : a) multi, cum *Vasquez*, *Lugo*, *Tournely*, docent Christum non fuisse liberum circa substantiam, sed solum circa circumstantias præceptorum; speciatim dicunt *Petavius* et *Card. Billot* Christum fuisse liberum in moriendo, quatenus ei non impositum fuit præceptum strictum moriendi[5]; b) juxta *Thomistas* autem, quibus hâc in re assentiunt *Suarez*, *Lessius*, *Pesch*, aliique, Christus fuit liber in omnibus, non solum circa circumstantias præceptorum, sed etiam quoad ipsam substantiam præcepti : secùs enim tolleretur omnino proprie dicta obedientia Christi; nam Christus non fuisset obediens in servandis præceptis circa quæ non fuisset liber, nec in servandis præceptorum circumstantiis quæ non fuissent præceptæ. Libertas autem conciliatur cum impeccabilitate, ex eo quod Christus habuit semper gratiam efficacem, et quidem sibi debitam. Qui enim semper habet gratiam efficacem remanet liber, ut dicetur in *Tr. de Gratiâ*, sed non peccat; is autem, cui *debetur* talis gratia efficax, non solum non peccat, sed nec peccare potest. Ergo Christus potuit esse liber simul et impeccabilis.

---

1 *De Trin.*, l. IV, c. 13, n. 16. — 2 *Joan.*, VII, 1.
3 *Heb.*, XII, 2. — 4 *Philip.*, II, 8; *Heb.*, V, 8.
5 "Cùm vellet Deus absolutâ voluntate beneplaciti redemptionem hominum per liberam satisfactionem in morte crucis, eo ipso dicendus est non imposuisse Christo præceptum patiendi, sed ipsum beneplacitum divinæ voluntatis metaphorice dicitur in Evangelio præceptum sive mandatum, secundum quod apud nos homines præceptum solet esse signum voluntatis in superiore exsistentis". CARD. BILLOT, thesis XXX. Nec desunt testimonia ex quibus colligi possit vocem *mandatum* talem significationem apud auctores sacros obtinere, v. g. : "Dominus enim *præcepit* ei ut malediceret David"; "et *præcepit* turbæ ut discumberent super terram" (*IV Reg.*, XVI, 10; *Matt.*, XV, 35; Cf. *Marc.*. VII 36; X, 3-5; *Matt.*, XIX, 7-8).

752. B) Quoad conciliationem libertatis cum *visione beatificâ*, difficultas, quæ in omni systemate existit, in eo sita est quod fruentes visione beatificâ necessario Deum amant.

Ad solvendam hanc difficultatem : a) *Thomistæ* nonnulli duplicem amorem distinguunt in Christo : unum regulatum visione beatificâ ac proinde necessarium, alterum regulatum scientiâ infusâ vel acquisitâ ac proinde liberum. b) *Scotistæ* putant amorem beatificum non esse *intrinsece* necessarium, nec ideo opponi libertati interiori, sed esse necessarium *extrinsece* tantum, quatenus suâ Providentiâ Deus procurat ut beati in amore perseverent.

Fatendum est tamen non penitus tolli difficultatem, et rem esse mysterio plenam; irrationabile autem esset negare veritates, quarum existentia certo aliunde constat, eâ solâ ratione quia eas inter se conciliare non valemus.

III. *De potentiâ Christi.*

753. 1° *Anima Christi nec habuit nec habere potuit omnipotentiam,* quæ est proprietas soli naturæ divinæ competens.

2° *Anima Christi habuit potestatem longe præcellentem virtuti cujuslibet creaturæ, etiam angelicæ,* cùm habuerit potentiam non solum ad illos effectus faciendos qui sunt animæ convenientes, puta ad gubernandum corpus et ad disponendos humanos actus, sed etiam " ad illuminandum per gratiæ et scientiæ plenitudinem omnes creaturas rationales [1] ".

3° Anima Christi, *ut instrumentum Verbi*, "*habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas*, ordinabiles ad Incarnationis finem, qui est instaurare omnia, sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt [2] ". Revera Jesus multa patravit miracula, et quidem mediante humanâ naturâ assumptâ, ut ex his et similibus verbis colligitur : " Virtus de illo exibat et sanabat omnes"; "tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiisse [3] "; cùm vero humana natura incapax sit hujusmodi operum, nonnisi instrumentaliter operabatur.

§ III. De appetitu sensitivo Christi.

754. 1° *Fuerunt passiones in Christo*, scilicet :

a) *Amor*, dicitur enim : " Ecce quem amas infirmatur "; " Discipulus quem diligebat Jesus [4] ". Nec dici potest amo-

---

[1] S. TH., 3ª p , q. 13, a. 2. — [2] S. TH., *ibid.*
[3] *Luc.*, VI, 8; VIII, 46. — [4] *Joan.*, XI, 3; XIII, 23.

rem hujusmodi fuisse solum voluntatis actum; nam additur[1]: "Et lacrymatus est Jesus"; jamvero dilectio, quæ lacrymis se prodit, non est merus voluntatis actus, sed simul appetitûs sensitivi affectio. b) *Tristitia* : "Tristis est anima mea usque ad mortem[2]". c) *Timor*: "Cœpit pavere et tædere[3]". d) *Ira* : "Et circumspiciens eos cum irâ[4]".

Non fuit tamen in ipso *desperatio* proprie dicta, quæ deordinationem includit, sed solum illa animi dejectio, quæ nullam deordinationem moralem includit, sed magnam tristitiam supponit, v. g., quando Christus dixit in cruce : "Deus meus, ut quid dereliquisti me[5]"?

755. 2° *Christi passiones fuerunt recte ordinatæ*, et sic a nostris differentes : a) quoad *objectum*, nam in nobis feruntur sæpius ad illicita, dum in Christo tendebant tantum ad bonum honestum; b) quoad *principium* : in nobis sæpe præveniunt, dum in Christo sequebantur imperium rationis; hinc dicitur : "Infremuit spiritu, et turbavit seipsum[6]"; c) quoad *effectum* : passiones nos sæpe conturbant et commovent, dum in Christo rationi perfecte subdebantur[7].

§ IV. De corpore Christi.

756. 1° *Corpus Christi fuit passibile et mortale.* De fide est, ex variis Symbolis : "Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus..."

Revera, *Scripturâ* teste, expertus est famem, sitim, fatigationem, acerbissimos passionis cruciatus, et tandem crucifixus et mortuus est[8]. Idem etiam aperte declarat *S. Petrus*[9] : "Christus *passus* est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus".

Conveniebat autem Christum pati propter tria : a) ut satisfaceret pro peccatis; b) ut melius probaret se assumpsisse humanam naturam integram; c) ut nobis patientiæ perfectum exemplum præberet[10].

757. *Explicatur.* a) Christus *assumpsit communes infirmitates*, quia et ipse missus est in similitudinem

[1] *Joan.*, XI, 35; cf. *Matth.*, XXIII, 37; *Luc.*, XIX, 41.
[2] *Matth.*, XXVI, 37. — [3] *Marc.*, XIV, 33.
[4] *Marc.*, III, 5; cf. *Joan.*, II, 14-17. — [5] *Matth.*, XXVII, 46.
[6] *Joan.*, XI, 33. — [7] S. TH., q. 15, a. 4.
[8] *Matth.*, IV, 2; *Joan.*, IV, 6; XIX, 28. — [9] *I Pet.*, II, 21.
[10] S. TH., q. 14, a. 1.

carnis peccati; b) *non autem habuit accidentales infirmitates*, scilicet morbos, quia non decebant illius perfectam naturam, cùm sæpe veniant "ex culpâ hominis, puta ex inordinato victu, quandoque autem ex defectu virtutis formativæ, quorum neutrum convenit Christo, quia et caro ejus de Spiritu Sancto concepta est..., et ipse nihil inordinatum in regimine suæ vitæ exercuit[1]"; c) hos defectus Christus libere assumpsit, non necessitate naturæ, nec ei dominabantur, sed pro nutu eos vitare, temperare aut suspendere poterat.

758. 2° *Christus assumpsit corpus humanum perfectum, integrum, et bene dispositum, conditioni suæ conveniens.* Certum est.

Etenim defectus huic perfectioni oppositi, cùm non consistant in aliquâ actione aut passione, ad meritum vel satisfactionem nil contulissent.

759. 3° *Probabilius Christus eam assumpsit corporis pulchritudinem quæ virum decet.*

Quidam inter veteres Patres hoc quidem negaverunt propter *Isaiæ* verba : "Non est ei species neque decor[2]"; sed immerito, quia præfata verba passionem Christi describunt.

Alii autem, præsertim *S. Hieronymus* et *S. Chrysostomus*, affirmant, et eorum sententiam communiter amplectuntur theologi. Quod tamen intelligendum est de virili, non de femineâ pulchritudine. Revera corpus, immediate formatum a Spiritu Sancto, debebat præ se ferre perfectionem tanto artifice dignam.

CAPUT II.

De mysterio Redemptionis seu Soteriologia.

Post *prænotanda* de notione et hypotheticâ necessitate redemptionis, in duplici articulo dicemus : 1° de *existentiâ* et *dotibus* redemptionis; 2° de *muneribus* Christi redemptoris; tandem, per modum *coronidis*, exponemus controversiam inter Thomistas et Scotistas de motivo proximo Incarnationis.

---

[1] S. TH., q. 14, a. 4. — [2] *Isai.*, LIII, 2.

Prænotanda.

I. *Notio Redemptionis.*

760. Notandum est hoc dogma nunquam fuisse *ex professo* ab Ecclesiâ definitum, sed de eo obiter tantum actum esse, occasione personæ Christi, peccati originalis, justificationis, sacrificii Missæ, in *Symbolis*, et in *Actis* Conciliorum[1] ac SS. Pontificum[2], ex quibus definitio colligi potest.

761. A) Redemptio *in genere* est actus quo res, antea possessa et amissa, iterum acquiritur, soluto pretio.

762. B) Redemptio *generis humani* definiri potest : *actus quo genus humanum lapsum, per substitutionem Christi satisfacientis et merentis, fuit a servitute diaboli ereptum, et in amicitiam Dei redintegratum.*

Dicitur : **a**) per *substitutionem*, etc.; quibus verbis exprimitur *modus* quo facta fuit Redemptio : Christus siquidem constitutus fuit Caput morale nostrum, sicut Adam, et loco nostri, pretium solvit redemptionis nostræ : per *satisfactiones* suas peccata nostra delevit, et per *merita* sua gratiam nobis restituit. **b**) Fuit a *servitute*, etc.; ita exponitur *duplex* Redemptionis effectus : per *peccatum*, homo servus diaboli constitutus fuerat, et divinâ amicitiâ juribusque ad æternam hereditatem privatus; per *Redemptionem*, a servitute diaboli fuit ereptus, et in gratiam ac proinde in amicitiam Dei redintegratus, cum jure ad æternam beatitudinem.

II. *Hypothetica necessitas Redemptionis.*

763. **Status quæstionis.** **a**) Incarnatio non fuit *absolute* necessaria, ut contendit *Wicleffus*, eo falso principio innixus quod " omnia de necessitate absolutâ eveniunt[3] ". Nec etiam, datâ creatione, Incarnatio fuit necessaria, quidquid in contrarium dixerunt *optimistæ*, *Malebranche* et *Leibnitz;* licet enim gloria *accidentalis* seu *externa* Dei per Incarnationem augeatur, Deus tamen, utpote sibi sufficientissimus, hâc extrinsecâ gloriâ minime indiget.

---

[1] *Ephesini* scilicet, *Tridentini.*
[2] *Clementis VI*, apud DENZ., 550-552; *Alexandri VIII*, apud DENZ., 1294-1295 (1161-1162); *Pii X*, in decreto *Lamentabili*, DENZ., 2038.
[3] DENZ., 607 (503).

b) Quæritur num Redemptio sit necessaria *hypothetice* : 1° positâ existentiâ *originalis peccati;* 2° positâ in Deo *voluntate reparandi* genus humanum; 3° posito quod Deus exigere velit reparationem *æquivalentem.*

764. **Theses.** 1° *Positâ existentiâ peccati originalis, Redemptio non fuit necessaria, sed conveniens.* Certum est.

a) *Non fuit necessaria*, quatenus Deus poterat vel annihilare genus humanum, vel eum ad ordinem naturalem reducere. Certum est contra quosdam theologos, et præsentim contra *S. Anselmum*, qui docet Incarnationem in illâ hypothesi esse *necessariam*[1].

Etenim : 1) in *Script.* Redemptio misericordiæ Dei tribuitur : " Secundum *misericordiam* suam salvos nos fecit [2] "; 2) *ratio* demonstrat Redemptionem non esse necessariam nec ex parte Dei qui est liber in omnibus operibus ad extra, — nec ex parte hominis, qui postquam *suâ* culpâ amiserit gratiam gratuito concessam, nullo modo *exigere* potest reparationem.

b) Fuit tamen *conveniens*, 1) quia peccatum humani generis fuit minus grave quam Angelorum culpa, utpote solâ voluntate Adami causatum et ex tentatione diaboli, 2) quia voluntas hominis post peccatum remansit versatilis et exinde capax pænitentiæ.

765. 2° *Positâ in Deo voluntate genus humanum reparandi, Redemptio per Christum non fuit necessaria.* Certum est contra *Tournely* aliosque paucos theologos.

Siquidem Deus genus humanum reparare poterat multis aliis modis : a) gratis condonando, b) *imperfectam* satisfactionem acceptando.

766. 3° *Posito quod Deus exigere voluerit satisfactionem æquivalentem, Incarnatio alicujus personæ divinæ stricte fuit necessaria.* Ita *communiter* contra *Scotistas*, qui contendunt, etiam in illâ hypothesi, Incarnationem non esse necessariam, quia juxta ipsos, peccatum mortale, non habens infinitam malitiam, potest per simplicem creaturam reparari.

---

[1] *Cur Deus homo*, l. I. — [2] *Tit.*, III, 5; cf. *Ephes.*, II, 4.

Probatur ex *infinitate* peccati : *offensa* Deo irrogata per peccatum mortale est infinita in genere *moris*[1]. Siquidem offensa crescit secundùm dignitatem personæ læsæ, juxta illud : "*injuria est in personâ injuriatâ* ". Persona autem læsa in casu est *infinita.* Ergo hæc offensa nonnisi per infinitam personam reparari potest. Nam quævis creatura, utpote *finita*, reparationem non potest præbere infinitam, juxta illud : "*honor est in honorante* ", seu mensuratur secundum dignitatem personæ honorantis[2].

ART. I. EXISTENTIA ET DOTES REDEMPTIONIS.

767. **Status questionis.** 1° *Errores* : **a**) Per *excessum*, Protestantes antiqui ita perverterunt doctrinam Redemptionis ut eam rationi repugnantem reddiderint, viamque Socinianorum negationibus paraverint. Juxta illos, Christus ita peccata nostra in se suscepit ut Deo odiosus ab eoque maledictus fuerit, et in cruce aut in descensu ad inferos damnatorum tormenta sustinuerit. Nihil igitur nobis faciendum aut patiendum manet : salus per solam fidem in Christi merita obtinetur. **b**) Per *defectum* : 1) primis sæculis Redemptio indirecte negata fuit ab eis qui divinitatem Christi vel peccatum originale rejiciebant; 2) recentius *Sociniani* et Protestantes *Liberales*, quibus assentiunt *Modernistæ*, *moralem* Redemptionem propugnant : Christus nos salvat per doctrinam et exemplum tantum, id est, eodem modo ac prophetæ et martyres, etsi superiori gradu.

768. 2° *Doctrina catholica* est Christum nos redemisse non tantum per exemplum et doctrinam, sed etiam satisfaciendo pro peccatis nostris nobisque merendo gratiam et vitam æternam; quod *specialiter* præstitit, seipsum pro nobis in cruce ut veram hostiam offerendo.

---

1 " Cùm ergo Deus in infinitum creaturam excedat, erit peccantis mortaliter contra Deum infinita offensa ex parte dignitatis ejus, cui per peccatum quodam modo injuria fit, dum ipse Deus contemnitur et ejus præceptum ". (S. THOM., *de Veritate*, q. 28, a. 2.) Cf. SALMANTICENSES, qui præ aliis de hoc præclare disserunt, *de Incarn.*, disp. I.

2 Alio modo fere æquivalenti rem probat SUAREZ : Ad satisfactionem *æquivalentem* requiritur inter personam satisfacientem et personam offensam quædam *proportio*, aut saltem ut inferioritas personæ satisfacientis possit compensari per *excellentiam* operis satisfactorii; atqui inter Deum et hominem, utpote infinite distantes, talis est improportio ut nullo modo compensari possit per excellentiam operum quæ homo perficere posset. Quæ improportio nec per gratiam creatam suppleri nequit : licet enim gratia sit participatio divinæ naturæ sensu alibi explicando, semper remanet dignitatis finitæ.

Dixi *specialiter*, non exclusive : omnia enim quæ Christus egit et passus est, ad reparationem nostram contulerunt; sed, inter hæc opera, mors in cruce est opus *præcipuum* et *completivum*, ex quo pendet reconciliatio nostra, secundum loquendi modum Scripturæ. — Quare : 1° in *thesi fundamentali* ipsum *redemptionis factum* demonstrabimus; 2° ad modum *corollarii*, redemptionis *dotes* declarabimus.

§ I. Thesis fundamentalis de Redemptione.

769. **Thesis** : *Christus nos redemit non tantum doctrinâ et exemplis, sed specialiter morte sua piaculari.*

De fide est contra *Unitarios*, *Liberales* et *Modernistas*, tum ex magisterio Ecclesiæ ordinario, tum ex *Symbolis* quibus declaratur Christum " propter nos et propter nostram salutem " passum et mortuum esse[1], tum ex Concil. *Ephes.*: " Obtulit semetipsum pro nobis[2] "; et *Trid.*: " Suâ sanctissimâ passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit[3] ". *Probatur* :

770. 1° **Script.** : **A**) ex *Veteri Testamento*, in quo Redemptio : **a**) *præfiguratur* omnibus sacrificiis et præsertim *agno paschali*[4], cujus sanguine a devastante Angelo protecti sunt Hebræi, posteaque, in nationem electam coadunati, terram promissam ingressi sunt; **b**) *annuntiatur*, præsertim in libro *Isaiæ*[5], ubi narrantur primum *humiliationes*[6] quas patitur *servus Dei*, deinde ejus *dolores* et causa eorum, nempe peccata hominum quæ in se suscepit expianda[7], postea ejus *mors*, quam sponte suscepit[8], tandem hujus mortis *effectus*, nempe servi Dei *triumphus* et *justificatio* multorum[9].

771. **B**) *Ex Novo Testamento.* **a**) Apud **Synopticos,** Christus tria affirmat, quæ rem evincunt : 1) Christus *venit ad salvandos homines*, eos a peccatis liberando : " Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere

[1] DENZ., 86 (47), 40 (136). — [2] DENZ., 122, (82).
[3] Sess. VI, cap. 7, DENZ., 799 (681). — [4] *Exod.*, XII, 3, 51.
[5] *Isa.*, XLII, 1-4; XLIX, 1-6; L, 1-9; LII, 13-15, et LIII.
[6] *Isai.*, LIII, 2, 3; cf. L, 5-6. — [7] *Ibid.*, 4-6. — [8] *Ibid.*, 7.
[9] *Ibid.*, 10-11.

quod perierat[1] ". Quod variis parabolis confirmat ovis perditæ, amissæ drachmæ, filii prodigi[2].

2) *Mortem suam* pluries annuntiat tanquam a prophetis prædictam, et quidem ut *necessariam ad munus suum implendum;* primum quidem obscure[3]; postea omnino aperte : " Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis quia *oporteret* eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus et scribis et principibus sacerdotum, et occidi et tertiâ die resurgere[4] ".

3) Circa finem vitæ, declarat passionem suam et mortem causam esse nostræ liberationis : " Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem (λύτρον, pretium) pro multis[5] ".

b) Constat pariter ex testimonio **Apostolorum** : 1) Secundum *Actus Apostolorum*, S. Petrus pluries loquitur de morte et resurrectione Christi, quem " Salvatorem Deus exaltavit, ad dandam pænitentiam Israeli et remissionem peccatorum[6] ". 2) In *Iâ Petri Epistolâ*, prædicatur vera et propria redemptio per Sanguinis Christi pretium, non metaphorica per modum exempli : " Non corruptibilibus auro et argento redempti estis (ἐλυτρώθητε)... sed pretioso sanguine quasi immaculati Christi "; " qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus[7] ".

c) Speciatim ex testimonio **S. Pauli**, qui de hoc dogmate tanquam religionis christianæ fundamento *ex professo* agit, et quidem non ut a se excogitato, sed a Jesu tradito : " Tradidi enim vobis in primis quod et *accepi :* quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas[8] ". Quod explicat Apostolus præcipue in *ep. ad Rom.*, diserte exponens quomodo vere redempti simus, a peccato scilicet liberati, gratiâ justificante donati, Deo reconciliati, per mortem et sanguinis effusio-

---

[1] *Luc.*, XIX, 10. — [2] *Luc.*, XV, 1-32.

[3] *Matth.*, IX, 15; *Marc.*, IX, 19-20; *Luc.*, V, 34-35.

[4] *Matth.*, XVI, 21; cf. XVII, 22; *Marc.*, VIII, 30 sq.; *Luc.*, IX, 21 sq.

[5] *Marc.*, X, 45; cf. *Matth.*, XX, 28; XXVI, 28; *Marc.*, XIV, 24; *Luc.*, XX, 30.

[6] *Act.*, V, 30; cf. II, 23-36; III, 13-20; IV, 10-12. — [7] I, 18; II, 24.

[8] *I Cor.*, XV, 3.

nem Christi, non solum physice toleratam, sed ex obedientiâ et amore libere acceptatam : " Justificati gratis per gratiam ipsius, per *redemptionem* (ἀπολυτρώσεως), quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus *propitiationem* (ἱλαστήριον) per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ,... ut sit ipse justus et justificans eum qui est ex fide Jesu Christi[1] "... " Si enim, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati, salvi erimus in vitâ ipsius[2] ".

d) Ex testimonio **S. Joannis** : 1) In *epistolâ primâ* diserte asserit nos emundari ab omni peccato in sanguine Christi[3], qui est propitiatio (ἱλασμός) seu hostia pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi[4], ita ut Dei amicitiâ et vitâ fruamur per mortem Christi[5].

2) In *Apocalypsi*, tradit nos a peccatis nostris ablutos esse in sanguine Christi, et ita in regnum Dei introductos[6]; exhibet Agnum stantem tanquam occisum, ideoque ut victimam, cujus sanguine redempti, facti sumus cives regni divini et sacerdotes[7].

3) In *Evangelio*, docet nos a servitute peccati liberatos esse, de tenebris in lucem, de morte ad vitam spiritualem translatos[8]; — hos autem effectus tribuendos esse morti Christi : sicut enim per serpentem a Moyse exaltatum in deserto Israelitæ salvi fiebant, ita et homines per Christum exaltatum in cruce salvantur[9]; cùm enim exaltatus fuerit (in cruce), omnia ad seipsum trahet[10]; ita suos diligit ut animam suam ponat pro eis[11], et sanctificet (id est, sacrificet) seipsum ut et ipsi sanctificentur in veritate[12]; moritur pro gente, ut filios Dei, qui erant dispersi, congreget in unum[13]; bonus Pastor, animam suam dat pro ovibus suis[14].

772. 2° **Tradit.** A) *Sæc. I° et II°*, Patres Apostolici, Apologetæ et Controversistæ, existentiam et effectus

---

[1] *Rom.*, III, 24-25. — [2] *Rom.*, V, 10; *Ephes.*, V, 2; cf. *ibid.*, 12-21.
[3] *I Joan.*, I, 7. — [4] II, 2. — [5] IV, 9. — [6] *Apoc.*, I, 5. — [7] V, 6-10.
[8] *Joan.*, I, 9-12; III, 19-21; VIII, 12; XII, 35, 36; 46.
[9] *Joan.*, III, 14-15. — [10] XII, 32-33. — [11] XV, 13. — [12] XVII, 19.
[13] Ita Joannes explicat verba quæ protulerat Caïphas de Christo " quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo ", animadvertens eum prophetâsse, cùm esset Pontifex anni illius.
[14] *Joan.*, X, 10-18.

redemptionis testantur. Ita *S. Clemens* : " Sanguinem Christi intentis oculis intueamur, et cognoscamus quam pretiosus sit Deo et Patri ejus, qui *propter nostram salutem effusus* toti mundo pænitentiæ gratiam obtulit[1] ". Postea addit eum *propter caritatem* nos redemisse : " Propter caritatem quam erga nos habuit, Dominus noster J. C. voluntate divinâ sanguinem suum pro nobis tradidit[2] ". — In *ep. Barnabæ* idem asseritur, posteaque describuntur *redemptionis effectus*, nempe peccatorum remissio, mortis destructio, resurrectio a mortuis, novæ vitæ infusio, quâ efficitur populus novus et sanctus qui populo israelitico substituitur[3].

773. B) *A sæc. III° ad V^{um}*, non solum existentia et effectus redemptionis describuntur, sed jam, etsi obiter, delineantur theoriæ ad explicandum *quomodo* redempti simus.

Tres sunt hujusmodi theoriæ : a) theoria quæ dicitur *mystica* seu *physica*, asserit redemptionem præcipue per *ipsam incarnationem* peractam esse, quatenus humana natura, peccato inquinata, intimo contactu cum Verbo sanctitatis fonte sanctificata fuit; b) theoria, quæ vocatur *realistica*, docet redemptionem præcipue peractam esse per *passionem* et *mortem* Christi; c) theoria, quæ *jura dæmonis* admittens in homines, contendit pretium redemptionis ipsi *diabolo* solutum esse cujus, per peccatum, servi erant.

Advertendum est autem : a) primam theoriam dogmati catholico non adversari, quando *non exclusive* propugnatur, cùm valor infinitus redemptionis ex unione hypostaticâ procedat; b) tertiam aliquid veri continere, nempe *debitum* a peccatoribus incurri quod solvi debeat; c) *plerosque* autem Patres theoriam *realisticam* amplecti, etiam eos qui aliquatenus ad primam aut tertiam propendunt.

Dici igitur potest Patres *unanimes* esse circa *existentiam* et *effectus* redemptionis, quam non soli exemplo Christi, sed ejus passioni, morti et sacrificio in cruce adscribunt; nec inter se differre nisi quando theologice inquirunt explicationem dogmatis.

Synthesim autem doctrinæ catholicæ tradit *S. Augustinus*. Redemptio est *substitutio* : " Non enim ipse ulla delicta habuit, sed nostra portavit[4] ". Pro liberatione nostrâ, *pretium* solutum est : " Quo pro nobis solvente quod non debebat, a debitis et paternis et propriis liberati sumus[5] ". Vere

---

[1] *Ep. ad Cor.*, VII, 4, JOURNEL, 12.
[2] *Ep. ad Cor.*, XLIX, 6, JOURNEL, 26.
[3] *Ep. Barnabæ*, V, 1-7; VII, 2; XIII; XIV, 4-6; JOURNEL, 33.
[4] *Tract. adv. Jud.*, 6. — [5] *De Trinit.*, XIII, 21, *P. L.*, XLII, 1031.

igitur vices nostras egit : "Suscepit Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum et finiret etiam supplicium nostrum [1]". *Sacrificium propitiatorium* pro nobis libere obtulit : "Morte suâ quippe uno vero sacrificio pro nobis oblato, quidquid culparum erat... purgavit, abolevit, exstinxit [2]". Non admittit quidem pretium diabolo solutum esse, sed fatetur eum deceptum et captivis suis juste privatum fuisse [3].

774. C) *A sæc. XI° ad XIII^{um}*, ducibus S. Anselmo et divo Thoma, synthetice et philosophice exponitur doctrina de redemptione.

a) Juxta *S. Anselmum* [4], redemptio peracta fuit per *vicariam satisfactionem* quâ Christus libere nostra debita solvit, æquivalenter reparando offensam quam peccata nostra Deo intulerunt; necnon per *meritum* ejus, quo bona per peccatum amissa nobis restaurat. Quæ quidem doctrina jam in Scripturâ, præsertim apud *S. Paulum*, formaliter implicite continebatur, ideoque, statim ac scientifice exposita est, communiter fuit recepta. Hanc vero expositionem S. Doctor paulo duriorem reddidit suâ theoriâ circa *necessitatem* redemptionis in hypothesi peccati; sed eam emollierunt Hugo a S. Victore, P. Lombardus, Alexander Alensis, S Bonaventura, qui viam S. Thomæ paraverunt.

b) Quidquid veri erat in antecessorum theoriis, *S. Thomas* digessit, sedulo vitans errores in quos nonnulli inciderant, doctrinamque tradidit quam, post eum, omnes fere theologi, saltem quoad præcipua puncta, amplexi sunt; quæ sic breviter contrahi potest :

1) Posito protoparentis peccato, redemptio generis humani *non erat necessaria*, *sed conveniens* [5] (supra, n. 764); decebat etiam, sed non necessarium erat Deo satisfactionem offerri, et quidem per incarnationem [6] et passionem [7] Filii Dei (n. 765).

2) Christus, qui, ex speciali ordinatione Dei, caput morale nostrum constitutus est, nomine nostri egit, salutemque nostram passio ejus causavit per modum redemptionis (n. 769), meriti, satisfactionis (n. 778), et sacrificii (n. 792), non quidem ut causa principalis sed ut causa instrumentalis.

---

[1] *Cont. Faustum*, XIV, 4, *P. L.*, XLII, 297.
[2] *De Trinit.*, IV, 17, *P. L.*, XLII, 899.
[3] *De Trinit.*, XIII, 16-18, *P. L.*, XLII, 1026 sq.
[4] *Cur Deus homo*, *P. L.*, CLVIII, 361-430.
[5] *In III Sent.*, dist. XX, q 1, a. 1.
[6] *Sum. theol.*, 3, q. 1, a. 2. — [7] Ibid., q. 46, a. 1-4.

3) Perfecta fuit redemptio, sive consideratur in *causâ*, scilicet Christo, cujus actiones, vi unionis hypostaticæ, *infinitum* habebant *valorem*, et qui immensas passiones libere ex *amore* et *obœdientia* sustulit [1]; sive consideratur in *effectibus* suis quoad nos (n. 783 sq.).

775. 3° *Confirmatur* **ratione theologicâ.** Dogma redemptionis est quidem magnum mysterium. "Si quid aliud humanæ menti et intelligentiæ difficultatem affert, certe crucis mysterium omnium difficillimum existimandum est; vixque percipi a nobis potest, salutem nostram ex cruce ipsâ, et ex eo, qui pro nobis ligno illi affixus est, pendere [2]".

Quod ansam præbuit *Liberalibus* dicendi doctrinam de redemptione esse rationi contrariam, quippe quæ Dei bonitati adversetur et ei tribuat vindictæ sensus, justitiam violet et ordinem moralem pervertat. Contra quos duo statuimus :

776. A) *Probari nequit catholicum dogma redemptionis rationi repugnare.* Certum est. Etenim, **a)** nedum adversetur Dei bonitati aut gratuitæ condonationi peccatorum, doctrina nostra commendat potius caritatem et misericordiam Dei qui, cùm posset a nobis exigere *personalem* satisfactionem, gratis nos justificavit per redemptionem quæ est in Christo Jesu [3]; **b)** nedum Deus, in casu nostro, vindictæ sensu inordinate moveatur, peccatores diligere non cessat et eis medium efficacissimum præbet ut divinæ justitiæ plene satisfacere valeant, quin et ipsi dira subeant tormenta; **c)** nec justitia violatur : actus enim redemptionis non fuit damnatio innocentis pro reo, sed acceptatio oblationis quam perfecit homo, ex hominibus assumptus, et pro hominibus constitutus, dum seipsum sanctum, innocentem, impollutum obtulit pro fratrum peccatorum salute [4]; **d)** nec ordo moralis pervertitur : Scriptura enim et Patres liberationem nostram adscribunt non morti *physice* tantum spectatæ (ut docuerunt antiqui protestantes), sed morti *ex obedientiâ et amore libere susceptæ* et *ex unione hypostaticâ* infinitum valorem consequenti.

[1] Ibid., q. 46, a. 5-12. — [2] *Catech. romanus*, Pars 1ª, art. 4.
[3] *Rom.*, III, 24. — [4] *Heb.*, V, 1; VII, 26.

777. B) *Redemptio per mortem piacularem Christi omnino conveniens est.*

a) *Ex parte Dei*, cujus sapientia optime manifestatur in hoc mysterio, ex eo quod jura justitiæ et misericordiæ perfecte conciliare potuerit, simul æquivalentem reparationem ordinis læsi exigendo, et miseris hominibus parcendo.

b) *Ex parte Christi*, qui pro nobis satisfaciendo, suam eximiam caritatem [1] erga nos manifestat, et ita amorem nostrum sibi conciliat.

c) *Ex parte hominum*, qui peccatum fugere discunt, videndo quanta reparatio sit necessaria ad illud delendum : " empti enim estis pretio magno [2] ". — Præterea hoc ad majorem dignitatem hominis cessit ut, sicut homo a diabolo victus fuerat, ita ab homine diabolus vinceretur, et genus humanum in pristinum statum instauraretur.

§ II. Corollaria de dotibus Redemptionis.

Ex dictis in thesi tria deducuntur corollaria : 1° Christum nos redemisse per modum *satisfactionis* et *meriti*, 2° hanc redemptionem esse *universalem;* 3° eamdem esse *perfectam*, id est, *condignam* et *superabundantem.*

I. *De redemptione per satisfactionem et meritum.*

778. Per peccatum Adæ, *Deus* fuerat *offensus*, et *homo gratiâ sanctificante* ceterisque donis supernaturalibus *privatus;* per redemptionem, Christus Dei offensam *vicariâ satisfactione* reparat, et bona amissa pro nobis *merendo* restituit.

1° De vicariâ satisfactione Christi.

779. A) *Declaratur.* Satisfactio *in genere* est rei debitæ integra solutio. Satisfactio autem *moralis*, de quâ hic agitur, est *redditio libera honoris æquivalentis ad compensandam injuriam alteri illatam.*

Dicitur : a) *redditio*, quia est actus justitiæ et veluti restitutio quædam; b) *libera*, quia honor reddi non potest sine

[1] *Ephes.*, II, 4; *I Joan.*, III, 16. — [2] *I Cor.*, VI, 20; *I Pet.*, I, 18, 19.

libero consensu voluntatis; c) *honoris æquivalentis*, quia satisfactio proprie dicta, prout distinguitur a condonatione, *æqualitatem* postulat inter opus satisfactorium et offensam; d) *ad compensandam injuriam*, ut sic distinguatur a merito quod directe ad præmium ordinatur.

780. B) *Probatur Christum pro nobis satisfecisse satisfactione vicariâ quatenus, loco nostri patiendo, vices nostras egit :* colligitur *ex dictis* in thesi (n. 769). Is enim proprie satisfacit qui exhibet offenso tantum honoris quantum per offensam ablatum fuerat. Atqui Verbum incarnatum, ex obedientiâ et caritate patiendo et moriendo pro nobis, Deo obtulit honorem immensi, immo infiniti valoris, cùm valor actionum pendeat ex dignitate agentis.

2° De merito Christi.

781. A) *Notio.* a) Meritum in genere, seu opus meritorium, est omne opus præmio dignum. Meritum autem *supernaturale* est *opus supernaturale pro Deo factum, ex quo, positâ divinâ ordinatione, oritur jus ad supernaturalem retributionem.*

b) Duplex distinguitur : 1) meritum *proprie dictum* seu *de condigno*, quod proportionatur præmio obtinendo, et cui proinde *ex justitiâ*, vel saltem *ex fidelitate* præmium debetur [1]; 2) meritum *de congruo*, quod ex se non proportionatur præmio, et cui proinde solum *ex decentiâ* præmium debetur.

B) *Christus vere et proprie pro nobis meruit.* De fide est : " Si quis dixerit homines sine Christi justitiâ, per quam nobis meruit, justificari, A. S. [2] ". — Siquidem omnes conditiones ad meritum requisitæ Christo conveniunt : Christus enim : a) perfectâ libertate gaudebat; b) ejus humanitas erat grata Deo tum gratiâ habituali, tum gratiâ unionis; c) omnes ejus actiones erant bonæ ex objecto, ex fine, ex circumstantiis [3], imo et infiniti valoris ex dignitate personæ; d) per caritatem omnia

[1] Ex *justitiâ* si opus *ex se* adæquat præmium; ex *fidelitate*, si præmium, etsi superans opus, infallibiliter tamen conceditur vi *promissionis* factæ.
[2] *Concil. Trid.*, Sess. VI, can. 10, Denz.-Bann., 820 (702).
[3] *Joan.*, VIII, 29.

opera in Deum referebat[1]; e) promissio erat Patris de remunerandis ejus actionibus et passionibus[2]; f) Christus erat viator, quia carebat beatitudine corporis ac plenâ glorificatione animæ.

3° DE DURATIONE SATISFACTIONIS ET MERITI CHRISTI.

782. Ex modo dictis satis evincitur Christum per totam vitam, a primo instanti Incarnationis[3], meruisse, cùm semper habuerit omnes conditiones requisitas ad merendum. Præcipue tamen satisfecit et meruit per *passionem* et *mortem* suam, quæ, positivâ Dei ordinatione, ad complendum redemptionis opus ordinatæ fuerant; hinc salus nostra *sanguini* et *morti* ejus maxime adscribitur : "Sanguis J. Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato"; "non corruptibilibus auro et argento redempti estis..., sed pretioso sanguine quasi agni immaculati[4]". Non meruit post mortem cùm jam non esset in statu *viæ*.

II. *De universalitate redemptionis.*

Christi redemptio universalis fuit : 1° quoad *omnes homines;* 2° quoad *omnia peccata;* 3° quoad *omnia bona* per peccatum amissa.

783. 1° Quoad **homines**[5] : A) Redemptionem non fuisse ad solos prædestinatos restrictam, est *de fide* utpote definitum ex condemnatione quintæ propositionis Jansenii : "*Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse*"... Hæc propositio, intellecta eo sensu quod Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus est, damnata fuit ut *hæretica*[6].

B) Redemptionem extendi ad *omnes* fideles, videtur etiam de fide ex Symbolo : "Qui propter *nos* homines, et propter *nostram* salutem descendit de cælis, crucifixus etiam pro *nobis*"; omnes enim fideles tenentur recitare Symbolum.

C) Christus mortuus est *pro omnibus infidelibus, saltem adultis. Certum est et fidei proximum.* Damnata est

[1] *Joan.*, VIII, 50; V, 30. — [2] *Isai.*, LIII, 10. — [3] *Heb.*, X, 5.
[4] *Joan.*, I, 7; *I Pet.*, I, 19.
[5] Coincidit fere hæc quæstio cum quæstione de voluntate Dei salvificâ (n. 517 sq.).
[6] DENZ.-BANN., 1096 (970).

enim ab *Alexandro VIII* sequens propositio : " Christus dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et *solis* fidelibus[1] ". Aliunde dicit *Scriptura :* " Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi[2] ".

D) *Christus vere mortuus est etiam pro parvulis, qui baptizari non possunt*, quatenus eis meruit gratiam baptismi, dependenter tamen a causis secundis quæ aliquando impediunt ne baptismus conferatur. Ita communiter contra *Vasquez.*

a) Nullibi enim Scriptura excludit parvulos a beneficio redemptionis, sed asserit modo generali Christum pro omnibus mortuum esse. b) Insuper S. Paulus docet omnes justificari et salvari per Christum, sicut omnes in Adamo peccaverunt : " Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei in plures abundavit[3] "; atqui parvuli de quibus agitur vere in Adamo peccaverunt.

Ergo cum S. Augustino[4] dicere licet : " Numquid parvuli homines non sunt, ut non pertineat ad eos quod dictum est : vult omnes salvos fieri? "

784. 2° Quoad **peccata** : A) Christus vere satisfecit *pro omnibus peccatis, sive originali, sive actualibus, humani generis :* Propositio est *de fide* pro peccatis fidelium, *certa* pro peccatis infidelium, *communiter* admissa pro originali peccato parvulorum.

Secùs enim Christus non esset mortuus pro omnibus hominibus, ut dictum est supra, n. 783.

B) Christus nos liberavit non solum a culpâ, *sed etiam a reatu pœnæ*, quatenus solvit pretium sufficiens ad tollendam omnem pœnam peccato debitam, sive æternam, sive temporalem.

Satisfactio enim Christi est infiniti valoris. Attamen de facto pœna non tollitur, nisi nobis *applicentur* satisfactiones Christi : quod fit tum per Sacramenta et Sacrificium Missæ, tum per fidem *quæ per caritatem operatur.* Nuda enim fides non sufficeret in adultis, ut volunt Protestantes, sed ad exem-

---

[1] DENZ.-BANN., 1294 (1161). Jam Concil. *I Carisiacum* contra Prædestinatianos idem declaraverat: " Christus Jesus, sicut nullus homo est, fuit vel erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit vel erit homo, pro quo passus non fuerit; licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur ". DENZING., n. 319 (282).

[2] *I Joan.*, II, 2. Cf. *I Tim.*, II, 1-6.

[3] *Rom.*, V, 15. — [4] *Cont. Julian.*, IV, 8, 24.

plum Apostoli, debemus adimplere " ea quæ desunt passionum Christi " in carne nostrâ, abnegantes nosmetipsos, tollentes crucem nostram et sequentes vestigia Christi [1].

785. 3° Quoad omnia **bona per peccatum amissa**: A) *Christus sufficienter omnibus hominibus meruit sive gratiam habitualem* (seu justificationem), *sive gratias actuales*, quæ justificationem præparant aut consequuntur. Certum est.

Ex *Tridentino* [2] enim, " Christus suâ sanctissimâ passione in ligno crucis nobis justificationem meruit ", et consequenter gratias actuales ad illam obtinendam vel conservandam. Unde Ecclesia omnes gratias postulat per merita Christi dum dicit in fine orationum : *Per Dominum nostrum Jesum Christum.*

B) *Christus sufficienter meruit omnibus hominibus vitam æternam*, id est gloriam tum animæ tum corporis.

Probatur : " Consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi *causa salutis æternæ* ". " Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur [3] ". — Aliunde nobis merendo gratiam, quæ est medium essentiale ad vitam æternam, hanc etiam mereri debuit.

N. B. Christus nobis etiam *meruit bona naturalia, quatenus ad salutem inserviunt.*

C) *Christus non meruit quidem ut bona præternaturalia nobis restituerentur in præsenti vitâ.*

Nam a) lugendâ constat experientiâ nos, etiam post Redemptionem, ignorantiæ, concupiscentiæ, doloribus mortique subditos esse. b) Insuper decebat ut nos propriæ saluti cooperaremur, vestigia Christi subsequendo nostramque crucem post eum ferendo.

Meruit tamen Christus ut hi defectus nobis non dominarentur in præsenti vitâ [4], tollerentur autem omnino in alterâ vitâ.

D) *Sibi Christus meruit* tum gloriam corporis [5] tum nominis exaltationem [6], non vero gratiam habitualem vel animæ gloriam, quas *ab initio* habuit tanquam sibi debitas propter unionem hypostaticam.

---

[1] *Matth.*, XVI, 24; *I Pet.*, II, 21; *Rom.*, VIII, 17; *Coloss.*, I, 24.
[2] Sess. VI, cap. 7; DENZ-BANN., 799 (681).
[3] *Heb.*, V, 9; *I Cor.*, XV, 22. — [4] *Rom.*, V, 3-4; *II Cor.*, IV. 17.
[5] *Heb.*, II, 9. — [6] *Philip.*, II, 9-10.

III. *De perfectione redemptionis Christi.*

786. Quæ perfectio respicit satisfactionem et meritum, etsi theologi directe de priore agere soleant.

Ratione perfectionis, *satisfactio* triplex esse potest : 1° *congrua* seu *insufficiens* aut *imperfecta*, quæ non proportionatur debito, sed solum viribus satisfacientis : v. g., aliquis debet centum nummos, et solvit tantum quinquaginta, quia pauper est; 2° *condigna* seu *æquivalens*, quæ proportionatur gravitati offensæ, ita ut tantum honoris reddatur quantum ablatum fuerit; quando autem satisfactio, in se insufficiens, accipitur tamen a personâ læsâ, tunc vocatur *æquivalens extrinsece*, seu ex acceptatione personæ læsæ; 3° *perfecta* ex parte formæ, ut infra exponitur, n. 789.

Meritum autem perfectum dicitur quando est *de condigno.*

787. 1° *Certum est redemptionem Christi esse æquivalentem, imo superabundantem.* a) Hoc enim declarat *Clemens VI*[1] : " Non corruptibilibus auro et argento, sed suiipsius agni incontaminati et immaculati pretioso sanguine nos redemit : quem in arâ crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter *unionem ad Verbum* pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse "; et infra addit thesaurum a Christo acquisitum esse *infinitum*, propter *infinita* ejus merita; ergo æquivalenter, imo superabunde nos redemit. b) Hoc jamdudum docuerat *S. Paulus* : " Non sicut delictum, ita et donum... ubi abundavit delictum, *superabundavit* gratia "; " In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, secundum divitias gratiæ ejus, quæ *superabundavit* in nobis[2] ".

788. 2° *Controvertitur* utrum satisfactio Christi æquivalens fuerit *ex se* an tantum *ex acceptatione divinâ.*

Scotistæ contendunt redemptionem Christi in se fuisse insufficientem, et non posse dici æquivalentem nisi quia ut talis a Deo acceptata fuit. Ratio eorum est quia actiones Christi sunt finiti valoris.

---

[1] Extravag. *Unigenitus*, l. V, t. 9, c. 2, inter communes, DENZ., 550.
[2] *Rom.*, V, 15-20; *Ephes.*, I, 8.

Thomistæ autem, et cum illis omnes fere theologi, docent satisfactionem Christi *ex se* fuisse non solum æquivalentem, sed superabundantem : quæ sententia nobis omnino amplectenda videtur [1], probaturque :

a) *Script.* quæ textu modo allato vocat redemptionem Christi simpliciter *superabundantem*, hâc voce satis indicans redemptionem ex se sufficientem esse, et non tantum ex acceptatione creditoris;

b) *Tradit.* quæ Bullâ Clementis VI testatur redemptionem Christi esse superabundantem *ex ipsâ unione hypostaticâ*, cujus dignitas est infinita;

c) *Rat. theol.* Peccata non habent gravitatem infinitam nisi quia ratione offensæ *moraliter* afficiunt Deum; dum satisfactio Christi est simpliciter infinita ex conjunctione *physicâ* cum personâ infinitâ; porro hic modus infinitatis illi præcellit.

789. 3° Imo docent plerique theologi, cum Thomistis, contra Scotum, Vasquez aliosque, satisfactionem Christi fuisse *ad strictos juris apices* seu opus strictæ justitiæ.

Etenim satisfactio eâ perfectione gaudet quando fit *ad alterum*, ex bonis propriis et alias indebitis, ita ut creditor eam accipere teneatur. Atqui satisfactio Christi **a**) fuit *ad alterum :* unica enim Christi persona est virtualiter duplex : quatenus terminans naturam humanam, potuit satisfactionem solvere, et quatenus terminans naturam divinam, potuit satisfactionem accipere; **b**) fuit ex *bonis propriis :* actiones enim Christi *physice* spectatæ, quatenus procedentes a naturâ humanâ, erant quidem sub dominio Dei, sicut natura humana; sed *valor moralis* harum actionum, a personâ Verbi procedens, sub nullius dominio cadebat, nisi solius Verbi incarnati, juxta axioma : *actiones sunt suppositorum;* **c**) *ex alias indebitis*, ut apparet eâdem distinctione : actiones enim Christi, *physice* spectatæ, Deo quidem debebantur aliunde, sed in *suo valore morali*, ad solum Christum pertinebant, qui utpote æqualis Patri, nullam habebat obligationem proprie dictam erga Deum; insuper actiones Christi, utpote infiniti valoris, poterant simul diversis obligationibus satisfacere. **d**) Tandem creditor seu Deus *tenebatur acceptare* hanc Christi satisfactionem vi ordinationis divinæ, quâ Christus constitutus est caput morale et fidejussor generis humani, præcise ut posset, loco nostri, satisfactionem præbere.

[1] " Illam (sententiam Thomistarum) existimo ita certam, ut contraria nec probabilis, nec pia, nec fidei satis consentanea videatur " (SUAREZ, disp. IV, sect. 3, n. 11).

Art II. De muneribus Christi. Redemptoris.

790. Christus nos redemit quidem et salvavit omnibus quos peregit *actibus*, et omnibus *passionibus* quas patienter toleravit; præcipue autem *sacrificio* quod ut *sacerdos* et *hostia* obtulit in cruce, necnon, etsi secundarie, *doctrinâ* et *exemplis* quæ ut *propheta* et *magister* præbuit. Insuper, quatenus *caput* et *rex*, suam vitam in nos diffundit et imperium exercet.

Dicemus igitur de Christo ut *sacerdote*, *prophetâ*, *capite* et *rege*.

§ I. De munere Christi sacerdotali.

791. *Prænotanda de sacrificiis antiquæ legis.* **a**) *Statim post lapsum* peracta fuisse sacrificia ab hominibus Scriptura testatur[1]. Inter quæ celebre est sacrificium panis et vini quod Melchisedech obtulit[2]. Sub lege autem *mosaicâ*, quadruplicis generis fuerunt sacrificia : *holocaustum* in quo tota victima comburebatur, sacrificium *pro delicto*, sacrificium *pro peccato*, *hostia pacifica* quæ offerebatur pro gratiarum actione vel pro novis beneficiis obtinendis. **b**) His autem sacrificiis valde imperfectis præfigurabatur unum et verum sacrificium quod Christus in arâ crucis oblaturus erat.

792. Thesis : *Christus, ut homo Deus, vere est sacerdos et hostia, quatenus seipsum pro nobis, morte intercedente, Deo Patri obtulit.* De fide.

1° **Probatur.** **A**) Ex Conciliis *Ephesino* et *Tridentino*, quæ docent Christum esse " Pontificem et Apostolum nostrum[3] " et " semel seipsum in arâ crucis morte intercedente Deo Patri obtulisse ut æternam illic redemptionem operaretur[4] ".

B) Ex *ep. ad Hebræos*, ubi diserte exponitur Christum esse pontificem magnum, a Deo vocatum et ex hominibus assumptum, secundum ordinem Melchisedech, eumque Deo obtulisse sacrificium multo perfectius antiquis sacrificiis, non per sanguinem hircorum, sed per proprium sanguinem, cujus virtus tanta est ut *semel* oblatum

---

[1] *Genes.*, IV, 3-4; VIII, 20; XII, 7-8; XIII, 4; XV, 9-12, etc.
[2] *Genes.*, XIV, 18. — [3] *Concil. Ephes.*, Denz., 122 (82).
[4] *Trident.*, ap. Denz., 938 (816).

sufficiat ad multorum exhaurienda peccata : "Christus assistens pontifex futurorum bonorum... per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ redemptione inventâ; ... per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo... ad multorum exhaurienda peccata [1]".

793. 2° **Explicatur.** Neque Scriptura neque Concilia notionem sacrificii *ex professo* tradiderunt; sed ex iis quæ in Scripturâ traduntur, præsertim ex antiquis ritibus legis mosaicæ, Theologi notionem sacerdotii et sacrificii expolierunt.

A) *De sacerdotio Christi.* Ex *Ep. ad Hebræos* tria ad *sacerdotium* requiruntur : ut quis a Deo vocetur ex hominibus, — pro hominibus constituatur in iis quæ sunt ad Deum, — et offerat dona et sacrificia [2]. Atqui, ex eâdem epistolâ, Christus : **a)** verus homo ex stirpe Adæ, vocatus est a Deo, **b)** ut sit mediator Dei et hominum, homines reconcilians Patri, **c)** per oblationem sacrificii sui.

Imo summus est sacerdos : 1) ratione suæ perfectissimæ sanctitatis : "Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior cælis factus [3]"; 2) ratione unionis hypostaticæ infinitam dignitatem et efficaciam importantis : unde Christus est sacerdos secundum naturam humanam, non tamen excluso supposito divini Verbi; 3) quia, etsi unicâ oblatione semel sacrificium consummavit [4], remanet sacerdos in æternum, semper vivens ad interpellandum pro nobis et ad beatificandos eos quos salvavit.

794. **B)** *De sacrificio Christi.* **a)** Sacrificium verum et *proprie dictum*, juxta *Leviticum* et *ep. ad Hebræos* [5], est *oblatio rei sensibilis ejusque immutatio* (destructio scilicet vel physica, ut in holocausto, vel moralis, ut in libatione et effusione aquæ), *a ministro legitimo soli Deo facta, ad significandam agnitionem ejus supremi dominii, et veniæ implorationem, quam sequitur quædam cum Deo communio.*

Ratione *finis*, sacrificium quadruplex distinguitur : 1) *latreuticum*, quod directe tendit ad agnoscendum supremum Dei dominium, quale erat *holocaustum;* 2) *eu-*

[1] IX, 11-28. Cf. *Ephes.*, V, 2-7; *I Cor.*, V, 7; *Apoc.*, I, 5.
[2] *Heb.*, V, 1. — [3] *Heb.*, VII, 26. — [4] *Heb.*, X, 14.
[5] *Hebr.*, VIII, IX, X.

charisticum, quod ad gratias Deo agendas directe ordinatur, v. g., *hostia pacifica;* 3) *impetratorium*, quo nova beneficia postulantur; 4) *propitiatorium*, quod offertur pro peccatis aut pœnâ peccatis debitâ, quale erat hostia *pro delicto* et hostia *pro peccatis.*

b) Mors Christi fuit *verum* sacrificium, et quidem *perfectum :* 1) verum sacrificium, cùm victima seu Christus fuerit sensibilis, vere in cruce immolata, a Christo ipso, sacerdote in æternum constituto, ad supremum Dei dominium agnoscendum et expiandum peccatum; nec sine communione, ad quam reddendam universalem, sacrificium eucharisticum institutum est; 2) *perfectissimum* sacrificium propter infinitam dignitatem victimæ, propter completam immolationem, propter universalitatem fructuum (homo redimitur, contra triplicem concupiscentiam remedium affertur per humiliationes, paupertatem et dolores Christi), propter maximam efficaciam ad Deum glorificandum adoratione et gratiarum actione, ad remissionem peccati et gratias impetrandas [1].

795. **Corollarium.** Sacrificium Christi *essentialiter* consistit in oblatione suiipsius quam, morte intercedente, in cruce peregit. Nil tamen prohibet quominus ceteri actus ejus vitæ habeantur tanquam *præparatio* aut *complementum* hujus sacrificii : actus a primo instanti conceptionis usque ad mortem eliciti, vere meritorii et satisfactorii erant (supra, n. 782); resurrectio autem et ascensio, etsi nihil meruerint, ad salutem et sanctificationem nostram concurrerunt per modum *efficientiæ* et *exemplaritatis*, ut ait *S. Thomas* [2], ideoque dici possunt ultimum sacrificii complementum.

§ II. De munere Christi prophetico.

796. Prophetæ antiqui non solum futura annuntiabant, sed etiam **a**) res divinas docebant; **b**) legis observationem et cultum divinum promovebant; **c**) doctrinam suam exemplis, miraculis et vaticiniis confirmabant. Jamvero

797. **Thesis** : *Christus munus propheticum perfecte adimplevit, fuitque Propheta, seu Magister et Doctor.*

---

[1] Lege S. THOM., 3 p., q. 49, a. 1-5.
[2] *S. theol.*, 3, q. 56, a. 2; q. 57, a. 6.

Prob. A) *Script.* a) *In Vet. Test.*, Christus ut *Propheta eximius* annuntiatus est : "Prophetam de gente tuâ et de fratribus tuis suscitabit Dominus [1]". b) *In Novo Test.*, ipsi Judæi Christum agnoverunt ut Prophetam : "Propheta magnus surrexit in nobis" ... "Hic est vere Propheta [2]". Christus de seipso dixit : "Vos vocatis me : Magister et Domine, et bene dicitis; sum etenim [3]"; imo asserit se esse majorem omnibus prophetis, cùm ipse solus annuntiet quæ apud Patrem vidit [4], et exinde esse unicum Doctorem : "Magister vester unus est Christus [5]".

B) *Rat. theol.* Etenim Christus : a) *res divinas docuit* "sicut potestatem habens [6]"; b) legem antiquam a falsis interpretationibus *expurgavit*, eamque *ampliavit* [7]; c) suam doctrinam *exemplis* [8] et *miraculis* [9] confirmavit. Ergo Christus fuit eximius propheta.

§ III. De Christo capite.

798. Expresse docet *Scriptura* Christum esse caput tùm hominum, tùm Angelorum : "Ipsum (Christum) dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius [10]"; "Qui est caput omnis principatûs et potestatis [11]", omnium scilicet Angelorum. — Christus enim : a) hominibus et Angelis ratione unionis hypostaticæ *præeminet*, b) majorem plenitudinem gratiæ possidet, et tandem c) in eos aliquid supernaturale influit.

Magis vero influit in homines quam angelos : hominibus dat gratias et gloriam substantialem, angelis autem gloriam tantum accidentalem [12].

Christus est caput hominum diverso gradu : a) *actu*, 1) beatorum, qui perfecte ac immobiliter ipsi uniuntur per gloriam; 2) justorum in terrâ, qui ipsi mobiliter uniuntur per fidem et caritatem; 3) fidelium peccatorum qui ipsi uniuntur per fidem tantum; b) *potentiâ*, infidelium omnium, quos tamen aliquo gratiæ actualis influxu adducit et invitat ad fidem. Nullo

---

[1] *Deut.*, XVIII, 15. — [2] *Luc.*, VII, 16; *Joan.*, VII, 40.
[3] *Joan.*, XIII, 13. — [4] *Joan.*, III, 11. — [5] *Matth.*, XXIII, 10.
[6] *Matth.*, VII, 29. — [7] *Matth.*, V, 17-48. — [8] *Act.*, I, 1.
[9] In Evangeliis *passim*.
[10] *Ephes.*, I, 22; cf. IV, 16; V, 23; *Coloss.*, I, 18. — [11] *Coloss.*, II, 10.
[12] Scotistæ tamen et aliqui Thomistæ contendunt Christum Angelis et Adamo innocenti gratiam substantialem meruisse; et afferunt pro suâ sententiâ plures textus Apostoli, *Coloss.*, I, 15-19; *Ephes.*, I, 10. Cf. *Syn. maj.*, n. 1211 sq.

modo autem est caput damnatorum in inferno. — Hoc autem munus capitis exercet Christus quatenus est *homo Deus :* ut Filius Dei, gratiam in nos influere potest; ut homo, nobis assimilatur, ideoque caput esse valet generis humani.

§ IV. De Christo rege.

799. Regia potestas est facultas suprema homines in in societate adunatos ad finem communem dirigendi. Duplex est : *temporalis*, quæ subditos dirigit ad bonum temporale obtinendum, et *spiritualis*, quæ homines dirigit ad beatitudinem supernaturalem. Jamvero :

A) *Christus est rex spiritualis, quatenus fundavit super terram societatem spiritualem, scilicet Ecclesiam, cujus vere rector et dominus est*[1].

Siquidem : a) crebro *vocatur* rex tum in Veteri[2] tum in Novo Testamento[3]; b) *ratione theologicâ* ostenditur Christum esse regem hominum : 1) titulo *hæreditatis*, quatenus est Filius Dei[4]; 2) titulo *redemptionis* : nam Christus nos a captivitate diabolicâ eripuit, et acquisivit pretio proprii sanguinis : "Non estis vestri, empti enim estis pretio magno[5]"; 3) titulo *liberæ electionis :* nam omnes qui per baptismum Ecclesiam ingrediuntur, vel postea vota baptismi renovant, eo ipso libere se subdunt imperio Christi, qui supremus est Ecclesiæ Rex.

Quam potestatem exercet : 1) in *animas*, quas illuminat, movet et roborat, sibique et Patri subdit; 2) in *Ecclesiam*, quam regit et gubernat per sacram hierarchiam a se institutam, ut dictum est in *Tr. de Ecclesiâ;* 3) etiam aliquo sensu in *societatem civilem*, quatenus spiritum evangelicum in christianos principes diffundere nititur, et jus habet ut societas gubernetur secundum principia legis christianæ.

---

1 Controvertitur inter theologos nùm Christus fuerit insuper rex *temporalis* totius mundi. Communior sententia affirmat ipsum fuisse regem *quoad jus*, seu, ut aiunt, in actu primo : "omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subjecit ei omnia" (*I Cor.*, XV, 27); non autem quoad *usum* et *exercitium*, cùm ipse dixerit : "regnum meum non est de hoc mundo" (*Joan.*, XVIII, 36), et vitam pauperem et humilem libere elegerit, imo et censum solverit, licet ab eo immunis fuerit (*Matth.*, XVII, 23-26).

2 *Ps.* II, 6; *Isa.*, X, 6.

3 *Luc.*, I, 32; *Matth.*, XXI, 1-9; *Joan.*, XVIII, 37; *Apoc.*, XIX, 6.

4 *Ps.* II, 8. — 5 *I Cor.*, VI, 20.

800. B) Excellentia autem regiæ potestatis Christi colligitur ex ejus dotibus. Est videlicet : a) *suprema*, et exinde legislativa [1] et judiciaria [2]; b) *universalis*, quatenus extenditur ad omnia loca, omnia tempora, omnes creaturas [3]; c) ordinata ad finem supernaturalem et beatitudinem æternam per media perfectissima.

Controversia de motivo finali Incarnationis.

Jam diximus motivum proximum Incarnationis fuisse Redemptionem generis humani, motivum autem ultimum fuisse gloriam Dei. Sed ulterius progrediuntur theologi, et inquirunt quodnam fuerit motivum finale seu principale et determinativum Incarnationis.

801. 1° Juxta *Thomistas*, multosque aliarum scholarum theologos, motivum illud fuit Redemptio generis humani, ita ut, Adamo non peccante, Verbum incarnatum non fuisset. Etenim, Verbum *potuisset* incarnari, Adamo non peccante; sed *de facto* redemptio generis humani assignatur in Scripturâ [4] et Traditione [5] ut motivum unicum Incarnationis : ita apud *Lucam :* " Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat "; quæ verba sic explicat S. Augustinus : " Si homo non periisset, Filius hominis non venisset ".
Reponunt Scotistæ verba Scripturæ et Patrum intelligi debere eo sensu quod Verbum incarnatum sit in carne *passibili* propter redemptionem nostram.

802. 2° Juxta *Scotistas* enim motivum palmare Incarnationis fuit excellentia et complementum universi, eo sensu quod Deus decreverit Incarnationem ad complendam et perficiendam creationem; hinc, juxta ipsos, Verbum incarnatum fuisset, etiamsi Adamus non peccasset : sed tunc venisset in carne impassibili.
Etenim : a) ex textu : " Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio [6] ", *Christus* ut homo fuit intentus a Deo ante omnem creaturam ideoque ante prævisionem originalis peccati; b) ex textu S. Pauli [7], Christus est " primogenitus omnis creaturæ "; atqui

[1] *Matth.*, V, 17, 21 sq.; *Joan.*, XIII, 34; *Matth.*, XVI, 18 sq.; XVIII, 17 sq.
[2] *Joan.*, V, 22, 27; *Act.*, X, 42; cf. XVII, 31.
[3] *Ps.* II, 8; *Luc.*, I, 32; *I Cor.*, XV, 27.
[4] *Matth.*, XVIII, 11; *Luc.*, XIX, 10; *I Tim.*, I, 15; cf. *Joan.*, III, 17; *Matth.*, XIV, 13.
[5] S. AUGUSTINUS, *Serm. 174*, n. 2; *Sermo 175*, n. 1; S. IRENÆUS, *Adv. hær.*, l. V, c. 14, n. 1.
[6] *Prov.*, VIII, 22. — [7] *Coloss.*, I, 15, 16.

non est primogenitus ratione temporis, ergo ratione intentionis.

Respondent Thomistæ in his textibus agi de Christo *ut Deo.*

803. 3° Quod si quæstio circumscribitur, ut fit a recentioribus thomistis, et quæritur num *vi præsentis decreti providentiæ supernaturalis* Verbum incarnatum fuisset, homine non peccante, responsio thomistica apparet omnino peremptoria. Decretum enim Providentiæ est actus efficax voluntatis divinæ. Sed volitio divina efficax fertur tantum in volitum quale est in concreto, et abstrahit a possibilibus et futuribilibus. Unde Deus voluit de facto id præcise quod revera effecit, Incarnationem scilicet cum passibilitate et dolorosâ Redemptione, nihil autem decrevit simul circa hypothesim Adami permanenter innocentis.

Aliunde addunt quidam thomistæ Incarnationem, propter redemptionem volitam, simul *propter suam excellentiam* intentam esse, ita ut Christus in decretis divinis constitutus fuerit centrum totius mundi et *causa meritoria* omnis gratiæ, etiam ejus quæ Angelis et Adamo innocenti concessa est [1].



[1] Cfr. S. FRANCISC. SALES., *Traité de l'amour de Dieu*, l. II, ch. IV.

DE CONSECTARIIS UTRIUSQUE MYSTERII.

Post ea quæ diximus circa Incarnationis et Redemptionis mysteria, remanet ut quædam consectaria ex hoc duplici mysterio fluentia exponamus circa *cultum Christi* et *B. Mariæ Virginis;* quibus pauca addemus de *cultu Sanctorum*, *reliquiarum et imaginum.*

Art. I. De Cultu Christi.

§ I. De Cultu humanitati Christi debito.

804. 1° **Notiones præviæ.** A) *Definitio.* Cultus in genere est actus quo aliquem veneramur propter ejus excellentiam. Hìc loquimur tantum de cultu *religioso*, quo Deo vel ejus sanctis debitum honorem et reverentiam exhibemus.

B) *Divisio.* Sub diverso respectu cultus spectari potest. a) Ratione *objecti*, distinguitur : 1) cultus *latriæ* (λατρεία, famulatus), qui est honor supremus soli Deo exhibendus propter supremum dominium, et infinitam ejus majestatis excellentiam; 2) cultus *duliæ* (δουλεία, servitus) qui est honor servis Dei exhibitus, ob supernaturales eorum dotes quas ab eo acceperunt; talis vero cultus vocatur *hyperdulia* quando B. Mariæ exhibetur; sicut enim propter singularem ejus excellentiam, alios sanctos supereminet, ita cultus ei delatus gradu superat cultum ipsis redditum. b) Ex parte *modi* cultus est : 1) *absolutus* quando quis colitur propter excellentiam ipsi propriam et inhærentem : talis est cultus Deo vel sanctis ipsis delatus; 2) *relativus*, quando res colitur propter aliam cum quâ specialem relationem habet : talis est cultus imaginibus et reliquiis exhibitus. c) Tandem in cultu duo sunt distinguenda : 1) objectum *materiale*, seu id quod colitur; 2) objectum *formale*, seu ratio propter quam aliquid colitur.

C) *Errores.* Circa cultum Christi humanitati reddendum errârunt : a) quidam *Nestoriani*, qui unionem hypostaticam negantes, eo ipso adorationem proprie dictam

Christo homini tribuendam esse negarunt; **b**) *Wicleffus*, qui contendebat humanitati Christi, si per impossibile a Verbo sejungeretur, divinum cultum tribuendum esse; **c**) tandem quidam inter *Nestorianos* et *Socinianos* qui, etsi negabant divinitatem Christi, asseruerunt cultum latriæ ipsi deberi, ut Dei legato.

805. 2° **Thesis** : *Christus, ut hic homo, est adorandus, seu humana Christi natura, quatenus hypostatice Verbo conjuncta, unâ et eâdem adoratione cum Verbo est colenda. De fide est* ex *Conc. gen. V* definiente : " Si quis... non unâ adoratione Deum Verbum incarnatum cum propriâ ipsius carne adorat, juxta quod Sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit[1] ".

Probatur. **A**) *Script.* " Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium et infernorum[2] "; " Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : et adorent eum omnes Angeli Dei[3] ". In quibus textibus tria aperte traduntur : **a**) conferendos esse honores divinos Christo; **b**) et quidem ut homini, accipienti scilicet potestatem judicandi, exinanito, obœdienti; **c**) ita tamen ut directe adoretur in naturâ humanâ persona Filii, Jesu, Primogeniti.

B) *Traditione.* Pulchre *S. Athanasius*[4] : " Nos creaturam neutiquam adoramus... sed Dominum creaturæ *incarnatum Dei Verbum adoramus.* Quamvis enim ipsa caro per sese pars est rerum creatarum, tamen Dei corpus est facta. At neque corpus ejusmodi a Verbo dividentes, adoramus : neque Verbum adorare volentes, ipsum a carne disjungimus. Verum istud scientes, ut jam diximus, Verbum caro factum est, idem Verbum etiam in carne positum Deum agnoscimus ".

C) *Rat. theol.* In Christo est una tantum persona, et proinde una res adoranda *in se* et *propter se* (objectum formale), videlicet Verbum : actiones enim et *passiones* sunt suppositorum. Sed quidquid in Christo est, ad personam Verbi pertinet, et propter Verbum adorandum est. Ideoque in personâ Verbi adoratur ejus humanitas *in se* sed *non propter se* (objectum materiale).

---

[1] DENZ., 221 (180). — [2] *Philip.*, II, 8-10. — [3] *Heb.*, I, 6.
[4] *Ep. ad Adelph.*, n. 3, JOURNEL, 795.

806. 3° Corollarium. Omnes et singulæ partes humanæ naturæ Christi possunt cultu latriæ adorari[1] *directe* seu *in se*, quia omnes sunt æque Verbo hypostatice unitæ : non tamen expedit ut cuidam parti specialis cultus exhibeatur, nisi specialis adsit ratio et Ecclesiæ approbatio, ne incredulorum irrisioni ansa detur.

§ II. De Cultu Sacratissimi Cordis Jesu.

807. 1° Ejus natura. Quo melius intelligatur, ejusdem *objectum*, *finem* et præcipuos *actus* describemus.

A) *Objectum proximum* duplex est, scilicet : **a**) cor Christi *physicum*, ut vivum, sentiens, et animæ ejus ac personæ divinæ hypostatice conjunctum; **b**) idem cor *metaphorice* intellectum, quatenus est symbolum amoris divini et humani quo nos prosequitur Christus. Unde *motivum* seu *objectum formale* cultûs quo SS. Cor Jesu colimus, est tum infinita dignitas Verbi, cui hypostatice unitur, tum divino-humana caritas quam exhibuit præsertim erga nos. Objectum vero *ultimum* et *principale* est ipsa *persona Christi* quatenus suum amorem nobis corde manifestat. Quod attendendum est, ne devotio erga Cor Christi ab ejus personâ separetur, et nimis *materialis* fiat.

B) *Finis* autem hujus devotionis duplex præsertim assignari potest : **a**) prior, ut corda nostra amore inflammentur erga Christum; **b**) posterior, ut reparentur injuriæ ipsi illatæ, præsertim in Eucharistiâ.

C) Præcipui tandem *actus*, quibus hic finis attingi potest, sunt : **a**) *cognitio* SS. Cordis Jesu : quo magis enim ejus divinam excellentiam, eximiam caritatem aliasque virtutes cognoscemus, eo majorem erga illud devotionem concipiemus; **b**) *adoratio*, ratione unionis hypostaticæ; **c**) *amor*, quem fortiter et suaviter exposcit summa SS. Cordis Jesu perfectio, pulchritudo et benignitas : qui quidem amor *affectibus*, *verbis* et *operibus* manifestari debet, præsertim vero *imitatione virtutum* quarum SS. Cor Jesu symbolum est, *caritatis* videlicet, *humilitatis* et *mansuetudinis :* "discite a me quia mitis sum et humilis corde[2]"; d) *reparatio* injuriarum ipsi illatarum :

---

[1] Unde damnata est hæc propositio *Synodi Pistoriensis* asserentis : "Adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturæ." Cf. DENZ.-BANN., 1561 (1524).

[2] *Matth.*, XI, 29.

nam hic est unus e præcipuis finibus hujus devotionis, ex jam dictis. — Quæ quidem officia persolvuntur præsertim in solemni festo SS. Cordis Jesu, et a piis personis primâ feriâ sextâ cujuslibet mensis.

808. 2° **Ejus legitimitas** statuenda est contra *Jansenistas*, *Incredulos* et *Rationalistas* qui SS. Cordis cultum ut novum, erroneum, valde periculosum, superstitiosum et falso fundamento innixum impugnant : cor enim physicum, ut aiunt, non est sedes amoris.

809. **Thesis** : *Cultus SS. Cordis Jesu, sensu explicato intellectus, est ab omni superstitionis labe immunis, pius et valde utilis.* Certum est

A) *Auctoritate Ecclesiæ :* **a**) Pius VI[1] contra Jansenistas asseruit et confirmavit hunc cultum, quatenus videlicet SS. Cor adoramus " ut est Cor Jesu, cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est ". **b**) ex *institutione festi* SS. Cordis Jesu.

Primum quidem concessa non fuerat sub Benedicto XIII institutio illius festi, quia postulator *J. de Galliffet* innitebatur dubio principio, cor scilicet esse " comprincipium sensibile omnium virtutum et affectionum, quasique centrum voluptatum et dolorum omnium internorum[2] ". Re autem melius expositâ, anno 1765, *Clemens XIII* hoc festum celebrari permisit; idem festum *Pius IX* ad universam extendit Ecclesiam (1856) ac denique *Leo XIII*, orbis catholici votis obsecundans, ad ritum duplicis primæ classis evexit (1890), et die 25 Maii 1899, litteras encyclicas dedit " de hominibus Sacratissimo Cordi Jesu devovendis[3] ".

B) *Rat. theol.* Cultus SS. Cordis est : **a**) *legitimus* in suo *objecto :* sepositâ enim quæstione utrum cor materiale sit organum amoris an non, est certo *symbolum amoris*, et insuper *sedes* ubi *manifestatur* amor sensibilis; statim enim ac vehementem affectionem sensibilem experimur, cor nostrum commovetur, ut constat experientiâ et omnes physiologi fatentur. Itaque Cor Christi est *symbolum* amoris quo Christus " dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis[4] " et omnium gratiarum quæ ex hoc amore nobis obveniunt; **b**) *sanctus* est in suo fine, in actibus quibus exercetur, et in effectibus

---

[1] Constit. *Auctorem fidei*, DENZ., 1562, 1563 (1425, 1426).
[2] BENEDICTUS XIV, *De servorum beatif.*, l. IV, p. 2, c. 31.
[3] SS. LEONIS PAPÆ XIII, *Allocutiones*, etc., vol. VII, ed. Desclée, p. 246 sq.
[4] *Ephes.*, V, 2.

conversionis, caritatis, spiritualis profectûs, zeli apostolici quos producit.

Nec dici potest *periculosus*, quia *specialis* adest ratio hanc partem corporis Christi adorandi et insuper accedit Ecclesiæ approbatio.

Imo hic cultus fuit nostris diebus *valde opportunus* : cùm enim hæresis janseniana nimiam severitatem foveret fidelesque ab amore Dei et frequenti communione arceret, omnino expediebat eam impugnari non solum *theoretice*, Jansenii propositiones damnando, sed etiam *practice*, devotionem fovendo omnino inimicam Jansenianorum rigorismo.

ART. II. DE CULTU B. MARIÆ VIRGINIS.

§ I. De dignitate Matris Dei.

Cùm divina maternitas fons sit et radix omnium privilegiorum et munerum, quibus insignita fuit B. Virgo, hujus dignitatis *existentiam*, et *excellentiam* exponemus.

810. I. Thesis : *B. Virgo Maria est vere Dei Genitrix, seu Dei Mater. De fide* est præsertim contra Nestorianos ex C. *Ephesino* : " Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei Genitricem sanctam Virginem, A. S.[1] ". Sensus autem thesis non est B. Virginem genuisse divinam Verbi naturam (quod hæreticum esset), sed ipsam genuisse Christum qui Deus est[2].

811. *Probatur* : 1° *Script.* Evangelia enim narrant B. Virginem concepisse et genuisse Christum qui vere Deus est. Unde Elisabeth, afflante Spiritu Sancto, B. Virginem vocat *matrem Domini*[3] : " Unde hoc mihi ut veniat *mater Domini* mei ad me? "

2° *Tradit.* a) Per tria priora sæcula, Patres profitentur Mariam parturivisse *Deum*[4]; " Christum ex Mariâ natum, esse Emmanuel seu *Deum* nobiscum[5] ". b) Ab initio IV[i] sæculi, jam nomen ipsum θεοτόκος, *Deipara*, Mariæ attribuitur, et tam frequens evadit hujus appellationis usus, ut *Julianus apostata* christianos accusaret quod *Mariam deiparam* vocare

---

[1] DENZ., 113 (74).
[2] " Mater *Christi*, sancta *Dei* genitrix ". (*Lit. Laur.*)
[3] *Luc.*, I, 43. — [4] S. IGNATIUS, *Ad Ephes.*, 7, 18, 20.
[5] S. IRENÆUS, *Adv. hæres.*, III, 16, 6 sq.; III, 18, 7; III, 21, 10. Cfr. TERTULLIANUS, *De carne Christi*, 17; ORIGENES, *in Luc.*, VIII; *Cont. Cels.*, I, 35.

non cessarent, et *Joannes Antiochenus* amicum suum Nestorium monuerit ne, pertinaciter huic appellationi obsistendo, turbas commoveret. c) Quinto sæculo, Nestorio aperte negante divinam maternitatem B. Virginis, *S. Cyrillus* dogma catholicum strenue propugnavit, et *C. Ephesinum* definivit, plaudente populo, B. Virginem esse θεοτόκον.

3° *Ratione theol.* Etenim B. Virgo concepit et genuit personam qui Deus est, scilicet Christum; generatio autem terminatur non ad naturam, sed ad *personam* quæ subsistit in naturâ genitâ; v. g., mater Petri, licet corpus ejus tantum generet, dicitur merito mater Petri.

812. II. Excellentia hujus dignitatis. 1° *In se :* dignitas Matris Dei longe supereminet omnes alias dignitates, exceptâ unione hypostaticâ, cùm proxime pertineat ad ordinem ipsius unionis hypostaticæ. Nam B. Virgo, præbendo materiam corporis Christi, illudque voluntarie concipiendo, parturiendo ac nutriendo, fuit veluti causa instrumentalis unionis hypostaticæ, atque cooperatrix divinarum personarum in magno Incarnationis opere. Unde " Beata Virgo, ex hoc quod est mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus[1] ".

813. 2° *In suis consectariis.* Beata Virgo, utpote Mater Dei, speciales et intimas relationes contrahit cum tribus divinis personis. Etenim : **a**) aliquo modo participat *fecunditatem Patris*, cùm eumdem Filium ex suâ substantiâ modoque virginali generet in tempore quem Pater ab æterno generat solus sibi consubstantialem; **b**) contrahit *affinitatem specialem* et stupendam unionem cum Verbo in Incarnatione per generationem, in toto vitæ decursu per familiarem conversationem, in Passione per Compassionem, in gloriâ per præcellentem beatitudinem; **c**) fit aliquo modo *Sponsa Spiritûs Sancti*, nam formatio corporis Christi in utero B. Virginis tribuitur Spiritui Sancto[2].

Hinc etiam Maria dicitur aliquando *complementum* totius Trinitatis, non quidem eo sensu quod Trinitas in se indigeat aliquo complemento, cùm sit fons totius perfectionis, sed quia de facto Trinitas B. Virgine usa est, tamquam instrumento, ad perficiendum Incarnationis opus.

---

[1] S. THOMAS, q. 25, a. 6.

[2] *Luc.*, I, 35. — Formatio corporis Christi, utpote opus ad extra, communis est tribus divinis personis (DENZ., 284 (231), sed specialiter tribuitur Spiritui Sancto quia est opus *amoris*. Quandoque etiam Maria vocatur a Patribus *Sponsa Patris*, quia videlicet ejus fecunditati consociatur, et in tempore generat Eum qui a Patre ab æterno generatur.

§ II. De sanctitate B. Mariæ Virginis.

Dicemus de ejus *immaculato conceptu*, *virginitate* et *gratiâ*.

I. *De Immaculato Conceptu.*

814. 1° **Thesis** : *B. Virgo, in primo instanti suæ conceptionis, intuitu meritorum Christi, fuit ab omni originalis culpæ labe præservata immunis. De fide* ex Bullâ *Ineffabilis*[1] quâ *Pius IX* definivit " doctrinam quæ tenet Beatissimam Virginem Mariam, *in primo instanti suæ conceptionis, fuisse, singulari omnipotentis Dei gratiâ et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem*, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam ". In quâ definitione tria præsertim notanda occurrunt :

a) B. Virgo præservata fuit a *maculâ* originalis peccati, non autem a debito, saltem remoto[2], quia utpote naturaliter ab Adamo descendens, debuisset illud contrahere, et sic a Christo differt, qui a debito omnino immunis erat; sed immunis fuit ab *actuali infectione peccati originalis*, proindeque a primo instanti *gratiâ sanctificante* ornata fuit, cùm non detur medium inter statum peccati et statum gratiæ.

b) Hoc privilegium collatum fuit B. Virgini *primo instanti* ejus conceptionis, id est, eo instanti quo anima rationalis infusa fuit in ejus corpus.

c) Collatum fuit B. Virgini non *jure proprio*, prout Christo collatum est, sed ex *gratuitâ* concessione Dei, et quidem ob prævisa merita Christi.

815. **A**) *Script.* **a**) Saltem innuitur in *Protevangelio*[3]: " Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum

---

[1] DENZ.-BANN., 1641 (1502).

[2] B. Virgo non immunis fuit a *debito proximo*, si in illâ lege inclusa fuit quâ omnes Adæ posteri, ipso peccante, peccatum contrahere debebant; immunis autem fuit ab eo, proindeque habuit solummodo *remotum debitum*, si ab ipsâ lege inclusionis exempta fuerit, quamvis vi descendentiæ activæ ab Adamo in eâ includi debuisset. Cùm hujusmodi quæstionis solutio a solâ voluntate Dei pendeat, et nil certi hâc de re manifestaverit, ab eâ expendendâ abstinemus. Unum certum est, scilicet, B. Virginem *Redemptione indiguisse*, cùm nonnisi intuitu meritorum Christi ab originali labe præservata fuerit.

[3] *Genes.*, III, 5.

et semen illius : ipsa (*hebraice* ipsum) conteret caput tuum ".

In quo textu declaratur specialem inimicitiam futuram esse inter diabolum seu peccatum, et mulierem seu B. Virginem; et eamdem, simul cum Filio suo, plenam victoriam reportaturam esse de diabolo ac peccato; licet enim pronomen " ipsum ", in textu hebraico, directe referatur ad semen mulieris, scilicet Christum, debet etiam indirecte referri ad matrem ejus, ut antithesis, enuntiata in primo membro, sit completa. Atqui talis victoria plena non esset, si B. Virgo, primo suæ conceptionis instanti, peccato maculata fuisset.

b) Suadetur *Angelicâ salutatione :* " Ave, gratiâ plena, Dominus tecum [1] ". Ibi enim Mariæ tribuitur omnimoda plenitudo gratiæ, quæ, ut sit perfecta, ad primum instans conceptionis sese extendere debet.

816. B) *Tradit.* probatur. a) *Ætate patristicâ*, dogma Immaculatæ Conceptionis implicite propositum fuit : 1) in textibus quibus Maria Evæ comparatur [2], imo Evâ *perfectior* dicitur *majorique gratiâ* donata; 2) in textibus quibus Patres certatim asserunt B. Virginem esse *purissimam*, *per omnia* et *funditus immaculatam*, *illibatam*, eam fuisse *omni tempore puram*, *peccatum nunquam dominatum* fuisse in eam; imo *supersanctam*, *superinnocentem*, *undequaque* sive ex toto *sanctam*, *puram ab omni labe; sanctis sanctiorem*, *mundiorem cælestibus mentibus; solam sanctam*, *solam innocentem*, *solam immaculatam*, *solam undequaque illibatam*, *solam undequaque benedictam*.

b) *A sæculo XII ad XIV*, hæc veritas aliquandiu obnubilata fuit in Ecclesiâ Latinâ, præcipue propter difficultatem omnia Traditionis documenta perlustrandi [3]. Nihilominus : 1) fides in Immaculatum Virginis conceptum in dies invaluit, tum inter Pastores, tum inter Fideles, tum inter doctores [4];

---

[1] *Luc.*, I, 28.

[2] " Ambæ puræ, ambæ simplices ". S. EPHREM, *Serm. 4 in div. Script.*, JOURNEL, 715.

[3] " Præterea (et hoc summopere dignum est observatione), primi fautores festi Conceptionis et defensores hujus privilegii ita male hoc mysterium explicabant, veris falsa immiscebant, et invalidis vel falsis rationibus confirmabant, ut eorum positionibus et piæ sententiæ sic intellectæ jure contradicendum esset ". Ita *recentiores Editores S. Bonaventuræ*, Schol. in III Sent., dist. 3, a. 1, q. 1.

[4] Mutatio, quæ in scholis paulatim obtinuit, maxime debetur Scoto; cum enim theologi, qui huic piæ opinioni obstabant, instantiùs assererent in hâc opinione dignitatem Christi Redemptoris minui, Scotus

2) festum Conceptionis, quod jam sæculo VII in Ecclesiâ Græcâ celebrabatur, et in Ecclesiâ occidentali primum in Siciliâ et Neapoli a Græcis receptum est, sæc. IX fuit celebratum in Hiberniâ, e quâ propagatum fuit in Angliam, in Normanniam et per totam fere Galliam, exinde in Germaniam brevique in universalem Ecclesiam : porro objectum hujus festi fuit *sanctificatio* Mariæ in utero, non quocumque instanti facta, sed *in ipsâ infusione animæ*, ut constat tum ex diversis titulis festi (conceptio B. Annæ, oraculum conceptionis Deiparæ, etc.), tum ex homiliis Patrum, tum ex declaratione *Sixti IV* (1482), aliorumque Pontificum; 3) Pontifices variis Constitutionibus prohibuerunt ne quis contra hanc piam doctrinam loqui, concionari, tractare, disputare auderet : ita, v. g., *Sixtus IV*, *Alexander VII*[1].

c) *Tridentinum*, cùm de peccato originali ederet decretum, solemniter declaravit "non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, B. et Immaculatam V. Mariam, Dei Genitricem[2]".

d) Tandem, cùm jamdiu Antistites, Ecclesiastici viri, Regulares Ordines, ac vel ipsi Imperatores et Reges a S. Sede enixe efflagitâssent ut Immaculata Conceptio B. M. V. veluti fidei catholicæ dogma declararetur, *Pius IX*, postquam ab Episcopis totius orbis catholici postulâsset quid de hâc definitione sentirent, pro supremâ et infallibili quâ pollebat auctoritate, rem solemniter definivit.

817. C) *Ratione suadetur*[3]. a) Decebat valde Christi matrem esse ab omni peccati labe immunem ut esset digna mater ipsius sanctitatis; b) decebat et Salvatorem de peccato triumphare redemptione præventivâ etiam in instanti animationis, et imprimis matris suæ quæ ejus *cooperatrix* futura erat in opere redemptionis; c) decebat creaturam tam intime cum Sanctissimâ Trinitate conjunctam nunquam habere quod Trinitati displiceret.

818. 2° **Corollaria.** a) B. Virgo nullum experta fuit concupiscentiæ motum, cùm concupiscentia sit sequela originalis peccati : unde fomes peccati fuit *ab initio* in Virgine ligatus, imo et omnino extinctus [4]. b) B. Virgo nullum commisit peccatum actuale sive mortale sive veniale, ut aperte constat

ostendit dignitatem Christi non minui, sed augeri, si matrem tam perfecte redemerit ut meruerit eam a peccato originali præservari; quod argumentum multis placuit etiam extra scholam franciscanam.

[1] Denz., 792, (674); cf. 735, 1100. — [2] Denz., 734, 1100.

[3] Bossuet, *1er Sermon pour la fête de la Conception.*

[4] S. Th., *Sum. th.*, 3a p., q. 27, a. 3.

ex *Tridentino*[1] : " Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse... aut contra, posse in totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de *B. Virgine tenet Ecclesia*, A.S."

II. *De perpetuâ virginitate Mariæ.*

819. Thesis : *B. Maria virgo fuit ante partum, in partu et post partum. De fide* est ex ordinario et universali Ecclesiæ magisterio, et ex C. *Lateranensi* (a. 649), sub Martino I habito et ab Agathone recognito : " Si quis secundum SS. Patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei Genitricem Sanctam *semperque Virginem* immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter... *abque semine concepisse* ex Spiritu Sancto, et *incorruptibiliter eam genuisse*, indissolubili *permanente et post partum ejusdem virginitate*, condemnatus sit[2]..."

1° *Scriptura* clare docet Mariam *concepisse* Christum *modo virginali*. Narrat enim *S. Lucas*[3] B. Virginem, Angelo nuntianti eam Filium Altissimi parituram esse, ita respondisse : " Quomodo fiet istud, quoniam *virum non cognosco?* "; angelum vero dixisse : " Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi ". — *S. Matthæus* autem refert Angelum dixisse Joseph, qui sponsam prægnantem dimittere volebat : " Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in eâ natum est, de Spiritu Sancto est[4] ". Nil *explicite* dicitur de virginitate Mariæ in partu et post partum; sed ex verbis " *virum non cognosco* " Patres merito inferunt ipsi propositum fuisse perpetuam virginitatem servandi.

820. 2° *Tradit.* A) Omnes Patres, etiam antiquissimi, contra *Ebionitas* et *Cerinthianos*, affirmando Christum esse Deum, simul docent Christum *e virgine* natum esse, quasi nempe repugnaret Deum nasci ex non-virgine. Ita *Aristides* asserit Mariam *sine semine* Filium concepisse[5]; *S. Justinus* sæpe repetit Christum *ex virgine* natum esse[6]; *S. Irenæus*

---

[1] Sess. VI, c. 23. — [2] DENZ., 256 (204). — [3] *Luc.*, I, 26 sq.

[4] *Matth.*, I, 18 sq. — Ad hanc probationem enervandam, *Liberales* et *Modernistæ* contendunt, sed gratuito, narrationem priorum Evangelii capitum non esse authenticam. Cf. *Etudes*, 20 mai 1907.

[5] *Apol.*, *P. G.*, XCVI, 1121, JOURNEL, 112.

[6] *Apol.*, I, 22, 32, 33; *Dial. cum Tryph.*, 66, 75, 76, 100.

non solum idem asserit, sed etiam affirmat hanc veritatem esse unam ex iis quæ in *regulâ fidei* ab omnibus credendâ continetur [1]. *S. Hippolytus* testatur hanc esse traditionem apostolorum [2]. Quare hæc veritas in omnibus *symbolis* affirmatur.

B) Quarto sæculo, *S. Hieronymus*, contra Helvidium, probat Mariam *in partu* virginem remansisse. Idem confirmat *S. Augustinus* [3] : " Si enim Christi nativitate corrumperetur ejus (Mariæ) integritas, non jam ille de virgine nasceretur, eumque falso, quod absit, natum de virgine Mariâ tota confiteretur Ecclesia, quæ imitans ejus matrem quotidie parit membra ejus et virgo est ". Quam doctrinam Patres comparationibus illustrant : sicut obsignato sepulchro Christus resurrexit, et, januis clausis, ad discipulos ingressus est, ita nascendo, inviolato virginitatis sigillo, foras prosiluit; sicut solis radius crystallum penetrat, sine quâvis ejus læsione, ita Jesus ex utero matris illæsâ ejus virginitate prodiit.

C) *B. Maria virgo remansit etiam post partum.* a) Revera *Patres* oppositam sententiam Apollinaristarum multorum, Helvidii, Joviniani, rejiciunt ut *insaniam* et *blasphemiam*, *sacrilegium*, *impietatem*, *perfidiam*, *hæresim*. Ita, v. g., inter *Latinos*, *S. Ambrosius* [4] : " Fuerunt qui eam (Mariam) negarent virginem perseverâsse. Hoc *tantum sacrilegium* silere jamdudum maluimus "... Patres Græci, ut *Didymus* [5], Mariam vocant ἀειπαρθένον seu *semper virginem*. b) Nec hanc doctrinam ut privatam opinionem, sed ut *Ecclesiæ fidem* tradunt; provocant enim ad sensum populi christiani : " Quis aut quo tempore unquam exstitit, qui ausus sit vocare nomen sanctæ Mariæ, et rogatus non statim addiderit : *virginis?...* Sic sanctæ Mariæ nomen virginis datum est nec unquam mutabitur; sancta enim illa incorrupta permansit [6] ". Unde multi Protestantes hanc fuisse primævæ Ecclesiæ fidem agnoscere non dubitant.

821. 3° *Ratio* ostendit maxime *conveniens* esse : A) Christum *concipi et nasci ex virgine :* a) ex *dignitate Patris :* cùm enim prima persona SS. Trinitatis sit pater Christi, non conveniebat hanc dignitatem transferri ad aliquem virum; b) ex *impeccabilitate* Christi : non decebat enim Christum naturali conceptu obnoxium esse originali peccato; c) ex *dignitate ipsius Christi :* nam maxime decebat eum, qui a solo Patre generatur, in tempore modo virginali nasci [7].

---

[1] *Adv. hæres.*, III, 19, 1-3. — [2] *Contra Noet.*, c. 17.
[3] *Enchirid.*, c. 34.
[4] *De instit. virg.*, c. 5-6. — [5] *De Trinit.*, III, 4.
[6] S. EPIPHANIUS, *Adv. hæres.*, 78, 6; JOURNEL, 1111.
[7] S. THOMAS, 3 p., q. 28, a. 1.

B) Mariam *perpetuo virginitatem servare*[1] : a) ob *perfectionem Christi*, quem decebat esse *unigenitum matris*, sicut est unigenitus *Patris;* b) ob *dignitatem et sanctitatem matris Dei*, quæ ingratissima videretur, si tanto Filio contenta non esset, et virginitatem miraculose servatam sponte amisisset.

III. *De gratiâ et sanctitate B. Virginis.*

Ut aliquo modo noscere possimus quanta fuerit Mariæ sanctitas, expendendum est quantâ mensurâ *primo instanti* gratiam acceperit, et quomodo *decursu vitæ* eamdem auxerit.

822. 1° *In primo instanti suæ conceptionis, B. Virgo majorem accepit gratiam quam singuli homines aut Angeli in suâ primâ sanctificatione.* Certum est. Nam gratia cuique a Deo collata proportionatur dignitati et muneri uniuscujusque; atqui munus Mariæ, quæ jam destinabatur ut esset Mater Dei, superat quamlibet dignitatem.

Insuper *valde probabile* est B. Virginem accepisse ab initio *majorem gratiæ gradum quam acceperint omnes puræ creaturæ simul sumptæ.* Nam ab initio magis dilecta fuit quam omnes simul creaturæ, quia jam diligebatur ut Mater Dei : atqui gradus gratiæ proportionatur amori quem Deus habet erga aliquam creaturam.

823. 2° *Gratia Mariæ augmentum suscepit in vitâ, triplici præsertim modo :*

a) Per *actus meritorios*, qui fuerunt *innumeri* ac *ferventissimi;* b) per *Incarnationem* Verbi quæ, ut communiter tradunt theologi, contulit Virgini gratiam proportionatam maternitati divinæ; c) per *Sacramenta*, Baptismum scilicet et Eucharistiam, quæ Maria recepit cum dispositionibus quam perfectissimis [2].

824. *Corollarium : de Assumptione B. Virginis.* Post mortem Maria, non solum beatitudine donata est quâ "exaltata est super choros Angelorum", sed, juxta communem sententiam, etiam secundum corpus in cælum fuit assumpta. Sicut enim Christus triplicem reportaverat victoriam, de peccato per impeccabilitatem, de concupiscentiâ per absolutam integritatem, de morte per gloriosam resurrectionem et ascensionem, ita pariter decebat B. Virginem,

---

[1] S. Thomas, 3 p., q. 28, a. 3.
[2] Præterea, in die Pentecostes, Maria plenitudinem novam donorum Spiritûs Sancti accepit.

quæ tàm intime Filio suo consociata est, triplicis hujus triumphi participem esse, videlicet victoriam reportare de peccato per immaculatam conceptionem, de concupiscentiâ per virginalem maternitatem, de morte per acceleratam resurrectionem et in cælum assumptionem.

§ III. De officiis B. Mariæ erga homines.

Tria præsertim sunt : siquidem B. Virgo est *mediatrix*, *regina* et *mater* omnium Christianorum.

825. 1° *B. Virgo est mediatrix, non quidem principalis sed secundaria*, seu mediatrix ad Mediatorem, *non necessaria* quidem, sed valde *utilis*.

826. Siquidem sub Christo, qui solus est mediator *necessarius* et *principalis*, B. Virgo ad salutem nostram concurrit triplici modo : **a**) non solum *physice*, concipiendo et pariendo Salvatorem nostrum, sed etiam *moraliter*, tum consensum præbendo Incarnationis et Passionis mysterio, tum Christo in cruce immolato compatiendo; **b**) nobis merendo *de congruo* gratias ad salutem necessarias; **c**) efficaciter interpellando in cælo ad obtinendas gratias pro nobis, ita ut multi theologi doceant nullam gratiam reapse dari sine ejus intercessione, quia, inquiunt, convenit Deum, qui per Mariam nobis dedit Christum, fontem gratiæ, per Ipsam etiam gratias particulares dispensare, quæ singulis hominibus conceduntur [1].

Attamen fatentur invocationem B. Mariæ non esse absolute necessariam ad salutem, cùm gratia directe a Christo Mediatore postulari possit; sed solum valde utilem, scilicet esse viam *brevem*, *promptam* et *securam* ad gratiam ideoque salutem obtinendam.

827. 2° *B. Virgo est regina non solum hominum, sed etiam omnium creaturarum.*

Etenim decet ut Mater Christi Regis potestatem quamdam benevolentiæ et misericordiæ exerceat erga omnes sui Filii subditos. Hinc a *S. Bern. Sen.* [2] merito dictum est : "Tot creaturæ serviunt gloriosæ Virgini Mariæ, quot serviunt Trinitati".

---

[1] S. BERNARDUS, *Serm. in Nat. B. Mariæ.* Cf. BOSSUET, *3e Sermon pour la fête de la Conception de la Sainte Vierge.* — Quam sententiam suâ auctoritate firmat *Leo XIII* : "Affirmare licet nihil prorsus de permagno illo omnis gratiæ thesauro, quem attulit Dominus... nihil nobis nisi per Mariam, Deo sic volente, impertiri, ut, quomodo ad summum Patrem nisi per Filium nemo potest accedere, ita fere nisi per matrem accedere nemo possit ad Christum". (Encycl. de rosario, 22 sept. 1891.)

[2] *Serm. 61.*

828. 3° *Tandem B. Virgo est mater omnium christianorum in ordine supernaturali :*

a) Titulo *cognationis* cum Christo : nam Maria est mater Jesu, qui dignatus est *frater* noster fieri secundum naturam et secundum gratiam, nos adoptando in fratres; b) titulo *cooperationis* ad nostram salutem, quatenus cum Christo nos veluti spiritualiter genuit, et potiori ratione quam Eva *mater viventium* nuncupatur; c) titulo *amoris*, nam cum maternâ sollicitudine nos tuetur contra dæmonum incursus, et in corde nostro format virtutes Christi : d) titulo *donationis*, cùm Christus in cruce moriens nos in filios ipsi dederit, Joanni (et per extensionem, omnibus christianis) dicens : " Ecce mater tua ". Liceat igitur cum *S. Bernardo* concludere[1] : " Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam veneremur ".

§ IV. De cultu B. Mariæ exhibendo.

829. *Protestantes* acriter impugnant cultum quem Catholici B. Virgini persolvunt, ut *superstitiosum*, *illusorium*, imo omnino *idololatricum*. Quod quidem verum esset si cultum *latriæ* ipsi redderemus, sed res non ita se habet.

Cultus B. Virgini redditus triplicem præsertim actum complectitur : a) *venerationem* et *reverentiam*, propter dignitatem divinæ maternitatis ipsi collatam et ejus eximiam sanctitatem; b) *invocationem* et *fiduciam*, quia est potens simul et misericors mediatrix ad Christum; c) *amorem filialem*, quia est Mater nostra spiritualis; qui amor ad illius virtutum *imitationem* nos incitat. Hoc autem triplici actu Beatissimam Virginem colimus *præ omnibus aliis Sanctis*, et exinde cultus ille vocatur cultus *hyperduliæ*.

830. **Thesis.** *Cultus hyperduliæ B. Mariæ redditus est omnino legitimus. De fide* est ex ordinario universali Ecclesiæ magisterio.

Probatur 1° *Scripturâ*. a) Deus nos edocet quantâ *veneratione* habenda sit Maria, dum ipse, per Angelum Gabrielem, eam sic alloquitur : " Ave, gratiâ plena[2] "...; pariter, dum per os Elisabeth B. Virgini dicit : " Benedicta tu inter mulieres[3] ". b) Christus nos edocet quantam *fiduciam* in Mariam habere debeamus, dum ipse

---

[1] *Serm. in Nativ. B. V.*, n. 7. — [2] *Luc.*, I, 28. — [3] *Luc.*, I, 42.

primum miraculum efficit, rogante B. Virgine[1]. **c**) Tandem Christus, in cruce moriens, nos edocet *quanto amore* B. Virginem diligere debeamus, dum dicit Joanni et omnibus christianis : " Ecce mater tua[2] ".

831. 2° *Tradit.* Cultum B. Virginis viguisse a primis temporibus constat ex *imaginibus* in Catacumbis inventis, ex *templis* ædificatis statim ac pax Ecclesiæ reddita fuit, ex *encomiis* SS. Patrum, ex omnibus *Liturgiis.*

3° *Rat. theol.* Cultus hyperduliæ est legitimus : etenim **a**) nedum Deum offendat, ad Deum potius ultimo refertur, auctorem omnium donorum quæ in Mariâ veneramur; **b**) Deum ipsum imitatur : cùm enim ad nos miserit Verbum suum per Mariam, æquum est et nos Jesum per Mariam adire; **c**) est valde utilis ad gratias efficacius exorandas : sicut in rebus humanis multi favores obtinentur a Rege, interveniente Reginâ, ita multas gratias a Supremo Rege, intercedente Reginâ cæli, consequimur.

ART. III. DE CULTU SANCTORUM.

832. Cultus Sanctis redditus non est cultus supremus latriæ, sed solum cultus duliæ, quo 1) eorum excellentiam et supernaturales dotes agnoscimus et *veneramur*, 2) eorum opem *invocamus*, et 3) exempla *imitari* intendimus. Hoc ultimum legitimum esse ultro fatentur Protestantes : contra quos et Modernistas duo priora esse licita probamus.

833. **Thesis** : *Cultus duliæ, quo Sanctos veneramur et invocamus, pius est et utilis.* De fide est ex *Tridentino* declarante[3] : "Sanctos una cum Christo regnantes, *orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile* esse suppliciter eos *invocare :* et ob beneficia impetranda *a Deo per Filium ejus Jesum Christum* Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere ".

834. Probatur : 1° *Script.* quæ testatur : **a**) cultum religiosum Angelis redditum fuisse, v gr. ab Abraham[4], a Josue[5] : quod innuit sanctos, utpote Angelorum concives, honore prosequendos esse; **b**) justos viventes in terrâ pro vivis inter-

---

[1] *Joan.*, II, 3-10. — [2] *Joan.*, XIX, 27.
[3] Sess. XXV, DENZ., 984 (860). — [4] *Genes.*, XVIII, 2. — [5] *Jos.*, V, 13.

cedere posse, ut fecerunt Job et S. Stephanus [1], imo talem intercessionem ab ipso Deo et ejus Apostolis commendari : cur autem ad preces Sanctorum qui in cælo sunt, confugere non liceat? c) Sanctos in cælo pro nobis intercedere, ut dicitur de Jeremiâ [2].

2° *Tradit.* a) Per tria priora sæcula, cultus persolutus fuit *martyribus* [3] quorum martyrium fuerat ab auctoritate ecclesiasticâ recognitum et *vindicatum* [4]. b) A quarto sæculo, non solum martyres, sed etiam episcopi qui pie in Domino decesserunt, moxque anachoretæ, et alii qui christianâ mortificatione aliisque virtutibus corpus suum crucifixerunt et martyrum labores imitati sunt, commemorantur sicut et ipsi martyres, eisque preces offeruntur [5].

3° *Rat. theol.* Sancti enim : a) ob gratias quibus a Deo donati sunt, actus heroicos virtutum quibus in terrâ eminuerunt, et gloriam cujus participes sunt in cælo, supernaturalem excellentiam præ se ferunt, quæ speciali reverentiâ agnosci debet; b) propter *caritatem* quâ nos prosequuntur et *potestatem* quâ gaudent apud Deum, multa beneficia pro nobis obtinere prompti sunt.

ART. IV. DE CULTU RELIQUIARUM ET IMAGINUM.

I. *De cultu reliquiarum.*

835. 1° Reliquiarum nomine veniunt non tantum Sanctorum corpora et ossa, sed etiam vestes, aliaque hujusmodi quibus usi sunt, et quæ apta sunt ad piam eorum excitandam memoriam. Cultus qui reliquiis redditur, non est cultus *absolutus*, sed tantum *relativus*; eas enim non propter earum intrinsecam excellentiam veneramur, sed propter excellentiam Sanctorum ad quos olim pertinuerunt.

836. 2° **Thesis** : *Sanctorum reliquias honorare licet et expedit. De fide est*, utpote a *C. Trid.* definitum [6] : " Sanctorum martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi et templum Spiritûs Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitan-

---

[1] *Job.*, XLII, 8; *Act.*, VIII, 60; *Rom.*, XV, 30; *I Thess.*, V, 25; *Jac.*, V, 16.
[2] *II Mach.*, XV, 14. — [3] JOURNEL, 81, 572.
[4] S. OPTATUS, *De schism. Donatist.*, I, 16.
[5] S. EPIPHANIUS, *Adv. hæres.*, 75, 8, JOURNEL, 1109.
[6] Sess. XXV, DENZ., 985 (861).

da et glorificanda, a fidelibus *veneranda* esse; per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur ".

837. Prob. A) *Script.* quæ refert miracula Sanctorum reliquiis patrata : sic Eliæ pallium Jordanis aquas divisit[1]; Elisei cadaver vitam mortuo restituit[2]; umbra Petri infirmitates sanabat[3]; S. Pauli sudaria ægrotos curabant[4]; in Evangelio[5] refertur mulierem Christi vestimenti fimbriâ sanatam fuisse. Atqui, si Deus, mediantibus Christi et Sanctorum vestimentis ac reliquiis miracula patravit, nonne illas reliquias venerari licet?

B) *Praxi Ecclesiæ.* Historice constat, primos Christianos in martyrum reliquiis colligendis sollicitos fuisse, ut eas decenti loco collocarent ac colerent; prope martyrum tumulos sepulturam quæsiisse; altaria super Sanctorum reliquiis erexisse, præsertim vero martyrum, superque martyrum sepulcris, in eorum honorem, sacrificium obtulisse; eorumdem reliquias ut thesaurum inæstimabilem, gemmis pretiosissimis cariorem, habuisse.

C) *Rat. theol.* Corpora enim Sanctorum fuerunt templa Spiritûs sancti et instrumenta heroicarum virtutum, et ex eorum conspectu et honore accenditur in nobis studium tantas virtutes imitandi.

II. *De cultu imaginum.*

838. **Thesis** : *Pia est et licita imaginum sanctarum veneratio.* De fide est, tum ex Concil. *Nicæn. II*[6] Iconoclastas damnante, tum ex Concil. *Trid.*[7] definiente imagines Domini, B. Mariæ et Sanctorum colendas esse, " non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam *honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant* ".

839. *Prob.* A) *Tradit.* Praxis imagines colendi ita erat in antiquitate communis ut *Julianus Apostata* Christianos accusaret quod cruces adorarent. *S. Gregorius Magnus* Serenum, Massiliensem Episcopum, severe reprehendit quòd prohiberet hunc cultum, simul asserens imagines esse ignorantium librum, ubi discunt quod imitari debeant[8].

---

[1] *IV Reg.*, II, 14. — [2] *IV Reg.*, XIII, 21. — [3] *Act.*, V, 15.
[4] *Act.*, XIX, 12. — [5] *Matth.*, IX, 20. — [6] Denz., n. 302 (244)
[7] Sess. XXV, Denz., 986 (862). — [8] *Epist.*, l. IX, 105.

B) *Rat. theol.* Etenim : " Si regum laureata et iconas missas ad civitates vel regiones obvii adeunt populi cum cereis et incensis, non cerâ perfusam tabulam, sed imperatorem honorantes; quanto magis oportet in Ecclesiis Christi Domini iconem depingi Salvatoris Dei nostri, et intemeratæ Matris ejus, omniumque SS. et Beatorum Patrum[1] ? "

III. *De cultu crucis.*

840. Sub nomine Crucis tria complectimur : *veram crucem*, cui Christus affixus est, et quæ sub hoc respectu est reliquiarum præstantissima; crucis *imaginem*, quæ inter sacras imagines præcipuum locum tenet; *signum* crucis, quod in actione transeunte consistit, et est pia devotionis praxis.

841. 1° *Cultus veræ crucis pius est et utilis.* De fide est ex ordinario et universali Ecclesiæ magisterio. — Constat :

a) *Ex praxi Ecclesiæ;* nam statim ac vera crux inventa fuit a S. Helenâ, ut communiter creditur, fideles magnâ pietate eam coluerunt, et ecclesia a *S. Sepulchro* dicta in ejus honorem in Calvariæ monte exstructa est; quotannis, in die Parasceves, pars crucis in hâc ecclesiâ reposita adoranda populo offerebatur; particulæ veræ crucis in omnibus Ecclesiæ partibus magno cum honore receptæ sunt, teste S. Cyrillo[2]; et Ecclesia, in Crucis honorem, duplex festum, scilicet S. Crucis Inventionis ac Exaltationis, instituit.

b) *Rat. theol.* Omnis enim natio magno cum honore servat arma regis qui populum suum ab hostium servitute liberavit, et vexillum quod victoria insignis insigne fecit; ergo a fortiori dignum est a Christianâ gente coli vivificam crucem Redemptoris, quæ nostræ salutis instrumentum fuit, et victoriæ manet signum.

842. 2° *Cultus imaginum crucis pariter legitimus est.* De fide est ex *C. Nicæno II°*[3], definiente figuræ pretiosæ ac vivificæ crucis debitum honorem reddendum esse.

a) *Ex praxi Ecclesiæ*; nam crucis effigiem in altaribus antiquitus collocatam, et a fidelibus magno cum honore habitam fuisse, ex multis documentis constat. *Tertullianus* christianos vocat *crucis religiosos.* Revera furentibus persecutionibus, crux sæpe pingebatur sub formâ *anchoræ*, *triden-*

---

[1] *Concil. Œcum.* VII, act. I. — [2] *Catech.*, IV, 10; X, 9.
[3] DENZ.-BANN., 302 (243).

tis aut græcæ litteræ T. Sed, post conversionem Constantini, publice expositæ sunt cruces, posteaque imagines Christi crucifixi.

b) *Rat theol.* Crucis enim imagines sunt Passionis memoriale; mentique nostræ Ipsum Christum pro nobis patientem exhibent; nosque ad ejus patientiam imitandam provocant : crux enim non est solum ara immolantis, sed etiam docentis cathedra, ubi vividius etiam quam in Evangelio crucis amorem prædicat.

843. 3° *Usus signi crucis pius est et laudabilis.* Certum est.

Nam ab initio ab Ecclesiâ approbatum [1], miraculis confirmatum est, et ob pia motiva adhibetur, videlicet ut Christi passionis memoria servetur, publiceque appareat nos in ejus Cruce gloriari et confidere.

844. 4° *Natura cultûs cruci debiti.* **A)** Certum est et ab omnibus admissum crucis cultum esse *relativum*, non autem *absolutum;* crux enim, sicut quælibet imago, est res inanima et irrationalis, nec propter propriam excellentiam, sed propter Christum in cruce affixum honoratur.

B) Disputant autem theologi utrum hic cultus relativus sit cultus *latriæ*, an cultus *inferior* seu *duliæ*. a) Juxta *S. Thomam* [2], cultus ille est cultus latriæ, quia ad Christum in cruce pendentem dirigitur; b) juxta Bellarminum et alios, est cultus *duliæ*, quia non idem honor imagini ac exemplari debetur.

Magis nobis arridet sententia S. Thomæ, nam non debetur cultus imagini, nisi quatenus personam repræsentat; ideoque cultus cruci et imaginibus Christi exhibitus, ad latriam reducitur, dum cultus imaginibus B. Virginis ac Sanctorum redditus, ad duliam pertinet.

Quidquid est, præ oculis hæc *Tridentini* verba semper habeantur : " Honos qui eis (imaginibus) exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus et Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur ".



[1] TERTULLIANUS, *De coronâ militis*, c. 3. — [2] 3ª p., q. 25, a. 4.

TRACTATUS IX.

DE GRATIÂ.

Prænotanda.

Absoluto tractatu *de Verbo Incarnato*, dicendum est de *Deo sanctificante* seu de mediis quibus Deus, ob merita Christi, nos sanctificat, nempe de *gratiâ*, quæ est causa *formalis*, et de *sacramentis* quæ sunt causa *instrumentalis* sanctificationis nostræ.

In præsenti Tractatu, agimus de gratiâ : cujus *notionem* et *partitionem* primum declaramus.

845. 1° **Gratiæ notio**. A) *Variæ acceptiones hujus vocabuli.* Vox *gratia* apud sacros auctores tria præsertim significat : **a**) *benevolentiam* seu favorem Dei; **b**) *gratitudinem* quâ æquum est nos recompensare hanc benevolentiam; **c**) *donum gratuitum* ex divinâ benevolentiâ procedens. In tractatu sumitur gratia hâc ultimâ acceptione.

846. B) *Definitio.* Præter gratiam *increatam*, quæ nihil aliud est nisi Deus ipse creaturæ intellectuali sese communicans (n. 925), datur gratia *creata*, quæ definitur : *donum supernaturale creaturæ intellectuali a Deo concessum in ordine ad vitam æternam*[1].

Dicitur : 1) donum *supernaturale*, id est omnino indebitum sive naturæ sive personæ (n. 657); 2) *creaturæ intellectuali* concessum, quippe quod sit communicatio ipsius vitæ divinæ, cujus sola creatura intellectualis est capax; 3) *a Deo :* Deus enim solus potest esse causa principalis talis communicationis; 4) in ordine ad *vitam æternam :* omnis enim gratia nobis datur tanquam medium directum vel indirectum ad finem nostrum supernaturalem attingendum.

847. 2° **Dividitur** gratia creata : **a**) in gratiam *Dei* quæ conceditur a Deo independenter a meritis Christi, et gratiam *Christi* quæ conceditur intuitu meritorum

---

[1] Sensu *lato* et *improprio*, quo abusi sunt Pelagiani, Rationalistæ et Unitarii, gratia significat *quodlibet donum gratis concessum*, et ita creatio, conservatio, imo et liberum arbitrium gratiæ vocari possent.

Christi[1] (n. 785); **b**) in gratiam *externam*, quæ extrincese afficit subjectum, ut Christi exempla, evangelii prædicatio, et gratiam *internam* quæ directe animam ejusque facultates nobilitat; **c**) in gratiam *gratis datam*, quæ *per se* et *primario ad aliorum utilitatem* datur, ut sunt donum miraculorum et prophetia, et gratiam *gratum facientem* quæ *per se* et *primario* in propriam subjecti eam recipientis utilitatem ordinatur.

d) Gratia autem gratum faciens, de quâ in hoc tractatu agitur, dividitur in gratiam *actualem* et in gratiam *habitualem*.

848. **Tractatûs divisio.** Dicemus in triplici capite : 1° de gratiâ *actuali;* 2° de gratiâ *habituali* seu *justificante*; 3° de *merito*, quod est veluti utriusque fructus.

CAPUT I.

De gratiâ actuali.

Prævia de gratiæ actualis notione et speciebus.

849. 1° **Notio.** Gratia actualis est *auxilium quoddam supernaturale et transiens*, *quo Deus intellectum illustrat et voluntatem adjuvat ad eliciendos actus supernaturales.* Unde nihil aliud est nisi concursus divinus in ordine supernaturali. Ad quod melius intelligendum, exponemus : **a**)quomodo gratia differat a concursu, **b**) quomodo nobiscum cooperetur.

850. **A**) *Differt gratia a concursu naturali* in eo quod : **a**) est *gratuita*, dum concursus naturalis homini debetur; **b**) datur *ad opera bona* tantùm, dum concursus requiritur ad positivum elementum operationum etiam malarum; **c**) movet ad bonum *supernaturale*, ideoque elevat facultates vel actus ad ordinem superiorem.

---

[1] *Scotistæ* vocant gratiam *Christi capitis* eam quæ Adamo innocenti et Angelis concessa fuit, gratiam *Christi Redemptoris* eam quæ hominibus redemptis dispensatur.

851. B) Gratia nobiscum cooperatur : a) *immediate :* 1) *intellectum illuminando* ut ea videamus quæ ad salutem spectant, v. g., veritatem christianæ religionis, malitiam peccati, virtutis pulchritudinem; 2) *voluntatem adjuvando*, desiderium suggerendo et potestatem præbendo volendi et faciendi quæ ad salutem necessaria aut utilia sunt, non obstantibus difficultatibus undique exsurgentibus.

b) *Mediate* autem : 1) *excitando actus indeliberatos facultatum sensitivarum*, v. g., memoriæ, imaginationis, appetitûs sensitivi, quibus ad bonum supernaturale allicimur; 2) *externis eventibus utendo* ad excitandas in animâ, modo nostræ naturæ consentaneo, pias cogitationes aut affectiones, quibus ad actus salutares trahimur; ita Deus utitur sacris lectionibus aut concionibus, rebus prosperis aut calamitatibus, etc., ad bonas cogitationes suggerendas.

852. 2° **Gratiæ species.** Dividitur gratia actualis : A) ratione *finis*, in *medicinalem* et *elevantem :* prior, quæ ad subveniendum infirmitati naturæ (n. 678) conceditur, viresque præbet ad actus bonos naturales sed difficiles faciendos, est *supernaturalis quoad modum;* posterior est *supernaturalis in se*, quippe quæ det potestatem actus supernaturales eliciendi.

853. B) Ratione *modi*, in *operantem* et *cooperantem :* prior, quæ vocatur etiam *præveniens* seu *antecedens*, aut *excitans*, est motus internus intellectûs aut voluntatis quem Deus operatur *in nobis sine nobis;* v. g., peccator divinum verbum audiens, aliquando illustrationes in intellectu piosque motus in voluntate experitur, etiam antequam libere agat; posterior, quæ vocatur etiam *concomitans* vel *adjuvans*, vel etiam *subsequens*, est adjutorium quo Deus voluntatem juvat ad libere consentiendum gratiæ operanti, quod proinde agit *in nobis et nobiscum;* v. g., peccator, jam per gratiam excitantem præventus, actum contritionis elicere incipit sub influxu gratiæ cooperantis.

854. C) Ratione *effectûs*, gratia est *sufficiens* vel *efficax*. Gratia sufficiens dat veram et expeditam facultatem actum salutarem faciendi; est autem *mere sufficiens*

quando suo caret effectu præ resistentiâ voluntatis. Gratia *efficax* ea est cui voluntas libere consentit ac proinde semper suum obtinet effectum. De intrinseco discrimine inter utramque infra dicemus, n. 891.

Agemus : 1° de gratiæ actualis *necessitate;* 2° de ejus *dispensatione;* 3° de ejus *naturâ.*

ARTICULUS I. DE GRATIÆ NECESSITATE.

In statu naturæ lapsæ [1], gratia actualis necessaria est non solum ad actus *supernaturales* seu *salutares*, sed etiam ad quosdam *ethice* seu *moraliter* bonos.

§ I. De necessitate gratiæ actualis ad opera supernaturalia.

1° QUOAD OPERA QUÆ JUSTIFICATIONEM PRÆCEDUNT.

855. **Thesis I^a** : *Homo lapsus non potest etiam physice, sine gratiâ vere supernaturali illuminationis et inspirationis, tum præveniente tum comitante, elicere actus supernaturales ad justificationem præparatorios.*

De fide est ex *Trid.* [2] : " Si quis dixerit, sine *præveniente* Spiritûs S. inspiratione, atque ejus *adjutorio*, hominem credere, sperare, diligere aut pænitere posse sicut oportet ut ei justificationis gratia conferatur, A. S. " Quod jam a Concil. *Arausicano II* (529) [3] et a *Zozymo* Papa definitum fuerat contra *Pelagianos*, quorum errores renovarunt *Sociniani* et *Unitarii.*

856. **Declaratur.** Hic agitur de iis actibus quibus peccator *proxime* et *positive* ad justificationem disponitur, non autem de iis quibus remote et negative sese præparare potest, v. g., removendo quosdam obices ad conversionem. — Dicitur : **a**) *physice*, quia *de se* homo versatur in impotentiâ non solum morali, sed physicâ actus eliciendi qui sunt absolute supra ejus vires; **b**) unde, ad hos actus requiritur gratia *vere et entitative supernaturalis;* **c**) hæc autem gratia est *duplex*, scilicet *illustratio* mentis et *inspiratio* voluntatis; **d**) per gra-

[1] Loquimur enim de homine in deterius commutato propter vulnera ignorantiæ in intellectu, malitiæ in voluntate, concupiscentiæ et infirmitatis in inferiori appetitu (n. 678).
[2] Sess. VI, can. 3, DENZ.-BANN., 813 (695).
[3] DENZ.-BANN., 176-180 (146-150).

tiam *inspirationis*, intelligendus est saltem moralis influxus illuminationis quæ recipitur immediate in intellectu, et in voluntatem redundat; sed, juxta sententiam multo probabiliorem [1], intelligenda est alia gratia immediate in voluntate recepta.

857. **Probatur** : A) *Script.* a) In *Vet. Testamento* jam implicite inculcatur necessitas gratiæ ad justificationem in locis ubi conversio tribuitur misericordiæ Dei, qui et ipse abstergit peccata pænitentium et in eis creat cor mundum : " Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam... Asperges me hyssopo et mundabor... Cor mundum crea in me Deus [2] "... b) In *Nov. Test.*, res aperte declaratur præsertim a *S. Paulo* : 1) *negative*, ubi asserit et probat homines lapsos impares esse ad gratiam et salutem propriis viribus assequendam, quia sunt *servi peccati*, spiritualiter *cæci* et *mortui* [3], ideoque inhabiles ad se liberandos a peccato; 2) *positive*, ubi affirmat omnes actiones nostras supernaturales, etiam cogitationes et volitiones, gratiæ esse tribuendas : " Non quod simus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est [4] "; præsertim vero opus salutis et justificationis : " Gratiâ enim estis salvati *per fidem*, et hoc *non ex vobis* : Dei enim donum est, *non ex operibus* ut ne quis glorietur; ipsius enim sumus *factura*, *creati* in Christo Jesu in operibus bonis [5] "; jamvero si justificatio est ex *gratiâ*, *non ex nobis*, *non ex operibus*, est vere Dei donum prorsus gratuitum.

858. B) *Tradit.* Duo stadia in hujus doctrinæ expositione distinguuntur : a) Ante exortam pelagianam hæresim, necessitas gratiæ ad justificationem proponitur : 1) *indirecte publicis Ecclesiæ precibus*, quibus enixe postulatur ut infidelibus donetur fides, ut Judæis et hæreticis lux veritatis appareat; ita enim agnoscitur conversionem fieri non

[1] Sententia enim adversa multis non videtur satis recedere ab hæresi Pelagii, qui et ipse tandem admisit gratiam internam actualem in intellectu, habentem necessario quemdam influxum in voluntatem, propter naturalem utriusque potentiæ connexionem; quam tamen non esse sufficientem ad salvandam Ecclesiæ doctrinam, affirmat **S. Augustinus**, *de Gratiâ et lib. arbitrio*, n. 33, *P. L.*, XLIV, 901.

[2] *Ps.* L, 3, 9, 12. — [3] *Rom.*, V, 15; VI, 17; *Ephes.*, II, 3, etc.

[4] *II Cor.*, III, 5; cf. *Philip.*, II, 13; *Rom.*, VIII, 27, etc.

[5] *Ephes.*, II, 8-10.

posse sine gratiâ, ut ait *S. Augustinus* [1] : "Nec oraret Ecclesia... nisi crederet Dominum sic in potestate habere cor nostrum ut bonum quod non tenemus nisi propriâ voluntate, non tamen teneamus nisi ipse in nobis operetur et velle"; 2) *directe*, præsertim quoad fidem.

b) Quinto sæculo, *Pelagiani*, qui primum gratiæ actualis necessitatem negabant, postea gratiam externam admiserunt, imo et gratiam internam illuminationis, sed tanquam *utilem* tantum. Quos strenue confutavit *S. Augustinus*, diserte Scripturâ et Traditione probans gratiam vere internam necessariam esse ad fidem et ad omne opus bonum (supernaturale), et neminem justificari aut salvari posse sine gratiâ præveniente et cooperante, et quidem omnino gratuitâ : "Operamur et nos, sed illo operante cooperamur, quia misericordia ejus nos prævenit. Prævenit autem ut sanemur, quia et subsequetur ut etiam sanati vegetemur [2]... Ut autem de cælo vocaretur (Paulus), et tam magnâ et efficacissimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat sola; quia merita ejus erant magna, sed mala [3]". — Quam doctrinam confirmavit *C. Carthaginense* (an. 418) a Zozymo approbatum, can. 4 et 5, ubi declaratur gratiam nobis conferri non tantum "ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus", sed etiam "ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus"; nec tantum ut "facilius possimus per gratiam implere quod facere jubemur, sed etiam ut simpliciter id facere valeamus [4]".

859. C) *Rat. theol.* Cùm justificatio sit supernaturalis, actus præparatorii ad justificationem debent esse vere supernaturales; sed non possunt esse vere supernaturales quin eliciantur *sub influxu gratiæ* vere et entitative supernaturalis.

860. **Thesis II^a** : *Gratia actualis vere supernaturalis requiritur ad ipsum fidei initium, et ad cujuslibet operis supernaturalis desiderium.*

---

[1] *De dono perseverantiæ*, c. XXIII, n. 63, *P. L.*, XLV, 1031.
[2] *De naturâ et gratiâ*, XXXI, 35, JOURNEL, n. 1793.
[3] *De gratiâ et libero arbitrio*, V, 12, JOURNEL, n. 1936.
[4] DENZ.-BANN., 104 105 (68 69).

A) *De fide est* contra *Semi-pelagianos* qui, post damnatos errores Pelagii, contendebant gratiam internam non requiri ad initium fidei; a S. Augustino et S. Prospero impugnati, damnati sunt a *C. Arausicano II*[1] : "Si quis... initium fidei ipsumque credulitatis affectum... non per gratiæ donum..., sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius comprobatur"; quæ definitio respicit voluntatem aliquatenus efficacem credendi.

B) Probatur *Scripturâ* universaliter affirmante nos nihil habere ex quo gloriari possimus : "Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, cur gloriaris, quasi non acceperis?[2]"; atqui, si fidei initium seu voluntas efficax credendi vel desiderium supernaturalis boni esset a nobis, haberemus aliquid unde gloriari possemus.

C) *Rat. theol.* Ad omne opus supernaturale requiritur gratia supernaturalis; sed initium fidei aut operis cujuslibet supernaturalis est aliquid supernaturale. Imo ex nobis sumus in magis remotâ potentiâ ad initium quàm ad incrementum cujuscumque actûs, sive naturalis, sive supernaturalis.

861. **Corollaria de gratuitate gratiæ.** Ex dictis de necessitate gratiæ ante justificationem inferri potest *primam gratiam esse omnino gratuitam.*

1° *De fide est primam gratiam ita gratuitam esse ut nulla opera naturalia eam mereri possint de condigno; certum est opera naturalia gratiam mereri non posse de congruo.*

A) Prius definitum fuit contra Pelagianos et Semipelagianos in variis Conciliis, præsertim *Arausicano II*, ubi dicitur : "Si quis per invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ prophetæ vel Apostolo idem dicenti : inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant"; et paulo infra : "Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed *gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant*[3]". His verbis præcipue ultimis, definitur gratiam primam *non deberi*, et exinde non esse objectum *meriti proprie dicti* seu de condigno.

---

[1] DENZ., 178 (148). — [2] *I Cor.*, IV, 7. — [3] DENZ., 176, 191 (146, 161).

B) Quòd autem nec possimus eam mereri improprie, seu de congruo, infertur ex verbis Conciliorum et etiam Scripturæ, quæ tam generalia sunt ut omne prorsùs meritum excludant.

Ita : a) totus est Apostolus (*Ep. ad Roman.*) in demonstrandâ gratiæ gratuitate, cùm probet nec Judæos, legem mosaicam servando, nec Gentiles, naturæ legem sequendo, primam gratiam, vocationem scilicet ad fidem, meruisse.

b) Unde et *S. Augustinus* dicit : " Ipsum gratiæ nomen et ejus nominis intellectus aufertur, si non gratis datur, sed eam qui dignus est accipit[1] ".

c) Quod *ratione theologicâ* confirmatur. Nam inter opera et præmium proportio esse debet ut *jus* habeatur ad mercedem; sed inter opera naturalia et gratiam primam quæ est supernaturalis, nulla adest proportio.

862. 2° *Communis doctrina est primam gratiam actualem non impetrari per preces mere humanas, neque obtineri positivâ dispositione naturali.*

Hic non agitur de merito, sed de *dispositione* quæ reddat subjectum magis idoneum ad gratiam recipiendam. Jamvero omnes concedunt hominem posse propriis viribus se ad primam gratiam *negative* disponere, obices quosdam removendo, ut peccata quædam et duritiam cordis. Sed *communiter* tenetur eum non posse ad eam sese disponere *positive* seu *reali* aptitudine; nec, in præsenti rerum ordine, posse proprie loquendo movere Deum supplicatione naturali ad infundendam primam gratiam.

Etenim : A) *Script.* constat : a) nos orare non valere sicut oportet, i. e., in ordine ad salutem, quin gratiâ Spiritûs S. præveniamur : " Quid oremus, *sicut oportet*, nescimus, sed Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus[2] "; ergo *prima* gratia precibus nostris obtineri nequit; b) *initium* operis boni esse a Deo : " Qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet[3] "; porro si natura positive disponeretur propriis viribus ad primam gratiam, initium boni operis non a Deo esset, sed a nobis.

B) *Tradit.* a) Quoad *orationem*, res propriis terminis declarari videtur a Concil. *Arausicano II* (cf. supra n. 801).

[1] *De gestis Pelag.*, n. 33; JOURNEL, 1851.
[2] *Rom.*, VIII, 26. — [3] *Philip.*, I, 6.

b) Insuper Patres et Concilia sat communiter tradunt hominem nihil de suo habere nisi mendacium et peccatum; unde satis evincitur quidquid fit ab eo in ordine ad salutem, a gratiâ venire[1].

C) *Ratione.* Inter præparationem et id ad quod ordinatur præparatio, quædam intercedere debet proportio. Porro, teste S. Thomâ, " donum gratiæ excedit omnem præparationem *virtutis humanæ*[2] ".

863. Attamen, posito quod Deus nos ad finem supernaturalem destinaverit, *sibi* ipsi debet ut gratias nobis largiatur; quod ex misericordiâ simul et sapientiâ præstat : qui enim vult finem, eo ipso vult media ad finem necessaria. Dummodo autem unicuique dederit quod necessarium est ut finem suum attingere valeat, nemini injuriam facit plus dando uni quam alteri.

2° Gratiæ actualis necessitas ad opera quæ justificationem sequuntur.

Quæstio expendi potest quoad *actus salutares in genere*, quoad *perseverantiam* præsertim *finalem*, et quoad *venialium peccatorum vitationem*.

864. Thesis I[a] : *Justus, etiam habitibus supernaturalibus instructus, gratiâ actuali, etiam præveniente, indiget ad actus salutares faciendos.*

Ita communiter contra paucos theologos, præsertim *Molinam*[3] et *Bellarminum*[4], qui docent justum, virtutibus supernaturalibus instructum, non indigere gratiâ actuali excitante ad faciendos actus his virtutibus respondentes. — Probatur :

A) *Script.* Christus enim alloquens discipulos, gratiâ et virtutibus ornatos, declarat eos nihil sine gratiâ facere posse, eodem fere modo ac palmites fructum ferre nequeunt nisi viti uniantur et ab eâ succum vitalem accipiant[5]. Pariter S. Paulus asserit nullum, nec proinde justum, idoneum esse ad bonam cogitationem sine gratiâ habendam, cùm Deus ipse operetur in nobis velle et perficere[6].

---

[1] Denz., 195 (165); Journel, n. 314 Indic. theol.
[2] *S. Theol.*, 1ª 2æ, q. 112, a. 3. — [3] *Concord.*, q. 14, a. 13, disp. 8.
[4] *De grat. et lib. arbit.*, lib. 6, cap. 15.
[5] *Joan.*, XV, 1-5. — [6] *II Cor.*, III, 5; *Philip.*, II, 13.

B) *Tradit.* Rem *S. Augustinus* illustrat comparatione[1] : " Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, sic et homo etiam perfectissime justificatus, nisi æternâ luce justitiæ adjuvetur, recte non potest vivere ". — Quod sane magis consentaneum est *C. Arausicano II* (can. 9) : " Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur[2] ".

C) *Ratione*, ex analogiâ cum ordine naturali : sicut enim, præter essentiam et facultates, requiritur concursus divinus ad omnes actiones naturales peragendas, ita, in ordine supernaturali, præter gratiam habitualem et virtutes (quæ sunt veluti facultates supernaturales), requiritur concursus supernaturalis seu gratia actualis : nulla enim res creata transit de potentiâ in actum nisi virtute motionis divinæ.

Theologi qui contrarium tenent forsan intelligi possunt eo sensu quod justi non egent *novâ* gratiâ, quatenus nempe gratia habitualis in eis infusa sponte erumpit in actum.

865. **Thesis IIª** : *Justus non potest diu perseverare in statu gratiæ, præsertim usque in finem, sine gratiâ actuali speciali.*

De fide est saltem quoad perseverantiam finalem. Legitur enim in *C. Arausicano II* (can. 10) : " Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum,... ut in bono possint opere perdurare[3] "; et in *Tridentino* : " Si quis dixerit justificatum vel sine *speciali auxilio* Dei in acceptâ justitiâ perseverare posse vel cum eo non posse, A. S.[4] " " Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absolutâ et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, A S.[5] " Ex quibus simul collatis constat *auxilium speciale* requiri saltem ad perseverantiam diuturnam cum morte conjunctam.

Hoc autem *speciale auxilium* consistit : 1) in *protectione Dei externâ*, quâ removentur gravissimæ tentationes quibus Deus prævidet nos consensuros esse; 2) in *gratiis internis efficacibus*, quibus difficultates saluti obstantes superamus; 3) in *coincidentiâ mortis cum statu gratiæ*, quæ non fit nisi speciali providentiâ.

Probat. A) *Script.:* a) etiam justi orare debent ne tentationi succumbant, ideoque gratiâ indigent ad perseve-

[1] *De nat. et gratiâ*, cap. 26, *P. L.*, XLIV, 261.
[2] DENZ.-BANN., 182 (152). — [3] DENZ.-BANN., 183 (153).
[4] DENZ.-BANN., 832 (714). — [5] DENZ.-BANN., 826 (708).

randum : " Vigilate et orate ut non intretis in tentationem[1] "; b) perseverantia in bono tribuitur divinæ gratiæ : " Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam gloriam suam in Christo Jesu, modicum passos *ipse* perficiet, confirmabit, solidabitque[2] "; quod præcipue intelligendum est de perseverantiâ finali.

B) *Tradit.* a) Contra Semi-pelagianos, qui docebant justum perseverare posse sine novâ gratiâ, *S. Augustinus* integrum scripsit librum *De dono perseverantiæ*, ubi exponit perseverantiam, præsertim finalem, esse magnum Dei donum. b) Quod confirmavit *S. Cœlestinus Papa :* " Neminem etiam baptismatis gratiâ renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias, et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per *quotidianum adjutorium Dei* perseverantiam bonæ conversationis acceperit[3] ".

C) *Ratione.* Perseverantia essentialiter sumpta est conjunctio mortis cum statu gratiæ; atqui ea conjunctio est speciale beneficium Dei, sive pro *parvulis* quibus speciali Providentiæ curâ contingit et gratiam accipere et mori antequam *malitia mutaverit intellectum* eorum; sive pro *adultis* qui indigent speciali Providentiâ vel ad moriendum postquam perseveraverunt brevi tempore in justitiâ acceptâ, vel, ad diù perseverandum, gratiis efficacibus multis ad quas nullum jus habent, et quas de condigno mereri non possunt (cf. n. 944).

Animadvertit *Tridentinum* perseverantiam aliunde haberi non posse nisi a Deo, sed hoc donum non denegari humiliter petentibus, ideoque in ejus auxilio spem reponere omnes debere : " Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet[4] ".

866. **Thesis III^a** : *Justus etiam perfectus moraliter non potest per totam vitam omnia peccata venialia vitare sine speciali privilegio gratiæ.*

De fide est ex Conc. *Trident.*[5] *:* " Si quis dixerit hominem semel justificatum... posse in totâ vitâ vitare omnia peccata, etiam venialia, nisi ex speciali Dei privilegio, A. S. ".

---

[1] *Matt.*, XXVI, 41. — [2] *I Pet.*, V, 10.
[3] *De gratiâ Dei Indiculus*. Denz.-Bann., 132 (90).
[4] Sess. VI, cap. 13, Denz.-Bann., 806 (689).
[5] Sess. VI, can. 23, Denz.-Bann., 833 (715).

Declaratur. Cum gratiis ordinariis, justus potest per breve tempus omnia venialia vitare; *per totam autem vitam*, venialia seorsim et singulatim sumpta, imo omnia peccata plene deliberata, non autem omnia prorsus venialia.

Prob. A) *Script.* Dicitur enim : " In multis offendimus omnes [1] : " quod intelligi nequit de peccatis gravibus, cùm certe dentur justi qui mortalia vitent.

B) *Rat. theol.:* " Non potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitûs sensualitatis, cujus singulos quidem motus ratio reprimere potest, et ex hoc habent rationem peccati et voluntarii, non autem omnes, quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit, et etiam quia ratio non semper potest esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos [2] ".

§ II. De necessitate gratiæ ad actus bonos ordinis naturalis.

Quoad ordinem *intellectualem*, jam dictum est (n. 47) genus humanum lapsum non posse moraliter sine auxilio gratuito, cognoscere expedite, certo et absque admixto errore omnes veritates naturales *collective* sumptas, ad vitam suam recte ordinandam necessarias. Aliunde certum est rationem demonstrare posse cum certitudine quasdam veritates, præsertim Dei existentiam, animæ spiritualitatem, hominis libertatem [3]. Inquirendum igitur superest de necessitate gratiæ in ordine *morali*, quid nempe homo *non possit*, quid autem *valeat* sine gratiâ.

867. **Thesis I^a** : *Homo lapsus moraliter non potest, sine auxilio gratiæ, diu servare totam legem naturalem et graves tentationes superare.*

Certum est contra : **a**) *Pelagianos* qui docebant hominem in statu præsenti posse propriis viribus totam legem servare; **b**) hodiernos *Unitarios* et *Rationalistas* qui tenent hominem posse, sine gratiâ, totam legem naturalem adimplere omnibusque tentationibus, etiam gravibus, resistere, dummodo recte instruatur.

868. Declaratur : **a**) per moralem impossibilitatem intelligitur summa difficultas quæ de facto nunquam vel fere nun-

---

[1] *Jacob.*, III, 2; cf. *Eccles.*, VII, 21; *I Joan.*, I, 8.
[2] S. THOMAS, 1^a 2æ, q. 109, a. 8.
[3] Cfr. DENZ.-BANN., 1650 (1506), 1622 (1488).

quam superatur, licet absolute superari possit; b) agitur de auxilio *saltem præternaturali* [1], a generali concursu distincto; c) tentationes sunt *graves*, quando vehementer sollicitant et propter ingentem affectûs propensionem ad objectum quod proponitur, et propter urgentia motiva ad bonum rationis deserendum et amplectendum malum illi contrarium [2]; d) victoria de tentatione potest esse : 1) vel *salutaris* et meritoria, quando fit ex motivo supernaturali, 2) *peccaminosa*, quando quis tentationi resistit consentiendo in aliam, v. g. si quis avaritiam superat ex vanâ gloriâ, 3) *naturaliter bona*, quando quis resistit propter motivum naturaliter honestum : hìc autem agitur de victoriâ *naturaliter bonâ*.

869. **Probatur : A)** *Script.* **a)** *S. Paulus*, in *Ep. ad Romanos*, luculenter demonstrat neque Gentiles neque Judæos legem naturalem servavisse [3], et quidem propter concupiscentiam quæ, per legis prohibitiones excitata, nos acrius tentat et allicit ad peccatum [4]; remedium autem quo tentationes cohibeamus et legem integram observemus esse gratiam Jesu Christi [5]. **b)** Quod et asseritur a *S. Jacobo* quoad peccata linguæ [6], a *Sapientiâ* [7] quoad sapientiam seu virtutem complexive sumptam, et in omnibus Scripturæ locis ubi oratio ut necessaria commendatur ad tentationes superandas : " Vigilate et orate ut non intretis in tentationem [8] ".

B) *Tradit.* *S. Augustinus* in libro *De Spiritu et litterâ*, vestigiis Pauli inhærens, demonstrat legem sive mosaicam sive naturalem, sine gratiâ, parum prodesse ad recte vivendum; et in libris *De naturâ et gratiâ* et *De correptione et gratiâ* probat hominem lapsum non posse propriis viribus omnes tentationes superare. — Eadem doctrina statuitur in canonibus Concilii plenarii *Carthaginensis* (418) [9], et in Epistolâ *Cœlestini I* ad Episcopos Galliæ [10] : ibi

---

[1] Nonnulli theologi requirunt auxilium *quoad substantiam supernaturale*, imò statum gratiæ habitualis, tum propter destinationem hominis ad finem supernaturalem, tum propter illius fragilitatem : cùm enim homo non habet cor suum firmatum in Deo per gratiam habitualem, multæ tentationes graves ei occurrunt, quibus aliquando consentiet. Cfr. S. THOMAS, 1ª 2æ, q. 109, a. 8.

[2] Quidam theologi asserunt hominem lapsum non posse, sine gratiâ, *ullam tentationem gravem* vincere; sed, vel loquuntur de tentatione quæ tam diuturna est ut pluribus æquivaleat, vel suam opinionem ex fontibus Revelationis probare nequeunt, ut animadvertit PESCH, nn. 157, 164.

[3] *Rom.*, I, 20-32; II, 1-29. — [4] *Ibid.*, VII, 5-23. — [5] Ibid., 24.

[6] *Jacob.*, III, 8. — [7] *Sap.*, VIII, 21. — [8] *Matth.*, XXVI, 41.

[9] DENZ., 103, 105 (67, 69). — [10] DENZ., 132 (90).

enim declaratur gratiam dari non solum ut peccata commissa remittantur, sed etiam ut nova non committantur, nec solum ut facilius legem impleamus, sed ut eam simpliciter impleamus, nosque quotidiano egere auxilio ad tentationes superandas.

C) *Ratione suadetur.* a) Natura enim infirma et per peccatum originale deordinata non est *ex se* in potentiâ morali ad totum bonum sibi connaturale exsequendum seu ad totam legem naturalem servandam. b) Homo lapsus nec per gratiam reparatus, non habet cor suum firme ordinatum ad Deum finem ultimum, sed misere ad bonum commutabile conversum; et exinde, quamvis, ex *promptâ* et *perseveranti* consideratione rationis, possit recte agere præter ordinem finis mali præconcepti, quia tamen hæc prompta et perseverans consideratio valde difficilis est, non potest contingere ut diu legem servet, præcipue in difficilioribus et repentinis.

870. Thesis II[a] : *Homo lapsus potest, sine gratiâ supernaturali, cum solo Dei concursu naturali, aliquod opus moraliter bonum perficere.*

Dirigitur thesis : a) contra plerosque Protestantes, tum *Lutheranos* tum *Calvinistas*, qui contendunt per originale peccatum naturam ita fuisse vitiatam ut homo non renatus seu nondum justificatus, nullum opus moraliter bonum perficere valeat; b) contra *Jansenistas* juxta quos nullum opus moraliter bonum perfici potest sine gratiâ fidei; c) contra quosdam theologos[1] qui docuerunt nullum opus bonum in statu præsenti perfici posse *absque gratiâ actuali*, quam diversimode intelligunt (Augustinenses, Vasquez, Contenson.)

871. Jamvero : a) *de fide* est hominem lapsum posse ante justificationem adeptam, aliqua opera moraliter bona facere, seu aliis verbis, non omnia peccatorum opera esse peccata, ut constat ex hâc definitione *Trid.*[2] : "Si quis dixerit opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quâcumque ratione facta sint, vere esse peccata, A. S."; b) *certum est* hominem lapsum posse, sine gratiâ fidei,

---

[1] Ab his theologis distingui debent alii qui contendunt omnem cogitationem bonam et omnem conatum ad bonum sub influxu gratiæ produci, quia ad vitam æternam conducunt; sed simul admittunt hominem lapsum *per se* capacem esse alicujus boni naturalis.

[2] Sess. VI, can. 7, DENZ.-BANN., 817 (699).

aliquod opus moraliter bonum facere, ut colligitur ex damnatione hujus *Baii* propositionis [1] : "Omnia opera infidelium sunt peccata..."; c) *communis est sententia* hominem lapsum posse, cum solo Dei concursu naturali, aliquod opus moraliter bonum peragere, absque quocumque auxilio indebito.

872. *Probatur :* A) *Script.* Deus enim non solum *peccatores* hortatur ad aliqua opera facienda : "Fili, peccasti? Non adjicias iterum, sed et de pristinis deprecare, ut et tibi dimittantur [2] "; — sed etiam *infideles :* ita Deus excitat Nabuchodonosor ad redimenda peccata sua eleemosynis [3]; ita S. Paulus manifeste supponit [4] Gentiles aliquot opera legis naturalis ac proinde aliquid boni perficere posse. Aliunde nullibi in Scripturâ asseritur peccatores et infideles supernaturali auxilio semper adjuvari, imo statuitur expresse eos *naturaliter* [5], id est ex naturali dictamine rationis, ea quæ legis sunt facere.

873. B) *Rat. theol.* Siquidem natura humana per Adami peccatum non fuit penitus corrupta nec intrinsece in suis naturalibus minuta, nec ejus liberum arbitrium fuit extinctum, sed tantum viribus attenuatum et inclinatum [6] : unde potest : a) peragere opera *objective* et materialiter bona, ea scilicet quæ sunt faciliora, ut eleemosynam, amorem erga parentes; b) insuper *finem* honestum naturalem sibi præstituere, v. g., dum facit eleemosynam, sublevationem pauperis intendere potest; qui autem idola colit, non necessario perficit omnia opera sua ad falsis numinibus obsequendum; et peccator peccato non remisso impeditur tantum ne ejus actus sint meritorii de condigno; c) præterea difficilius non est opus honestum facere quoad circumstantias quam quoad ipsam substantiam actûs.

874. **Corollaria.** A) *Certum est* hominem lapsum sine gratiâ, moraliter non posse amare Deum amore naturali *effectivo super omnia*, saltem ad longum tempus :

---

[1] Denz.-Bann., 905; cf. 915, 918, 920.
[2] *Eccli.*, XXI, 1. — [3] *Daniel*, IV, 24. — [4] *Rom.*, II, 14.
[5] *Rom.*, loc. cit.; cf. Denz.-Bann., 902.
[6] *Concil. Trid.*, Sess. VI, cap. 1, can. 5, Denz.-Bann., 793 (675), 815 (697).

hujusmodi enim amor importat observationem diuturnam totius legis naturalis. — Sed moraliter potest amare Deum amore naturali *affectivo imperfecto*, seu esse dispositus ad servanda saltem aliquot divina præcepta : natura enim humana non fuit totaliter corrupta per peccatum.

875. **B)** *Controvertitur* num homo possit moraliter, sine gratiâ, amare Deum amore naturali *affectivo perfecto*, ita ut sincere velit omnia mandata servare.

a) *Negative* respondent *Thomistæ* aliique, ut *Bellarminus* et *Suarez* : etenim : 1) amare Deum amore naturali affectivo perfecto est promptum sincere sese habere ad totam legem servandam absolute seu in omni eventu; sed difficile videtur eum esse in tali dispositione qui *moraliter* non potest servare totam legem; 2) natura corrupta non potest habere operationem præstantissimam quæ convenit naturæ integræ et sanæ.

b) *Affirmative* autem respondent *Molinistæ* : nam, etsi homo de facto non possit moraliter adimplere omnia præcepta, tamen potest, quando nulla gravis tentatio urget, sincere velle ea adimplere. Quæ ratio videtur minùs efficax et minùs probabilis [1].

Art. II. De dispensatione gratiæ actualis.

Cùm gratia actualis sit omnibus necessaria ad salutem, exsurgit quæstio num detur omnibus. Non agitur quidem de gratiâ efficaci, quæ suum sortitur effectum, sed de gratiâ vere sufficiente, saltem remote, quâ videlicet, si ei consentimus, pedetentim salutem operari valeamus. Quæstio expendi potest quoad *justos*, *peccatores*, sive communes sive obduratos, *infideles* et *parvulos sine baptismo decedentes*.

876. **Thesis Iª** : *Justis omnibus dantur, urgente tentatione vel præcepto, gratiæ saltem remote et relative sufficientes ad resistendum tentationibus, omniaque præcepta adimplenda.*

De fide est contra Lutherum, Calvinum et Jansenium qui docuerunt aliquando ipsos justos non posse adimplere mandata, præsertim de non concupiscendo, quia ipsis

[1] Cfr. tamen 2ª 2æ, q. 137, a. 4.

deest gratia sufficiens. Ait enim *Trid.*[1] : "Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato et sub gratiâ constituto, esse ad observandum impossibilia, A. S."

Prob. A) *S. Paulus* ad *omnes* Corinthios, et non ad prædestinatos tantum scribit : "Fidelis... Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere[2]"; sed supra vires tentarentur si, urgente præcepto vel instante tentatione, non haberent gratiam saltem relative (seu pro indole eorum et circumstantiis) sufficientem.

B) *S. Augustinus* scribit[3] : "Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet et facere quod possis et petere quod non possis." Quo textu S. Augustinus nobis testatur duplicem esse gratiam sufficientem : unam *proxime*, quâ prompti sumus ad salutariter agendum, alteram *remote*, quâ orare valemus ad obtinendam gratiam proxime sufficientem.

C) Deus omnium hominum salutem sincere non vellet, si justis præsertim non concederet, tempore opportuno, gratiam saltem remote sufficientem.

Extra tentationem et præcepti urgentiam, gratia plus minusve frequenter datur, secundum Dei voluntatem et dispositiones subjecti.

877. **Thesis II**[a] : *Omnibus peccatoribus communibus dantur gratiæ saltem remote sufficientes, ut possint pænitentiam agere.*

Certum est et fidei proximum. Siquidem Concil. *Lateran. IV* (caput *Firmiter*) ait[4] : "Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram pænitentiam potest semper reparari". Insuper Christus *expresse* ait : "Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent; non veni vocare justos, sed peccatores ad pænitentiam[5]". Aliunde, peccator tenetur sub gravi salutem sperare; sed hujusmodi obligatio supponit gratias sufficientes ei a Deo præparari.

---

[1] Sess. VI, can. 18; cf. cap. 11, DENZ.-BANN., 828 (709), 804 (686).
[2] *I Cor.*, X, 13; cf. *Matth.*, XI, 30.
[3] *De Nat. et grat.*, c. 43, JOURNEL, 1795.
[4] DENZ.-BANN., 430 (357).
[5] *Luc.*, V, 32; cf. parabolas ovis perditæ, prodigi, etc., *Luc.*, XV, 4, 11, etc.

878. **Thesis III**[a] : *Peccatores etiam obdurati*[1] *et excæcati*[2] *non privantur omni gratiâ sufficiente.*

Ita communis et vera sententia. Siquidem nullibi *Scriptura* excludit hujusmodi peccatores a gratiâ et spe salutis; imo de eis expresse legitur apud *Isaiam*[3] : " Expandi totâ die manus meas ad populum incredulum, qui graditur in viâ non bonâ post cogitationes suas, populum qui ad iracundiam provocat me ". Textus igitur, in quibus Deus exhibetur ut excæcans et indurans peccatores, significant ex contextu, **a**) Deum permittere homines excæcari et indurari per abusum aut contemptum gratiæ, **b**) vel ad summum abundantiora gratiæ auxilia juste subtrahi.

Peccatoribus confert Deus gratias tempore opportuno, ac præsertim : 1) occasione externæ prædicationis[4], 2) occasione bonæ actionis[5] aut tribulationis[6], 3) articulo mortis.

879. **Thesis IV**[a] : *Omnibus infidelibus adultis, sive positivis sive negativis, dantur aliquando gratiæ saltem remote sufficientes, ut possint ad fidem converti.*

a) *Certum est* contra *Jansenianos*, rigidosque *Lutheranos* et *Calvinistas* qui contendunt infidelibus nullam gratiam concedi. Etenim *Alexander VIII*[7] sequentem Arnaldi propositionem damnavit : " Pagani, Judæi, hæretici nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum ", cujus contradictoria est : " Pagani, etc. aliquem influxum (seu gratiam) accipiunt a Christo ". Confirmatur quoad infideles *negativos*, id est, in bonâ fide versantes : " Notum nobis vobisque est eos qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantiâ laborant, quique naturalem legem ejusque præcepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse *divinæ lucis et gratiæ operante virtute*, æternam consequi vitam[8] ".

b) *Scriptura* enim declarat omnes indiscriminatim homines vocari ad gratiam et salutem : " Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum,

---

[1] *Exod.*, IX, 12. — [2] *Joan.*, XII, 40. — [3] LXV, 2-3.
[4] *Act.*, XVI, 14. — [5] *Dan.*, IV, 24 — [6] *Luc.*, XV, 17.
[7] DENZ., 1295 (1162). — [8] PIUS IX, *Encycl.* 10 Aug. 1863.

sed etiam pro totius mundi[1] "; immò sunt textus qui specialiter infideles respiciunt : " Omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire[2] ".

c) Unde *S. Thomas* scribit : " Si aliquis in sylvis nutritus, ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni et fugâ mali, certissime est tenendum, quòd Deus ei vel per internam inspirationem revelaret necessaria, vel ad eum prædicatorem dirigeret[3] ". Fatendum est tamen gratias minus abundanter concedi infidelibus quam christianis, imprimis catholicis : gratiis enim internis exquisitioribus Deus cumulat gratiam externam quâ gaudent membra Ecclesiæ catholicæ[4].

880. *Corollarium.* Ex dictis via paratur interpretationi axiomatis theologici : *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* Scilicet : **a**) facienti quod in se est per *vires naturæ* Deus, non quidem ex justitiâ, neque ex positivâ dispositione, sed *ex gratuito beneplacito*, gratias actuales concedit quibus fides obtineri possit[5]. **b**) Facienti quod in se est sub *influxu gratiæ actualis*, Deus certo uberiores *gratias actuales* concedet, quæ *de congruo* merentur; **c**) cum quibus facienti quod in se est et *ultimam dispositionem* ad justificationem requisitam ponenti, Deus dat *gratiam justificantem* seu habitualem[6].

881. Thesis V^a : *Deus, quantum in se est, paravit etiam parvulis, qui in sinu materno moriuntur antequam baptizari possint, media ex se sufficientia ad salutem.* Ita communiter.

Christus enim mortuus est etiam pro parvulis; sed frustra pro eis mortuus esset, nisi eis paravisset media salutis.

Difficile est autem explicare *quomodo* hæc media præbeantur. **a**) Certum est Deum *remote* saltem omnium illorum parvulorum saluti providisse dum instituit remedium ad ori-

---

[1] *I Joan.*, II, 2; cf. *Sap.*, XI, 24; *Joan.*, I, 9. — [2] *I Tim.*, II, 4.

[3] *De Verit.*, q. 14, ad 11, ad 1.

[4] S. FRANCISC. SALES., *Traité de l'amour de Dieu*, liv. II, ch. VII.

[5] Molina rem alio modo exponit, quasi videlicet *pactum* initum fuisset inter Deum et Christum, ut facienti quod in se est viribus naturæ infallibiliter gratia conferretur; sed hæc expositio a multis rejicitur ut gratuitatem gratiæ non satis salvans.

[6] Quidam tamen theologi ita axioma declarant : 1) qui bene utitur gratiis actualibus novas accipit; 2) facienti quod in se est cum gratiâ actuali Deus non denegat gratiam habitualem. Cf. L. CAPÉRAN, *Le problème du salut des Infidèles, essai théologique*, p. 44.

ginale peccatum delendum. Hoc enim sacramentum *de se* institutum est omnibus, et si de facto quibusdam non applicetur, hoc provenit ex causis naturalibus, quarum Deus, utpote provisor universalis, vim et effectum per miraculum impedire non tenetur. b) Pauci, cum *Cajetano*, addiderunt infantes salvari posse, sine baptismo, parentum fide et precibus; sed hæc opinio tuta non est, et jussu *Pii V*, expuncta fuit ex operibus Cajetani Romæ editis.

ART. III. DE NATURÂ GRATIÆ ACTUALIS.

Jam supra exposuimus quid et quotuplex sit actualis gratia, n. 849 sq.; sed, ad penitius ejus naturam investigandam, manet ut declaremus ejus efficaciam, modum agendi in facultates nostras et ejus cum libero arbitrio concordiam.

Ut certa ab incertis secernamus, primum *Protestantium* et *Jansenistarum errores* de naturâ gratiæ efficacis et sufficientis *confutabimus;* postea præcipua *theologorum systemata exponemus* de essentiâ gratiæ actualis et ejus concordiâ cum libero arbitrio.

§ I. Protestantium et Jansenistarum errores confutantur.

882. Multi *Lutherani* et *Calvinistæ*, etiam hodierni, cùm admittant voluntatem nostram esse rem inanimem, trunco similem vel statuæ vitâ carenti, ita ut liberum arbitrium sit figmentum in rebus et *titulus sine re*, logice inferunt : **a**) hominem non esse liberum sub gratiâ efficaci, **b**) nullam esse gratiam vere et mere sufficientem. Quos errores, modo tamen diverso, docent *Jansenistæ*, dum contendunt hominem prædominante seu victrici delectatione, quæ est modo cælestis seu gratia, modo terrena seu concupiscentia, necessario moveri, et exinde gratiam sufficientem esse nocivam, cùm sit occasio peccandi. Duplex igitur erit propositio contra hunc duplicem errorem.

883. Thesis I^a^ : *Gratia efficax non est necessitans, sed homo remanet liber a necessitate etiam sub influxu gratiæ efficacis.*

De fide est ex *Trident.*[1] *:* "Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil *cooperari*

[1] Sess. VI, can. 4, DENZ., 814, (696).

assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse *dissentire*, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, A. S. "

884. *Prob.* A) *Script.* a) De se ipso dicit S. Paulus[1]: " Gratiâ autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus *laboravi*, non ego (solus) autem, sed gratia Dei *mecum* ". Hìc certo agitur de gratiâ efficaci, cùm vacua non fuerit; atqui sub influxu hujus gratiæ, Paulus *libere laboravit*, cùm ex contextu [2] constet laborem istum mercedem mereri: " Unusquisque... propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. " b) Dicitur de justo qui salvatur ac proinde gratiam efficacem obtinuit[3] : " Erit illi gloria æterna, qui *potuit transgredi* et non est trangressus, facere mala et non fecit ".

B) *Tradit.* a) Fatetur Calvinus[4] Patres ipsi contrarios esse. b) Revera *S. Augustinus*, quem adversarii perhibent ut libertatis negatorem, multoties affirmat hanc manere sub influxu gratiæ : " Ipsum velle credere Deus operatur in homine... consentire autem vocationi Dei vel ab eâ dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est[5] ". Præterea integrum scripsit tractatum *De gratiâ et libero arbitrio*, in quo demonstrat hominem liberum manere sub gratiâ, et posse vitare peccatum, si vult, ideoque vere mereri vitam æternam.

C) *Rat. theol.* a) Est sapientiæ divinæ ut entia gubernet et moveat secundum uniuscujusque naturam; naturæ autem hominis est libere agere; ergo a Deo per gratiam ita homo movetur ut libere agat[6]. b) Gratia naturam, nedum destruat, e contra perficit, nobisque conceditur ut supernaturale præmium mereri valeamus; atqui si gratia libertatem tolleret, naturalem hominis facultatem perimeret merendique potestatem auferret.

885. Thesis IIª : *Datur in præsenti statu gratia vere et relative sufficiens, quæ scilicet potentiam agendi actus*

---

[1] *I Cor.*, XV, 10. — [2] *I Cor.*, III, 8. — [3] *Eccli.*, XXXI, 10.
[4] *Instit.*, XIV, 10.
[5] *De spiritu et litterâ*, 60. — Si alibi inveniuntur dubiæ expressiones, ex clarioribus elucidari debent. Cf. Tixeront, *Hist. des dogmes*, II, 491-496.
[6] S. Thomas, 1ª p., q. 19, a. 8.

supernaturales vere confert, et ex nostrâ culpâ suo caret effectu.

De fide est; damnata est enim ut *hæretica* sequens Jansenii propositio : " Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia : deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant ". Ergo hominibus justis datur gratia sufficiens ad præcepta adimplenda, ita ut violatio horum præceptorum sit imputabilis. Item damnata est ut *hæretica* hæc propositio : " Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur[1] ". Ergo absolute (sive justis, sive peccatoribus) dantur gratiæ quæ redduntur inutiles culpâ hominum, et exinde de se vere sufficientes.

886. A) Hanc veritatem illustrat *Isaias*[2] comparatione vineæ, quæ, etsi a Domino sollicite plantata et exculta, loco uvarum, produxit labruscas. Nec minus cogentia sunt Christi verba[3] : " Jerusalem, Jerusalem,... quoties *volui* congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et *noluisti* ". Quibus verbis satis clare constat esse gratias quibus sincere Deus *vult* homines salvare (quoties *volui*), et exinde relate ad personas et circumstantias vere sufficientes, quæ tamen bono exitu carent, propter malam voluntatem hominum (et *noluisti*).

B) Ceterum, si Deus non daret iis qui salutem non consequuntur, gratias verè sufficientes, eorum salutem sincere non vellet.

§ II. Theologorum opiniones de essentiâ gratiæ actualis.

Hìc agitur de gratiâ actuali proprie dictâ, nempe de gratiâ *internâ* illuminationis et inspirationis.

887. 1° Omnes quidem fatentur gratiam actualem consistere non solum in auxilio *morali*, quo vocamur, allicimur et trahimur ad bonum supernaturale, sed etiam in auxilio *physico* quo capaces reddimur actus salutares eliciendi. Cùm enim *physice* impotentes simus actus proprie supernaturales propriis viribus eliciendi, hæc

---

[1] Denz., 1092, 1093 (966, 967). — [2] V, 1-7. — [3] *Matth.*, XXIII, 37.

impotentia vinci nequit nisi virium *physicarum* additione, quocumque modo id explicatur.

888. Sed controvertitur inter Thomistas et Molinistas utrum in homine carente omni habitu supernaturali infuso, hujusmodi auxilium directe agat in *facultates* nostras, ope entitatis transeuntis, an directe in *actus* nostros, extrinsece concurrendo simul cum facultatibus nostris ad productionem actûs salutaris.

A) Juxta *Molinistas*, gratia actualis est ipsa *actio nostra vitalis* directe elevata a Deo ut sit supernaturalis. Siquidem gratia vocatur *pulsatio*, *excitatio*, etc ; quando autem pulsatur vel excitatur intellectus aut voluntas, producitur in nobis quædam cognitio aut volitio, id est actio vitalis; ergo gratia actualis proprie consistit in hâc vitali actione, quin necesse sit recurrere ad entitatem quamdam transeuntem.

B) Juxta *Thomistas*, gratia actualis non est ipsa actio vitalis intellectûs aut voluntatis, sed quædam *entitas realis et supernaturalis*, *transeunter* a Deo immissa, quâ *intrinsece* facultates nostræ excitantur, moventur et simul elevantur ad agendum. Etenim gratia dicitur *pulsatio*, *excitatio*, *vocatio*, *tactus;* atqui pulsatio, excitatio, etc. non efficiuntur ab eo qui pulsatur vel excitatur, sed solum a pulsante vel excitante; ergo gratia non est actus vitalis, sed aliquid actum vitalem præcedens.

889. 2° Omnes theologi admittunt triplicem *differentiam inter gratiam operantem et cooperantem* : 1) prior existere potest sine posteriore, dum posterior nunquam sine priore datur; 2) prior non necessario trahit opus salutare et deliberatum, posterior autem importat cooperationem deliberatam voluntatis; 3) prior ex se est solum *sufficiens*, quia gratiæ excitanti voluntas resistere potest; posterior verò est *efficax*, quia non datur nisi ad adjuvandum consensum.

890. *Controvertitur* autem num gratia excitans ab adjuvante *entitative* distinguatur. 1) Negant *Molinistæ :* gratia *eadem entitative*, quatenus consensum nostrum antecedit, est operans seu excitans; quatenus vero efficit nobiscum consensum, est adjuvans seu cooperans; sicut actus indeliberati somniantium convertuntur in actus deliberatos, si libere post evigilationem retineantur. 2) Affirmant *Thomistæ*, quia motio divina necessario attemperari debet indoli motûs seu actûs : unde motio ad actum indeliberatum non est eadem entitative ac motio ad actum deliberatum.

Objiciunt verò *Molinistæ* in hâc explicatione resistentiam gratiæ excitanti esse *necessariam* sine gratiâ adjuvante thomisticâ, item *obtemperantiam* gratiæ excitanti esse necessariam cum gratiâ adjuvante thomisticâ, et exinde hominem *non esse liberum* in actu salutari. Quomodo respondeant *Thomistæ*, infra exponimus, n. 893.

§ III. Theologorum systemata de concordiâ libertatis cum gratiâ.

Quæstio est quomodo libertas nostra cum gratiæ efficacitate infallibiliter prævisâ conciliari possit.

Multa hâc de re prodiere systemata, quorum præcipua sunt *Molinismus* cui affinis est *Congruismus*, et *Thomismus* cui affinis est *Augustinianismus*.

1° Molinismus et Congruismus.

891. A) *Molinismus exponitur :* Gratia sufficiens non differt *intrinsece* a gratiâ efficaci, sed solum *extrinsece :* eadem enim gratia potest esse sufficiens vel efficax : est mere sufficiens, si voluntas humana ei resistit; erit autem efficax, si voluntas eidem consentiat. Attamen, quando Deus dat Petro gratiam Y quam prævidet fore efficacem, hæc est certe majus beneficium quam gratia Z quam prævidet mere sufficientem fore [1].

B) *Congruismus exponitur.* Gratia sufficiens ab efficaci differt in eo quod efficax seu congrua ita accommodatur hominis ingenio et circumstantiis loci et temporis, ut voluntas *certo* et tamen *libere* consentiat, — dùm sufficiens non tam perfecte accommodatur, ita ut voluntas de facto, sed libere, ei resistat. Ita Suarez, Bellarminus, Vasquez.

892. C) *Argumenta* pro utroque systemate :

a) In *Scripturâ* videmus : 1) Christum increpantem Judæos, eo quod non egerint pænitentiam sub influxu gratiæ quæ convertisset Tyrios [2]; 2) S. Paulum exhortantem Corin-

---

[1] Doctrinam de gratiâ efficaci communiter propugnatam a Societate Jesu sic contrahit Tepe, n. 188 : " Gratia efficax est : a) naturâ suâ repudiabilis; b) efficax efficaciâ virtutis ex se ipsâ; c) efficax efficaciâ connexionis secundario ex consensu; d) efficax efficaciâ infallibilitatis ex scientiâ mediâ; e) non semper entitative melior quam sufficiens; f) semper tamen moraliter melior quam sufficiens ".

[2] *Matth.*, XI, 21.

thios ne *in vacuum gratiam recipiant*[1] : quod supponit eamdem gratiam posse esse vacuam seu mere sufficientem vel efficacem. **b**) *Trident.* declarat voluntatem nostram posse dissentire, si velit, etiam sub influxu gratiæ efficacis[2]. **c**) *Rat. theol.* : Siquidem systema molinisticum : 1) salvat humanam *libertatem* quam non impedit prævisio divina consensûs, impediret vero motio divina ad consensum; 2) salvat *efficacitatem* gratiæ, quia gratia a Deo misericorditer data præcise quia prævidetur hominem tali auxilio consensurum esse, est sufficienter *de se* et *in actu primo* efficax.

2° THOMISMUS ET AUGUSTINIANISMUS.

893. **A**) *Thomismus exponitur.* **a**) Gratia sufficiens *intrinsece* differt a gratiâ efficaci : prior dat solum potentiam proximam agendi; posterior movet et applicat potentiam ad actum; seu brevius : prior dat *posse*, posterior dat *agere*. **b**) Unde, ut de facto bonum agamus, præter gratiam sufficientem, requiritur gratia efficax, quæ omnibus offertur, et illis datur qui non interponunt impedimentum. **c**) Gratia efficax vocatur etiam *præmotio physica*, quia : 1) ordine logico actionem nostram prævenit, 2) et eâ nos Deus movet non moraliter tantum suasione, sed physice reali actione. **d**) Præmotio physica non destruit eligendi facultatem seu libertatem, quia libertati contemperatur, imo et essentialiter postulatur a libertate creatâ ut in suam operationem debito modo exeat. Ita *Dominicani* fere omnes, *Salmanticenses*, non pauci *Scotistæ*, et alii.

B) *Augustinianorum systema.* Augustiniani thomismum emolliunt, *præmotionem moralem* præmotioni physicæ substituendo. Juxta illos, gratia est *sufficiens*, quando nobis conceditur gradus delectationis cælestis quo concupiscentiam vincere possumus; gratia est *efficax*, quando delectatio cælestis tanta est ut certo et infallibiliter, *non tamen necessario*, concupiscentia, vincatur. Distinguuntur ergo Augustiniani a Jansenistis qui dicunt hanc delectationem esse necessitantem.

894. **C**) *Argumenta* pro utroque systemate :

a) Juxta *Scripturam* : 1) homo nihil habet ex quo gloriari possit : " Quid autem habes quod non accepisti?[3] " atqui si

---

[1] *II Cor.*, VI, 1. — [2] Sess. VI, can. 4, DENZ.-BANN., 814 (696).
[3] *I Cor.*, IV, 7.

gratiæ efficacitas ex consensu oriretur, homo aliquid haberet ex quo gloriari posset. 2) " Deus operatur in nobis *velle* et perficere[1] ". **b**) Juxta *S. Augustinum*[2], " certum est nos velle cum volumus, sed ille (Deus) facit ut velimus bonum... ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati ". **c**) Præterea, actio sequitur esse; sed est de essentiâ cujuslibet *entis* creati ut procedat et quidem immediate et ex integro a divinâ causalitate; ergo est de essentiâ omnis *actionis* creatæ, sive naturalis sive supernaturalis, sive necessariæ sive liberæ, quod procedat a Deo immediate et ex integro[3]. Quomodo autem actio nostra possit simul ex nobis libere procedere et ex *motione*, seu rectiùs, præmotione divinâ, hoc fugit intellectûs nostri imbecillitatem; sed difficultas explicandi *naturam* alicujus rei non est ratio rejiciendi hujus rei *existentiam* aliunde probatam.

895. **Conclusio.** In praxi, non licet sententiam Jesuitarum condemnare ut pelagianam, nec Thomistarum opinionem ut jansenianam. Siquidem, ut ait *Paulus V* imponens finem Congregationibus *de Auxiliis :* " Jesuitæ discrepant a Pelagianis qui initium salutis posuerunt fieri a nobis, illi vero tenent omnino contrarium... Sententia Patrum Prædicatorum plurimum differt a Calvino; dicunt enim Prædicatores gratiam non destruere, sed perficere liberum arbitrium, et eam vim habere ut homo operetur juxta modum suum, i. e. libere ". — Igitur, in re tam difficili, quisque libere sententiam amplectatur quam dogmati catholice magis consentaneam putat, quin tamen oppositam theologicâ censurâ inurat.

CAPUT II.

De gratiâ habituali seu justificante.

896. Gratia actualis ordinatur ad gratiam *habitualem*, quæ vocatur etiam *sanctificans*, quatenus nos sanctos efficit, et *justificans*, præcipue quando primum infunditur,

---

[1] *Philip.*, II, 13. — [2] *De grat. et lib. arb.*, XVI, 32.

[3] Brevius : *esse* est objectum proprium et specificum *Primi Esse :* ergo omne esse (sive essentiæ, sive existentiæ, sive operationis) a Deo procedit; ergo et esse consensûs nostri liberi; ergo consensus noster non reddit de facto gratiam efficacem, sed efficacia gratiæ consensum nostrum nobiscum causat.

quia nos ex injustis justos facit. Justificatio enim *active* sumpta est *operatio Dei quâ hominem justum declarat et facit;* justificatio *passive* sumpta, est *translatio a statu peccati mortalis in statum justitiæ seu gratiæ;* duplex igitur elementum complectitur, unum negativum, scilicet mortalium peccatorum remissionem, alterum positivum, scilicet gratiæ habitualis infusionem.

Tria declarabimus : 1° *naturam justificationis* seu gratiæ justificantis; 2° ejus *adeptionem*, exponendo quænam sint *dispositiones* ad justificationem ejusque *proprietates;* 3° ejus *essentiam*, qualis a *theologis expolita fuit.*

ART. I. DE NATURÂ JUSTIFICATIONIS SEU DE EXISTENTIÂ GRATIÆ HABITUALIS IN JUSTIS.

897. Protestantes contendunt justificationem consistere in solâ imputatione justitiæ Christi, quâ peccata non tolluntur sed raduntur tantum aut teguntur propter merita Christi nobis imputata; non autem in spirituali renovatione per gratiam animæ inhærentem. Contra quos veram naturam justificationis declarabimus, 1° ostendendo gratiam vere infundi, vi cujus omnia peccata delentur animaque sanctificatur, 2° effectus hujus gratiæ describendo.

898. Thesis I^a : *Justificatio non consistit in extrinsecâ imputatione meritorum Christi, sed in infusione gratiæ sanctificantis intrinsece et permanenter animæ inhærentis quâ peccata vere delentur.* De fide est ex *Trident.* : " Si quis dixerit homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ *gratiâ* et caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur atque *illis inhæreat*, aut etiam gratiam, quâ justificamur, esse tantum favorem Dei, A. S. [1] ". " Si quis per Jesu Christi gratiam... asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, A. S. [2] ".

899. Declaratur. Concilium declarat duo : **a)** nos justificari proprie per gratiam, non transitoriam quidem, sed *inhæren-*

[1] Sess. VI, can. 11, DENZ.-BANN., 821 (703).
[2] Sess. V, can. 5, DENZ.-BANN., 792 (674).

tem animæ, ideoque *ex se* permanentem, quæ diffunditur per Spiritum Sanctum nosque vere justos et Deo acceptos reddit, **b**) per hujusmodi gratiam omnino tolli quidquid rationem peccati habet, proindeque maculam et reatum peccati.

900. **Probatur : A)** *Script.*[1] **a)** Quoad *gratiam :* 1) jam in *Synopticis* hæc doctrina implicite continetur, ubi dicitur Deum esse patrem nostrum et in animâ justi habitare : " Regnum Dei intra vos est[2] "; hìc enim agitur de intimâ et amicali habitatione Dei in animâ, vi cujus Deus tanquam patrem se habet erga nos, quæ supponit habitualem relationem supernaturalis ordinis inter Deum et justum. 2) Sed res magis explicite declaratur a *S. Paulo* in multis locis, v. g.: " Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis[3] "; " Salvos nos fecit per lavacrum *regenerationis*, et *renovationis* Spiritûs sancti, quem *effudit* in nos[4] "...: quibus verbis nihil expressius dici potest ad significandum justitiam quâ justi constituimur esse nobis intrinsecam et realem. Siquidem effusione *aliquid* effunditur, renovatione *novitas* tribuitur, regeneratione nova *vita* communicatur. Hæc autem vita est ordinis divini, cùm vocetur *ipsius Sancti Spiritûs effusio*, et eâ efficiamur *filii Dei adoptivi et hæredes vitæ æternæ.*

901. **b)** Quoad *remissionem peccatorum*, lucide asseritur 1) peccata vere *deleri* per justificationem : " Pænitemini igitur et convertimini ut deleantur peccata vestra[5] "; 2) peccata *remitti* aut *tolli :* " Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua[6] "; " Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi[7] "; 3) peccatores per justificationem *lavari*, *mundari*, *dealbari*[8].

---

[1] Cf. E. TOBAC, voce *Grâce*, in *Dict. Apol.* (*A. d'Alès*), t. II, 324-344.
[2] *Luc.*, XVII, 21. — [3] *Rom.*, V, 5.
[4] *Tit.*, III, 5-7; cf. *Rom.*, V, 19; *Ephes.*, IV, 23.
[5] *Act.*, III, 19; cf. *Ps.* L, 11; *Isai.*, XLIII, 25; XLIV, 22; *Dan.* IX, 2.
[6] *Matth.*, IX, 2. — [7] *Joan.*, I, 29.
[8] *Isai.*, I, 16-18; *Ps.* L, 9; *Apoc.*, I, 5; *I Joan.*, I, 7. Dicit igitur merito BELLARMINUS, *De justificatione*, l. I, c. 6, n. 6. " Scriptura siquidem utitur omni genere vocabulorum, quæ excogitari poterant ad veram peccati remissionem significandam, ut si quis de industriâ quærat vocabula quibus perspicue declaret peccatum vere tolli et aboleri, non posse aliquod reperire quod ipsa Scriptura divina non occupaverit ".

902. B) *Tradit.* a) *Per tria priora sæcula*, Patres, dum baptismi effectus describunt, justificationis naturam haud obscure declarant, asserentes non solum peccata vere remitti [1], sed etiam christianos renovari in novitatem Christi, ita ut sint Christiferi et deiferi, iterum ab integro creari secundum imaginem et similitudinem Dei, filios Dei adoptivos effici, templum Dei, participes Spiritûs Sancti [2] : quæ quidem omnia jam substantialiter thesim nostram continent.

b) *A quarto ad undecimum sæc.*, jam magis explicite Patres, præsertim græci, gratiam præbent ut animæ instaurationem per divinam similitudinem animæ impressam, quâ divinæ efficimur consortes naturæ, ad dignitatem supra naturam evecti per regenerationem in Spiritu, participes Dei per Spiritum, Deo assimilati et deificati [3]; quæ quidem simul sumpta explicari nequeunt nisi admittatur quædam infusio supernaturalis habitûs animæ inhærentis.

903. c) *A sæc. duodecimo ad sextum decimum*, præeunte *S. Thomâ*, fit synthesis theologica : docet Angelicus Doctor remissionem peccatorum non fieri sine gratiâ animæ inhærente, quæ est habituale donum animæ infusum, a virtutibus distinctum, in essentiâ animæ sicut in subjecto residens. — Postea, contra Protestantes, *Bellarminus* explicite disserit de gratiâ habituali prout ab actuali distinctâ, et de justificatione internâ per infusionem alicujus supernaturalis habitûs permanentis. Quam notionem expoliunt sequioris ævi theologi.

904. C) Ratio *convenientiam* hujus doctrinæ ostendit. Inest enim homini intimum ac permanens desiderium Deum attingendi, Ei ex toto corde adhærendi, et in Eo perpetuo quiescendi : " Fecisti nos ad te, Deus, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te ". Atqui tale desiderium sane non impletur merâ fictione juridicâ quâ reputamur justi dum intrinsece remanemus peccato inquinati; sed optime, imo et supra omnem nostram cogitationem ac aspirationem naturalem [4], satiatur infusione divinæ gratiæ, quâ Deo ita intime conjungimur, ut ejus amici et filii vere nominemur et simus,

---

[1] Notentur hæc S. JUSTINI verba (*Dial. cum Tryphone*, 141) ubi jam confutatur Protestantium error : " Si peccatorum eum pæniteat, peccatorum a Deo accipit remissionem, sed non, sicut vosmetipsos decipitis et alii quidam in hoc vobis similes qui dicunt, etsi peccatores sint, modo Deum noverint, *non imputare illis Dominum peccatum* ". JOURNEL, 146.

[2] Patrum testimonia, quorum doctrinam contrahimus, invenies ap. JOURNEL, nn. 32, 36, 40, 146, 219, 251, 253, 407, 412, 449, 564.

[3] Cf. JOURNEL, nn. 1011, 1144, 1216, 1228, 1283, 1468, 2106, 2107, 2109, 2115, 2193, 2286.

[4] *I Cor.*, II, 9.

ac prorsus deleantur peccata quæ huic perfectæ unioni obstabant.

905. **Corollarium.** Eo ipso quod justificatione deleantur peccata quoad culpam, delentur et quoad pœnam æternam ipsis debitam : repugnat enim hominem esse simul Dei amicum et damnationi obnoxium. Sed remanere potest aliqua *temporalis* pœna exsolvenda.

906. **Thesis II**[a] : *Gratia justificans nos efficit Dei amicos, et filios adoptivos, necnon divinæ consortes naturæ.*

1° *Gratia sanctificans seu justificans nos reddit Deo gratos ejusque amicos.* Certum est.

Etenim qui habent gratiam sanctificantem non solùm gaudent benevolentiâ communi quâ Deus omnes suas creaturas prosequitur, sed etiam ejus *verâ amicitiâ.* Siquidem : **a**) diligunt Deum, nam gratia sanctificans nunquam separatur a caritate quâ diligimus Deum amore benevolentiæ; **b**) a Deo redamantur, cùm scriptum sit : " Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum [1] "; **c**) cum hâc mutuâ dilectione adest communicatio alicujus boni, naturæ scilicet divinæ omniumque donorum gratiæ quibus similes Deo efficimur, et cum eo intimâ ac stupendâ familiaritate conversantes : " Si quis diligit me,... Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus ". Unde ait Tridentinum : " Sic ergo justificati, et *amici* Dei ac *domestici* facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur [2] ".

907. 2° *Gratia justificans filios Dei adoptivos ejusque hæredes nos efficit.* Certum est : **A**) ex *Scripturâ* quæ de justis id aperte declarat : " Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut *filii Dei* nominemur et simus [3] "; " Non accepistis spiritum servitutis..., sed accepistis *spiritum adoptionis filiorum* [4] "; " si autem filii, et hæredes, *hæredes quidem Dei*, cohæredes autem Christi [5] ".

B) *Traditione :* Concil. *Trid.* asserit nos per justificationem transferri " in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei ", et effici " hæredes secundum spem vitæ æternæ [6] ".

---

[1] *Joan.*, XIV, 23.
[2] Sess. VI, cap. 10; cf. cap. 7, DENZ.-BANN., 803 (685), 800 (682).
[3] *I Joan.*, III, 1. — [4] *Rom.*, VIII, 15-16. — [5] *Rom.*, VIII, 17.
[6] Sess. VI. cap. 4 et 7, DENZ.-BANN., 796 (678), 799 (681).

C) *Rat. theol.* confirmatur et explicatur. Gratiâ habituali non tantum reputamur filii Dei sicut apud homines adoptatus adoptantis filius per juris fictionem censetur, sed insuper mirabili regeneratione [1] naturam ipsam divinam participamus, ac consequenter quasi ingenitum jus ad Dei hæreditatem consequimur.

908. 3° *Gratia justificans nos efficit divinæ naturæ consortes.* Certum est.

Hoc autem divinæ naturæ consortium est specialis et supernaturalis Deo *assimilatio*, longe transcendens naturalem similitudinem tùm *vestigii* [2] quæ omnibus creaturis inest, tùm *imaginis* quæ menti humanæ et angelo imprimitur. Etenim gratiæ assimilatione efficimur apti ad Deum immediate intuendum sine ullo medio creato : " Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est [3] "; et jam dicimur " divinæ consortes naturæ [4] ".

909. Hinc animæ quam gratia decorat, inest mirabilis pulchritudo : siquidem claritate et gloriâ divinâ refulget, quemadmodum purissimi crystalli globus lucet atque resplendet lumine solis; ordo perfectus vigere incipit inter facultates, dum inferiores potentiæ voluntati, ratio autem et voluntas Deo subduntur.

ART. II. DE ADEPTIONE GRATIÆ JUSTIFICANTIS.

910. Expositâ naturâ gratiæ justificantis, inquirimus : 1° quænam *dispositiones* requirantur ad eam consequendam; 2° quænam sint ejus *proprietates :* hæc duo sunt connexa, ut ex dicendis patebit.

I. *De dispositionibus ad justificationem.*

911. Ad justificationem consequendam, homo adultus sese præparare debet, varios actus eliciendo cum auxilio gratiæ, præcipue vero actus fidei, timoris, spei, caritatis, odii peccati, ut fusius exponitur in *Tr. de Pænitentiâ.* Hìc contra Protestantium errores duplex erit thesis :

---

[1] *I Joan.*, III, 9. — [2] S. THOMAS, 1a p., q. 93. — [3] *I Joan.*, III, 2.
[4] *II Petr.*, I, 4.

912. Thesis I[a] : *Sola fides adultos peccatores non justificat, sed aliæ dispositiones requiruntur, præsertim timor, spes, initium amoris et odium peccati.*

De fide est contra Protestantes docentes fidem esse *solam* conditionem ad justificationem requisitam, eo quod homo, spiritualiter per peccatum mortuus, nihil *agere* potest ad resurgendum. — *Trident.* rem ita definit[1] : " Si quis dixerit solâ fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nullâ ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, A. S. "

913. *Prob.* **A)** *Script.* **a)** Dicit *S. Jacobus*[2] *:* " Ex *operibus* justificatur homo, et *non ex fide tantum*... fides sine operibus mortua est ". Quæ verba tam clara sunt ut Lutherus, ad ea amovenda, epistolæ authenticitatem negaverit, et ad S. Paulum appellaverit. Sed frustra, nam Apostolus scribit[3] : " In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed *fides quæ per caritatem operatur* ". **b)** Aliunde Scriptura distinćte enumerat dispositiones requisitas ad justificationem : *fidem* scilicet, ut ex textibus mox allatis apparet; *timorem*[4], *spem*[5], *pœnitentiam*[6], *dilectionem*[7].

914. **B)** *Ratione :* **a)** Ex theoriâ Protestantium logice infertur non esse pænitendum, bona opera negligenda esse, concupiscentiæ habenas laxandas; has autem sequelas admisit Lutherus, respuunt vero plerique hodierni Protestantes, docentes veram fidem non esse sine caritate, pænitentiâ aliisque virtutibus, etsi proprie fidei justificatio tribuenda sit. **b)** Justificatio impii est quidam motus quo mens humana a Deo movetur a statu peccati in statum justitiæ. Sed Deus gubernat et movet omnia secundum modum uniuscujusque. Et ideo in eo qui habet usum liberi arbitrii non fit justificatio seu conversio ad Deum nisi motu liberi arbitrii. Prima autem conversio ad Deum est per *fidem;* sed motus fidei non est perfectus nisi per *timorem, spem, caritatem;* et, cùm ad eamdem virtu-

---

[1] Sess. VI, can. 9; cfr. cap. 6, ubi doctrina fusius exponitur. Cfr. Denz.-Bann., 819 (701), 798 (680).
[2] II, 24-26. — [3] *Galat.*, V, 6; cf. *I Cor.*, XIII, 2. — [4] *Eccli.*, I, 28.
[5] *Prov.*, XXVIII, 25. — [6] *Luc.*, XIII, 3; cf. *Act.*, III, 19.
[7] *I Joan.*, III, 14; cf. *Luc.*, VII, 47; *Galat.*, V, 6.

tem pertineat prosequi unum oppositorum et refugere aliud, ad caritatem pertinet et diligere Deum et *detestari* peccata per quæ anima separatur a Deo[1].

915. Thesis II[a] : *Fides ad justificationem requisita non est fiducia quâ quis credit peccata sibi esse condonata, sed supernaturalis assensus omnibus veritatibus a Deo revelatis.*

De fide est contra plerosque Protestantes, ex Concil. *Trid.*[2] : " Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, A. S ".

Equidem distinguunt Protestantes triplicem fidem : **a**) *fidem historicam*, quæ versatur circa facta in Scripturâ relata, ut divinæ sunt vindictæ et comminationes, etc.; **b**) *fidem miraculorum*, quâ opera omnipotentiæ divinæ naturæ vires superantia credimus; **c**) *fidem promissionum*, quæ iterum duplex est, *generalis* quâ creditur salutem omnibus in Christum credentibus fuisse promissam; *specialis*, quâ quis omnino et absolute confidit sibi, per imputatam Christi justitiam, peccata fuisse condonata. — Hæc autem ultima fidei species est, juxta ipsos, fides salvificans seu justificans.

916. Sed contra hanc theoriam : **A**) docet *Script.* fidem justificantem esse fidem veritatum a Deo revelatarum ; Christus enim Apostolis dixit[3] : " Euntes in mundum universum, prædicate *Evangelium* omni creaturæ; qui *crediderit*... salvus erit ".

B) Aliunde, nullibi revelatur in Scripturâ, et exinde non potest credi talis vel talis hominis peccata esse condonata.

II. *De proprietatibus gratiæ justificantis.*

917. Lutherani et Calvinistæ contendunt : **a**) hominem justificari fide quâ credit se esse justificatum, et exinde hâc fide cujus est conscius, certum esse de suâ justificatione; **b**) gratiam justificantem esse in omnibus æqualem nec posse crescere, cùm nihil aliud sit nisi justitia Christi nobis imputata. **c**) Addunt Calvinistæ

---

[1] Cf. S. THOMAS, 1ª 2æ, q. 113, art. 3-5.
[2] Sess. VI, can. 12, DENZ., 822 (704).
[3] *Marc.*, XVI, 15; cf. *Heb.*, XI, 6; *Joan.*, XX, 29, 31; *Rom.*, X, 9-10.

fidem et gratiam semel acceptas non posse amitti, quia Deus, juxta ipsos, solos electos regenerat. Contra quos errores statuimus *incertitudinem*, *inæqualitatem* et *amissibilitatem* justificationis.

918. Thesis I[a] : *Nemo potest, absque speciali revelatione, certus esse certitudine fidei vel scientiæ se esse justificatum; potest vero aliquis id scire certitudine morali late sumptâ.*

A) *Neminem posse esse certum certitudine fidei* certum est ex *Trident.* [1] in quo legimus : " Quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de suâ gratiâ formidare et timere potest; cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum ".

Probatur : a) *Script.* in quâ Sapiens quærit : " Quis potest dicere : Mundum est cor meum; purus sum a peccato[2]? " ac si diceret : nullus; quod confirmatur testimonio S. Pauli[3] : " Nihil... mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est ".

b) *Tradit.:* " Quantâlibet enim justitiâ sit præditus homo, cogitare debet ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum[4] ".

c) *Rat. :* 1) quoad *certitudinem fidei :* nullibi revelatum est hunc aut illum esse justificatum; 2) quoad *certitudinem scientiæ :* non absolute constat hunc aut illum hominem omnes conditiones adimplevisse ad justificationem requisitas; et aliunde nihil in nobis cum absolutâ certitudine experimur a gratiâ procedens aut cum eâ exclusive connexum.

919. B) Potest tamen conjici, et quidem aliquando cum *morali certitudine*, aliquem esse in gratiâ : a) ex testimonio conscientiæ[5]; b) ex amore erga Deum sincero qui exercetur orationibus fervidis, sollicitâ fugâ peccati, zelo animarum; c) contemptu mundi et praxi mortificationis[6]; d) solidâ devotione erga B. Virginem.

---

[1] Sess. VI, cap. 9; cf. can. 13, 14, 15. — [2] *Prov.*, XX, 9.
[3] *I Cor.*, IV, 4. — [4] S. AUGUSTINUS, *De perf. just.*, c. 15, n. 33.
[5] Cf. *Rom.*, VIII, 16. — [6] *Galat.*, V, 24.

920. Thesis IIa : *Gratia justificationis est inæqualis in diversis justis, et in eodem justo crescere potest.*

De fide est ex *Trident.*[1] : " Justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem... Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari atque etiam augeri... per bona opera, A. S. "

921. Probatur : **A**) *Script.* **a**) Juxta *S. Paulum*[2], " unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi " : quod satis indicat unicuique dari talem mensuram gratiæ et exinde diversis diversam. **b**) In *Apocalypsi* expresse declaratur justum in justitiâ crescere posse : " Qui justus est justificetur adhuc, et qui sanctus est sanctificetur adhuc[3] ".

B) *Ratione:* ex parte quidem *finis* gratia non potest esse major aut minor, cùm secundum sui rationem, et exinde semper, conjungat hominem summo bono, quod est Deus; sed ex parte *subjecti*, gratia suscipit magis et minus, cùm magis ac magis eam participare, eâ imbui et deificari homo possit. Cujus diversitatis *aliqua* ratio est præparatio animæ, *prima* vero ratio est sapientia Dei " qui diversimode suæ gratiæ dona dispensat ad hoc quod ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio Ecclesiæ consurgat, sicut etiam diversos gradus rerum instituit ut esset universum perfectum[4] ".

922. Thesis IIIa : *Gratia justificationis est amissibilis et de facto amittitur per quodlibet peccatum mortale.*

A) Gratiam *amitti* per peccatum mortale, **a**) constat *Script.* : " Justus non poterit vivere in justitiâ suâ in quâcumque die peccaverit[5] ". Unde monet Christus : " Vigilate et orate ut non intretis in tentationem[6] "; et Apostolus : " Qui se existimat stare, videat ne cadat[7] ". **b**) *Ratio* est : 1) quia gratia nos conjungit cum Deo et per seipsam et per caritatem quæ ab eâ resultat; peccatum vero mortale nos a Deo separat : unde gratia et peccatum, utpote opposita, sunt incompossibilia;

---

[1] Sess. VI, cap. 7, can. 24, DENZ.-BANN., 799 (681), 834 (716).
[2] *Ephes.*, IV, 7; cf. *Matth.*, XXV, 15-20.
[3] *Apoc.*, XXII, 11; cf. *Prov.*, IV, 18; *II Pet.*, III, 18.
[4] 1a 2æ, q. 112, a. 4. — [5] *Ezech.*, XXXIII, 12-13.
[6] *Matth.*, XXVI, 41. — [7] *I Cor.*, X, 12.

2) quia gratia et caritas dependent sane ex actione Dei infundentis, sed simul ex acceptatione animæ perseverante : unde, cùm anima per peccatum respuat gratiam et amicitiam Dei, eo ipso cessat Deus hanc influere, sicut lumen solis cessat in aere per hoc quod aliquod obstaculum interponitur [1].

923. B) Quod autem gratia *possit amitti*, venit ex eo quod regulariter, intra spatium probationis, non tam perfecte subdat animam ut liberum arbitrium sit immobiliter in bono fixum. Unde definivit *Trident.* [2] *:* " Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum, A. S. "

ART. III. THEOLOGICA EXPOLITIO DOCTRINÆ DE GRATIÆ ESSENTIÂ.

924. Scriptura et Concilia gratiæ intrinsecam naturam non definierunt; sed ex iis quæ circa ejus proprietates et effectus declarârunt, Patres et Theologi ejus essentiam inferre nisi sunt.

Animadvertunt imprimis gratiam duplici elemento constare, nempe *inhabitatione Spiritûs Sancti* seu totius Trinitatis in animâ (hæc est gratia *increata*), et *qualitate supernaturali* (gratiâ *creatâ*) quâ Spiritus animam adornat eamque reddit divinæ consortem naturæ. Græci prius elementum præcipue exposuerunt, Latini autem posterius. Utrumque vero consociari debet, juxta omnes, ut gratiæ integer conceptus habeatur; nam, ut ait *S. Thomas*, " gratia causatur in homine ex præsentiâ Divinitatis sicut lumen in aere ex præsentiâ solis "; seu, aliis verbis, Spiritus Sanctus (gratia increata) est causa efficiens gratiæ sanctificantis (gratiæ creatæ), eam creando, conservando et augendo. De utrâque igitur dicemus.

§ I. De gratiâ increatâ seu de inhabitatione Spiritûs S. in animâ justi.

925. Jam diximus in *Tr. de Deo Trino*, n. 563, totam Trinitatem in animâ justi inhabitare sicut in templo, et

[1] 2ª 2æ, q. 24, a. 12. — [2] Sess. VI, can. 23, 27.

hanc inhabitationem specialiter tribui Spiritui Sancto, quia est opus sanctificationis. Quod quidem hìc fusius explicare oportet.

1° Secundum *Scripturam*, Spiritus Sanctus : **a**) nobis datur ut *donum* a caritate ideoque a gratiâ creatâ distinctum : " *Caritas* Dei diffusa est in cordibus nostris per *Spiritum S. qui datus est* nobis[1] "; ibi enim distinguitur *caritas* a Spiritu qui eam diffundit, sicut donum a donatore; **b**) habitat *in nobis* sicut *in templo*, ideoque nobiscum init communionem intimam et societatem permanentem, quatenus nempe *Deo consecramur* tanquam speciale et sacrum habitaculum : " Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus... Templum Dei sanctum est, quod estis vos[2] "; **c**) dicitur *signaculum* quo signati sumus et *pignus* gloriæ cælestis quæ nobis promittitur : " Credentes signati estis Spiritu promissionis sancto... Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis[3] ".

2° *Patres* hanc intimam unionem inter animam justi et Spiritum Sanctum describunt et variis comparationibus illustrant. **a**) Inter *Græcos*, *S. Basilius* declarat hanc unionem in eo sitam esse quod Spiritus S , habitans in nobis, nos spirituales reddit et conformes imaginis Filii Dei[4]; *S. Cyrillus Alex.* docet Spiritum S. non solum gratiâ suâ et operatione nobiscum esse, sed eum ipsum intime nobis uniri : " Templa enim sumus vere existentis et subsistentis Spiritûs; vocati autem sumus propter ipsum dii, quatenus divinæ et ineffabilis naturæ consortes sumus per conjunctionem ad ipsum[5] ". **b**) Inter *Latinos*, *S. Ambrosius*, exponens verba S. Pauli " Caritas Dei diffusa est, etc. ", asserit Spiritum Sanctum nobis dari primum in baptismo, deinde in confirmatione, ut splendorem atque imaginem ejus et gratiam tenere possimus[6]; *S. Augustinus* non solum ipse docet, sed testatur et Patres magno consensu prædicare Deum seipsum donum justis dare[7].

926. 3° *Theologi* hanc inhabitationem accuratius exponere conantur. **A**) Spiritus Sanctus manet in animâ justi non solum ratione immensitatis divinæ, sed novo

---

1 *Rom.*, V, 6. — 2 *Joan.*, XIV, 23; *I Cor.*, VI, 19.
3 *Ephes* , I, 18; IV, 30.
4 *De Spiritu S.*, cap. IX, n. 22-23; cap. XVIII, n. 47.
5 *Dialog.* VII, *P. G.*, LXXV, 1085.
6 *De Spiritu S.*, l. I, c. 5-6. — 7 *De fide et symbolo*, c. IX.

plane modo, sicut cognitum est in cognoscente et amatum in amante, ita ut eum vere possideamus eoque ut amico fruamur; ibi commoratur tanquam *protector specialis*, ut animam sibi conformet, suæ sanctitatis consortem reddat et in amore divino conservet, imo et crescere faciat.

B) Hæc inhabitatio omnino distinguitur ab unione *hypostaticâ*, cùm justus suam personalitatem retineat; et ab unione quæ existit *inter corpus et animam*, cùm Spiritus et anima remaneant substantiæ prorsus distinctæ. Attamen ad utramque unionem quadamtenus accedit, ait *Hurter*[1] : " Sicut enim ratione unionis hypostaticæ filius hominis est Filius Dei naturalis et verus Deus : ita ratione hujus unionis filius Adæ redditur (saltem secundum plures) *plene* filius Dei adoptivus atque consors divinæ naturæ; et sicut ratione unionis animæ cum corpore corpus vivit vitam animalem, ita ratione inhabitantis Spiritûs Sancti justi vivunt vitam spiritualem ".

Est igitur unio *accidentalis* et non substantialis, *moralis* et *aliquo sensu physica*. Siquidem est *realis* et *mutua*, quatenus Spiritus Sanctus, præsens non solum per operationem, sed etiam per substantiam, vitam supernaturalem causat in animâ, et anima omnino pendet a Spiritu Sancto quoad eamdem vitam. Animadvertendum est tamen hujusmodi unione Spiritum S. nullam mutationem pati, sed totam mutationem se habere ex parte animæ. Hæc unio est *progressiva*, eo sensu quod fit intimior quoties justus altiorem gratiæ gradum accipit : tunc enim Spiritus magis ac magis animæ illabitur, eam pervadit, novisque beneficiis donat, ut videre est in vitâ Sanctorum.

C) Spiritus in animâ habitans eam sanctificat non ut causa formalis, sed ut causa *efficiens* et *exemplaris*. a) Non ut causa *formalis*, quidquid dixit *P. Lombardus;* nam, juxta *Tridentinum*, " unica causa formalis (justificationis) est justitia Dei *non quâ justus est*, sed quâ *nos justos facit* ", seu gratia creata; si enim Spiritus S. esset causa formalis nostræ sanctificationis, anima considerari deberet tanquam causa materialis, cui intrinsece inhæreret Spiri-

[1] *Theol. dogmat. Compendium*, th. CCIV, Scholion.

tus, et ex his duobus constitueretur aliquâ ratione unum ens : quod pantheismum redolet. b) Est autem causa *efficiens* sanctitatis, quatenus eam infundit, conservat et auget; itaque *uno eodemque tempore* Spiritus S. et gratia creata animam ingrediuntur; sed *logice*, ut ait *S. Thomas*, " per prius recipimus Spiritum sanctum quam dona ejus [1] ".

Dici etiam potest causa *exemplaris*, quatenus divinam similitudinem animæ imprimit, ut infra exponetur, n. 930.

D) Hæc specialis unio animæ cum Spiritu Sancto est *communis tribus divinis personis*, sed *per appropriationem* tribuitur Spiritui Sancto, quia est opus caritatis et sanctitatis. Ita communiter contra quosdam theologos [2], qui, distinctione factâ inter *inhabitationem*, quam fatentur esse communem tribus personis, et *unionem*, hanc proprie convenire Spiritui Sancto putant, innixi præsertim Patribus græcis, qui id docere videntur. Ratio præcipua hæc est : in divinis omnia sunt communia, ubi non obviat relationis oppositio; atqui non solum inhabitatio, sed etiam unio Dei cum animâ per gratiam, potest tribus divinis personis tribui, quin obviet relationis oppositio : hæc enim unio non est proprie operatio *personalis* Spiritûs S., cùm hic non hypostatice, sed solum accidentaliter uniatur animæ, ex jam dictis. — Quare merito scripsit *Leo XIII :* " Hæc autem mira conjunctio, quæ suo nomine *inhabitatio* dicitur, conditione tantum seu statu ab eâ discrepans quâ cælites Deus beando complectitur, tametsi verissime efficitur præsenti totius Trinitatis numine, *ad eum veniemus et apud eum mansionem faciemus*, attamen de Spiritu Sancto tanquam peculiaris prædicatur [3] ".

§ II. De gratiâ creatâ.

927. Spiritus Sanctus in animam justi infundit vitam spiritualem seu supernaturalem ac deiformem, quæ triplici elemento constat, nempe : 1° *gratiâ habituali creatâ*, quæ est habitus *entitativus* perficiens essentiam animæ; 2° *virtutibus infusis*, quæ sunt habitus *operativi* seu *facultates supernaturales*, quibus potentiæ naturales ita elevantur ut actus deiformes elicere valeant; 3° *donis Spiritûs Sancti*, quæ sunt pariter habitus operativi, sed perfectiores virtutibus, quibus inclinamur ad prompte obediendum motio-

[1] *In I Sent.*, dist. 14, a. 1, sol. 2.
[2] Inter quos *Petavius*, *Scheeben*, *Jovene*.
[3] *Ep. encycl. de Sancto Spiritu*, 9 maii 1897.

nibus Spiritûs S. — Controvertitur quidem inter Thomistas et Scotistas utrum *realis* an *virtualis* tantum sit distinctio inter *gratiam*, *virtutes* et *dona;* sed quidquid est, hæc tria seorsim describenda sunt, quo melius innotescant.

928. 1° **De gratiâ habituali.** Hæc definiri potest : *qualitas supernaturalis, intrinsece et permanenter animæ inhærens, per quam divinæ efficimur participes naturæ.*

Dicitur : **A**) *qualitas*, ac proinde non substantia, sed accidens, seu præcisius habitus animam perficiens immediate in ordine essendi, mediate in ordine operandi : vi enim gratiæ homo potest divine agere.

B) *supernaturalis*, seu supra vires et exigentias cujuslibet naturæ creatæ aut creabilis, ac consequenter divinitùs per se infusa.

C) *inhærens intrinsece*, non consistens in extrinsecâ imputatione sanctitatis Christi, ut contendunt Protestantes, sed in supernaturali dono animæ infuso.

929. **D**) *et permanenter :* gratia habitualis non est transitoria, ut gratia actualis, sed in animâ manet quamdiu per peccatum non expellitur. In *Scripturâ* enim dicitur gratia *semen Dei* quod in nobis *manet*[1], *pignus* hæreditatis, *signum* quo signantur credentes[2]; *regeneratio* et *renovatio*[3] vi cujus transformamur *in imaginem Dei*[4]*;* atqui hæc omnia non conveniunt nisi qualitati ex se stabili. — Præterea, juxta *Trident.*[5], gratia etiam parvulis infunditur, consistit in interiori renovatione quâ homo vere justus efficitur et quæ animæ inhæret; atqui parvuli sunt incapaces actuum; ergo gratia consistit in qualitate permanente.

930. **E**) per quam efficimur “ *consortes divinæ naturæ* ”, testante *S. Petro*[6]. Hæc autem participatio, secundum Traditionem, est : **a**) non moralis tantum, sed *physica :* Spiritus Sanctus, juxta *S. Cyrillum Alex.*[7], “ transformans in seipsum quodammodo hominum animas, divinam eis similitudinem imprimit, et supremæ omnium substantiæ effigiem insculpit ”. Revera gratia describitur ut nova *generatio*, nova *nativitas*, *semen* Dei :

---

[1] *I Joan.*, III, 9. — [2] *Ephes.*, I, 14. — [3] *Tit.*, III, 5.
[4] *II Cor.*, III, 18. — [5] Sess. VII, can. 7. — [6] *II Pet.*, I, 4.
[7] *In Joan.*, lib. XII.

quæ omnia exprimunt non tantum moralem similitudinem per viam imitationis, sed *realem* perfectionem nos physice efficientem participes vitæ divinæ.

b) *Formalis*, quâ scilicet homo habilis fit ad cognoscendum Deum immediate et intuitive sicut Deus seipsum cognoscit : unde hæc participatio non est *virtualis* tantum, sicut ratio humana est solum participatio virtualis intelligentiæ Dei quia immediate ordinatur ad cognoscendum objectum valde Deo inferius, essentiam scilicet rerum materialium.

c) *Accidentalis tamen;* id est, divina natura non communicatur nobis *substantialiter* sicut communicatur Verbo, nec *personaliter*, ut in Incarnatione, sed *accidentaliter*, eo sensu quod qualitas in animâ nostrâ imprimitur, quâ ejus substantia non fit quidem Deus substantialiter, sed similis Deo, deiformis, deifica ; sicut ferrum in fornacem projectum, non fit quidem ignis, sed simile igni, igneum, igniforme[1].

931. 2° **De virtutibus infusis.** Simul cum gratiâ habituali infunduntur in animam justi *virtutes* quæ ordinent et inclinent ad Deum ipsum ut finem supernaturalem amplectendum, et magis ac magis prosequendum : naturales enim facultates, nempe intellectus et voluntas quæ, absque habitu superinducto, sufficienter ordinant ad Deum ut finem naturæ proportionatum, impares sunt Deo ut fini supernaturali attingendo.

Unde cum gratiâ habituali habentur : **a**) virtutes *theologicæ*, fides, spes et caritas, quibus Deum ut beatitudinis fontem cognoscimus, inquirimus, diligimus : " In ipsâ justificatione... hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem et caritatem[2] "; **b**) virtutes *morales;* nam gratiæ " additur nobilissimus omnium virtutum comitatus[3] " quibus actus prudentiæ, justitiæ, fortitudinis, temperantiæ eliciamus modo gratiæ habituali et virtutibus theologicis consentaneo.

Illæ autem virtutes, sicut virtutes theologicæ, nuncupantur *infusæ*, quia Deus solus potest eas nobis infundere, cùm sint supra vires et exigentias nostras. Hinc quot sunt virtutes, cardinales et annexæ, ad facilius sequendum ductum rationis in ordine ad finem nobis proportionatum, tot sunt virtutes supernaturales et infusæ ad agendum modo gratiæ, fidei et caritati conformi.

---

[1] *S. Thomas*, 1ª 2æ, q. 110, a. 2, ad 2.
[2] *Trident.*, Sess. VI, cap. 7, DENZ.-BANN., 800 (682).
[3] *Catech. Rom.*, pars II, de Baptismo, n. 42.

Dupliciter igitur homo perficitur a Deo : primò quidem naturali perfectione, secundum scilicet lumen naturale rationis et virtutes naturales acquisitas, alio autem modo, supernaturali perfectione per virtutes theologicas, et ceteras virtutes infusas, quibus accedunt dona Spiritûs Sancti.

932. 3° **De donis Spiritûs Sancti.** A) Necessitatem donorum quæ nos disponunt ad recipiendam motionem Spiritûs Sancti ita declarat *S. Thomas :* " Sic igitur quantum ad ea quæ subsunt humanæ rationi, in ordine scilicet ad finem connaturalem homini, homo potest operari per judicium rationis... Sed in ordine ad finem ultimum supernaturalem, ad quem ratio movet, secundum quod est aliqualiter et imperfecte informata per virtutes theologicas, non sufficit ipsa motio rationis, nisi desuper adsit instinctus et motio Spiritûs sancti, secundum illud (*Rom.*, VIII, 14) : *Qui Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt* [1] ".
Sed omne quod movetur, debet esse proportionatum motori, et quanto movens est altior, tanto necesse est quod mobile perfectiori dispositione ei proportionetur. Unde virtutes morales infusæ quæ hominem disponunt ad recipiendam motionem a ratione per virtutes theologicas elevatâ, perfectiores sunt virtutibus moralibus acquisitis quæ disponunt ad motionem rationis naturalis sequendam; virtutibus moralibus infusis perfectiora sunt *dona* quæ disponunt ad recipiendam motionem ipsius Spiritûs Sancti [2].

933. B) Hi habitus, quibus homo justificatus aptus efficitur ad accipiendam et sequendam motionem Spiritûs sancti, respiciunt tum vim cognoscitivam, tum vim appetitivam. **a**) Ad vim *cognoscitivam* referuntur : 1) *donum intellectûs* quo penetrantur et capiuntur credenda; 2) *donum sapientiæ*, 3) *donum scientiæ*, 4) et *donum consilii*, quibus de credendis habeatur judicium rectum, æstimando his esse inhærendum et ab eorum oppositis recedendum : quod judicium elicitur per sapientiam quoad res divinas, per scientiam quoad res creatas, per consilium quantum ad applicationem ad singularia opera [3]. **b**) Ad vim *appetitivam* spectant : 1) *donum pietatis*, quo perficitur in his quæ sunt ad alterum; 2) *donum fortitudinis*, quo perficitur contra timorem periculorum; 3) *donum timoris*, quo perficitur contra concupiscentiam inordinatam delectationum [4].

934. C) Si autem comparantur dona cum virtutibus, invenitur intellectum et scientiam connexionem habere cum fide, timorem cum spe, sapientiam cum caritate, consilium cum

[1] 1ª 2æ, q. 68, a. 2. — [2] 1ª 2æ, q. 68, a. 1. — [3] 2ª 2æ, q. 8, a. 6.
[4] 1ª 2æ, q. 68, a. 4.

prudentiâ, donum pietatis cum justitiâ, donum fortitudinis cum fortitudine.

935. **Corollarium.** Ex dictis satis apparet in quonam consistat vita supernaturalis seu christiana.

A) *Substratum* vitæ supernaturalis est *natura humana* in se considerata et in suis facultatibus moralibus : ratione scilicet, voluntate, appetitu concupiscibili et irascibili. Naturam autem humanam et ejus facultates perficiunt et ad supernaturalem vitam præparant virtutes naturales et acquisitæ prudentiæ, justitiæ, fortitudinis et temperantiæ.

B) Huic organismo morali naturali coaptatur organismus moralis *supernaturalis* consistens : **a**) in *gratiâ habituali* quâ deificatur essentia seu substantia hominis; **b**) in *virtutibus infusis* theologicis fidei, spei et caritatis quæ nos immediate ac supernaturaliter Deo ipsi conjungunt, Ei coaptant, ad Eum ordinant; **c**) in virtutibus infusis moralibus prudentiæ, justitiæ, fortitudinis et temperantiæ, quibus supernaturaliter inclinamur ad agendum modo consentaneo tùm virtutibus theologicis tùm gratiæ habituali; **d**) in *donis Spiritûs Sancti* quibus præparamur et prompti reddimur ad motionem Spiritûs sancti suscipiendam et sequendam.

Ope hujus duplicis organismi, agimus et vivimus perfecte et virtuose tum in ordine naturali, tum in ordine supernaturali, seu vivimus vitâ ipsius Christi cujus sumus membra, Spiritu sancto nos movente sicut movebat Christum.

936. **Scholion. De gratiis gratis datis.** In ordine ad gratiam habitualem et ejus exercitium per vitam christianam, Deus quibusdam concedit gratias gratis datas, ut hi in aliorum salutem cooperentur, exterius docendo et persuadendo. Atqui tria ad hoc requiruntur : *plenitudo cognitionis* divinorum, *potestas miraculis confirmandi* ea quæ docentur, *modus res exponendi* auditoribus conveniens.

A) *Plenitudo cognitionis* divinorum, ad quam pariter tria desiderantur : **a**) *fides*, seu certitudo mentem prædicatoris interius firmans circa fidei principia, et exterius se manifestans ut ipsi auctoritatem conciliet; **b**) sermo *sapientiæ*, i. e., cognitio conclusionum ex principiis fidei deductarum; **c**) sermo *scientiæ*, seu rerum humanarum cognitio ad explicandam sacram doctrinam.

B) *Potestas* miraculis confirmandi ea quæ docentur; ad quod quatuor spectant : **a**) *gratia sanitatum*, i. e., virtus sanandi corpora; **b**) *operatio virtutum*, i. e., potestas mira patrandi; **c**) *prophetia*, seu virtus futura contingentia cognoscendi et manifestandi; **d**) *discretio* spirituum, seu virtus occulta cordium cognoscendi.

C) *Modus res exponendi* auditoribus conveniens, qui duo involvit : a) *gratiam linguarum*, seu facultatem variis linguis loquendi, et b) *interpretationem* sermonum ad recte explicandum sensum eorum quæ dicuntur [1].

CAPUT III.

De merito.

Post dicta de gratiâ actuali et habituali, dicendum superest de merito, quod est veluti fructus ab utrâque productus, cooperante humanâ voluntate.

§ I. De naturâ et conditionibus meriti.

937. I. **Notio.** Meritum est jus ad aliquod præmium. a) *Opus* meritorium, *in genere*, est opus bonum libere factum in obsequium alterius, ex quo critur aliquod jus ad mercedem. b) Opus meritorium *supernaturale*, de quo hic agitur, est *opus bonum et supernaturale propter Deum factum*, *ex quo*, *positâ divinâ ordinatione*, *oritur jus ad supernaturalem retributionem.*

Meritum specificatur *jure ad mercedem*, et distinguitur tum ab impetratione, tum a satisfactione. Impetratio enim non dat jus, sed favorem obtinet ex merâ misericordiâ; satisfactio ordinatur non ad præmium obtinendum, sed ad compensandam injuriam Deo illatam. In eâdem autem operatione, v. g., in oratione justi, inveniri potest triplex hujusmodi valor, impetratorius scilicet, meritorius et satisfactorius.

Distinguitur : a) meritum *de condigno*, cui debetur præmium ex justitiâ vel saltem ex fidelitate : ex justitiâ, quando opus *ex se* adæquat præmium; ex fidelitate, quando adest *promissio*, vi cujus præmium, etsi superans opus, ei tamen quodammodo proportionatur, et infallibiliter conceditur; b) meritum *de congruo*, cui debetur præmium non ex justitiâ aut fidelitate, sed *ex merâ decentiâ.*

---

[1] 1ª 2æ, q. 111, a. 4.

938. **II. Conditiones.** Ad merendum *de condigno* requiruntur :

A) *Ex parte operantis* : a) *status viæ*. 1) Dicit enim Christus : " Venit nox quando nemo potest operari[1] "; quod explicatur hoc textu *S. Hieronymi* : " Viventes possunt bona opera perpetrare, mortui vero nihil valent ad id adjicere quod semel secum tulere de viâ ". 2) Omnino convenit ut tempus probationis finem accipiat in puncto mortis : quamdiu enim anima est conjuncta corpori corruptibili, ex unâ parte non est capax visionis beatificæ[2], et ex alterâ est in statu aptissimo ad merendum, quia integrum esse et operari habet, et in miseriis hujus vitæ opportunitatem decertandi et merendi invenit.

b) *Status gratiæ sanctificantis* : 1) dicit enim Christus : " Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis[3] "; 2) *Trident.* declarat hominem *justificatum* bonis operibus vere mereri[4]; 3) repugnat sane aliquem mereri de condigno apud Deum, quando aliunde est inimicus Dei et dignus pœnâ æternâ; ceterum, absque gratiâ habituali non esset proportio inter opus et præmium supernaturale.

939. B) *Ex parte operis* : a) *libertas* tum *a coactione* tum *a necessitate*, nam sequens propositio Jansenianorum damnata est ut hæretica : " Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione[5] "; repugnat enim aliquem remunerari aut puniri pro actibus quorum non est dominus. Non requiritur tamen libertas ab obligatione legis; imò, præceptum, ceteris paribus, auget meritum, operi addendo meritum obedientiæ.

b) *Bonitas moralis* seu honestas ex parte objecti, finis et circumstantiarum : nam opus malum, nedum possit remunerari, est evidenter pœnâ dignum; opus autem

---

[1] *Joan.*, IX, 4; cf. *Eccles.*, IX, 10; XI, 3; *Luc.*, XVI, 22; *II Cor.*, V, 10.
[2] Excepto tamen miraculo (Cf. *Sum. th.*, 2a 2æ, q. 175, a. 3.)
[3] *Joan.*, XV, 4; cf. *I Cor.*, XIII, 3.
[4] Sess. VI, can. 32, DENZ.-BANN., 842 (724); cf. DENZ.-BANN., 1002 (882), 1012 (892), 1015 (895).
[5] DENZ.-BANN., 1094 (968).

indifferens, si aliquod sit in individuo, ex se nihil meretur aut demeretur.

c) *Supernaturalitas* : 1) ratione *principii*, eo sensu quod fieri debet sub influxu *gratiæ*, juxta omnes, et quidem tùm habitualis tùm actualis, juxta sententiam communem : Christus enim dixit Apostolis jam gratiâ sanctificante ornatis : " Sine me nihil potestis facere [1] "; — *Tridentinum* declarat opera *justorum* non esse meritoria sine virtute Christi quæ antecedit, comitatur et subsequitur illa[2]; — revera gratia sanctificans et virtutes infusæ non *movent* ad actum supernaturalem; unde, quidquid dixit *Soto*[3], requiritur, præter eas, gratia actualis quæ nos moveat supernaturaliter. 2) Ratione *finis*, eo sensu quod opus referatur ad Deum, et quidem sub influxu, saltem *virtuali*, caritatis : etenim, ut actus alicujus virtutis sit vitæ æternæ meritorius, debet a gratiâ habituali procedere et a caritate quæ sola refert operationem nostram ad Deum finem ultimum supernaturalem. Relatio autem virtualis sufficit, quia est vera relatio, et sub ejus influxu bene agimus in statu gratiæ et caritatis : tunc enim agimus voluntate et quidem gratiâ et caritate informatâ : melius est tamen et magis meritorium sæpe actiones nostras ex motivo caritatis Deo explicite et actualiter offerre [4].

940. C) *Ex parte Dei*, requiritur positiva Dei ordinatio: creatura enim nullum *jus* acquirere potest erga Deum, nisi suppositâ aliquâ Dei positivâ promissione et ordinatione : totum enim quod sumus, Dei est absolute, et erga Deum nequimus esse nisi debitores, et quidem debito solvendo semper impares. Unde de Deo S. Augustinus dicit : " Debitor enim factus est, non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo [5] "; et juxta *Trident.*[6], vita æterna est " tanquam merces, ex ipsius Dei promissione, bonis justorum operibus et meritis reddenda ". Convenit tamen Deum ita agere, quia dignus est operarius mercede suâ, et decet ut virtus felicitatem consequatur.

---

[1] *Joan.*, XV, 5. — [2] Sess. VI, cap. 16, DENZ.-BANN., 809 (692).
[3] *De nat. et grat.*, l. III, c. 4.
[4] Cf. S. FRANC. SALES, *Traité de l'amour de Dieu*, liv. XII, ch. VIII.
[5] *Sermo* CLVIII, n. 2, *P. L.*, XXXVIII, 863.
[6] Sess. VI, cap. 16, DENZ.-BANN., 809 (692).

941. **Corollarium.** Ex dictis intelligere est quænam *circumstantiæ* meritum augeant : 1° ex parte *operis :* **a**) major *excellentia* ipsius actûs, quæ desumitur tum ex *objecto :* v. g. actus caritatis objective melior est actu humilitatis; tum ex *quantitate* operis, v. g., in casu eleemosynæ; tum ex ejus *difficultate :* sic magis meritorium est gravi quam levi tentationi resistere; **b**) *longa duratio*, nam, ceteris paribus, magis meretur quis precando per horam quam per quadrantem.

2° Ex parte *operantis :* **a**) perfectior *habitualis* dispositio, nempe: 1) *major gradus gratiæ* sanctificantis, saltem probabilius, nam amicorum opera eo magis placent quo amici gratiores sunt; 2) *major conjunctio cum Christo;* nam qui se intimius cum eo unitum servat, ab illo majorem virtutem merendi derivat, cùm ipse sit *omnium meritorum* fons et origo : " Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum[1] "; **b**) perfectior *actualis* dispositio, nempe : 1) *intensitas*, seu fervor; 2) *finis* operantis nobilior: sic magis meretur qui ex motivo caritatis quam qui ex motivo spei aut timoris agit.

N. B. Ad merendum *de congruo*, eædem conditiones requiruntur, si excipias statum gratiæ habitualis et ordinationem divinam.

§ II. De existentiâ meriti.

942. Thesis : *Justi bonis operibus vere merentur augmentum gratiæ, vitam æternam atque etiam gloriæ augmentum.* De fide est contra Protestantes. Sic enim decernit *Concil. Trident.*[2] : " Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et J. Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non *vere mereri* augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratiâ Dei decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, A. S. "

Ex quâ definitione evincitur : **a**) bona opera justificati hominis, etsi sunt dona Dei, utpote per Dei gratiam et Jesu Christi meritum effecta, esse merita *vera* seu *de condigno*[3], nedum sint peccata *de se* mortalia, Dei misericordiâ venialia, ut voluit Lutherus; **b**) merita justorum nullo

[1] *Joan.*, XV, 5. — [2] Sess. VI, c. 32, DENZ.-BANN., 842 (724).
[3] Concilium noluit adhibere vocem *de condigno*, ne anathemate attingeret opiniones aliquot veterum theologorum.

modo detrimentum afferre meritis Christi, ut sentiunt Protestantes, sed potius in laudem Christi redundare : nam mereri nequimus nisi per Christum et in Christo, cum ipse sit vitis, nos palmites : nihil autem detrahitur de gloriâ vitis si palmites multum fructum afferant.

943. **Prob.** a) *S. Paulus*, loquens de mercede sibi aliisque sanctis reservatâ in cælis, dicit : " Bonum certamen certavi,... in reliquo reposita est mihi *corona justitiæ* quam reddet mihi Dominus in illâ die *justus judex* [1] ". Corona autem *justitiæ justo judicio* concessa supponit in coronato jus ac verum meritum. Idem significant Scripturæ verba passim adhibita, nempe *merces*, *remuneratio*, *retributio* [2].

b) Ceterùm, in communitate optime ordinatâ, prout est Ecclesia Christi, convenit ut præmiis incitemur ad bonum ac proinde possimus mereri. Nec dicatur cum Protestantibus nullam proportionem esse inter opera nostra et vitam æternam; hoc enim verum est si opera nostra ex parte nostri spectentur; est vero omnino falsum si considerentur prout procedunt ex gratiâ habituali et actuali quibus esse et operari deiforme habemus.

§ III. De objecto meriti.

I. *Quid pro se mereri possit homo ?*

944. 1° **Quoad gratiam actualem.** a) *Certum est hominem non posse mereri primam gratiam actualem sive de condigno, sive de congruo* (n. 861); declarat enim *Trident.* [3] " ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratiâ sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur ". b) *Certum est hominem non posse mereri de condigno gratiam efficacem qua talem :* hæc enim nullibi promittitur in Scripturâ tanquam infallibiliter danda. c) *Certum est hominem, agentem sub influxu gratiæ actualis, posse mereri de congruo gratias actuales sive sufficientes, sive efficaces;* siquidem omnes conditiones recensitæ ad meritum de congruo adesse possunt in hoc

[1] *II Tim.*, IV, 7; cf. *I Cor.*, IX, 24 sq.
[2] *Matth.*, V, 12; *Heb.*, X, 35; *Coloss.*, III, 24.
[3] Sess. VI, cap. 5, Denz.-Bann., 797 (679).

casu. d) *Communiter asseritur hominem justum posse mereri de condigno gratias actuales sufficientes;* etenim justus de condigno potest mereri vitam æternam, n. 942; sed eo ipso potest mereri de condigno media necessaria ad illam ac proinde gratias actuales sufficientes.

945. 2° **Quoad gratiam habitualem : A)** *Peccator non potest mereri de condigno primam gratiam habitualem seu justificationem, sed eam mereri potest de congruo;* certum est. a) Constat *prius,* nam 1) dicit *Apostolus*[1] quod sumus " justificati gratis per gratiam ipsius "; 2) dicit *Trident.*[2] explicans textum Apostoli : " Gratis justificari dicimur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur "; 3) quia ad meritum de condigno jam prærequiritur gratia habitualis (n. 939). b) Constat *posterius*, quia opera supernaturalia, a peccatore effecta, omnes conditiones habere possunt ad meritum de congruo necessarias : quod expresse Scriptura dicit de timore Dei[3], de eleemosynâ[4].

946. B) *De fide est justum posse mereri augmentum gratiæ habitualis.* " Si quis (enim) dixerit ipsum justificatum... non *vere* mereri augmentum gratiæ,... A. S.[5] " Illud enim cadit sub merito de condigno, ad quod ordinatio et motio gratiæ se extendit; motio autem alicujus moventis non solùm se extendit ad ultimum terminum motûs, sed etiam ad totum progressum in motu; sed progressus in motu ad vitam æternam est secundum augmentum caritatis et gratiæ[6].

Disputatur vero inter theologos *quandonam* detur augmentum quod nobis debetur ratione meriti. Respondet *S. Thomas* quod sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cùm scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum[7]. Actus vero cujus intensio proportionaliter deficit a perfectione habitûs gratiæ et caritatis, non disponit ad augmentum hujusce habitûs[8]. *Suarez*[9] vero contendit omnes gradus gra-

---

[1] *Rom.*, III, 24. — [2] Sess. VI, cap. 8, DENZ-BANN., 801 (683).
[3] *Eccli.*, I, 27. — [4] *Tob.*, XII, 9.
[5] *Concil. Trid.*, Sess. VI, can. 32, DENZ.-BANN., 842 (724).
[6] 1ª 2æ, q. 114, a. 8. — [7] *Ibid.*, ad 3. — [8] 1ª 2æ, q. 52, a. 3.
[9] Lib. IX, cap. 3, n. 23.

tiæ, quos justus meretur, etiam per actus remissos, *statim* ei conferri.

947. C) *Justus non potest de condigno sibi mereri reparationem post lapsum.* Dicitur enim in *Scripturâ* : " Si autem averterit se justus a justitiâ suâ et fecerit iniquitatem... omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur[1]"; imo, juxta *Thomistas*, hoc mereri nequit de congruo, licet alii non pauci contradicant, inter quos *Suarez.* Quidquid est, justus orare potest ut, si cadat, resurgat, et sic per modum impetrationis suam reparationem consequi[2].

948. D) *Perseverantiam finalem in gratiâ sanctificante justus non potest mereri de condigno;* quia nulla promissio circa hoc legitur in Scripturâ, sed e contra dicitur : " Qui se existimat stare videat ne cadat[3] "; potest autem mereri *de congruo fallibili*, seu impetratione, juxta illud *S. Augustini*[4] : " Supplicibus precibus emereri potest "; recte tamen animadvertit *Suarez* finalem perseverantiam non unicâ oratione, sed sæpe repetitis precibus obtineri.

949. 3° **Quoad gloriam** : *de fide est hominem justum vere mereri posse gloriam seu vitam æternam :* quod aperte declaratur a *Trident.* in textu supra allato. Communiter autem affirmatur contra quosdam primum gradum gloriæ de condigno emereri actu quo primam gratiam habitualem accipimus : etenim " talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiæ quæ jam habetur, sed gloriæ quæ nondum habetur[5] ".

II. *Quid pro aliis mereri possit homo?*

950. 1° *Nullam gratiam pro aliis de condigno mereri possumus :* nullum enim adest pactum quo Deus promiserit gratiam alicui dare in præmium meritorum alterius justi, sed potius ex Scripturâ colligitur Christum solum esse aliorum hominum caput et posse pro illis gratiam de condigno mereri[6].

951. 2° *Sed possumus mereri de congruo pro aliis omnes gratias, etiam primam gratiam actualem;* quo

[1] *Ezech.*, XVIII, 24. — [2] Cf. 1ª 2æ, q. 114, a. 7. — [3] *I Cor.*, X, 12.
[4] *De dono persev.*, cap. 5, n. 10. — [5] 1ª 2æ, q. 112, a. 2, ad 1.
[6] 1ª 2æ, q. 112.

sensu dicit S. Jacobus[1] : " Orate pro invicem ut salvemini ". Revera pie creditur S. Stephanum Pauli conversionem, S. Monicam Augustini conversionem de congruo meruisse. Et merito; nam, ut ait *S. Thomas*[2], " quia homo in gratiâ constitutus implet Dei voluntatem, *congruum est* secundum amicitiæ proportionem ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius, licet quandoque possit habere impedimentum ex parte illius cujus aliquis sanctus justificationem desiderat ".

III. *De bonis temporalibus.*

952. Quoad *bona temporalia*, si considerantur prout *utilia sunt ad salutem* et ad opera virtutum, directe et simpliciter cadunt sub objecto meriti, sicut ipsum augmentum gratiæ; si vero considerantur *secundum se*, non cadunt sub merito *de condigno*, quia de eis nulla invenitur in Scripturâ promissio, sed *de congruo* mereri possunt.



[1] *Jacob.*, V, 16. — [2] *Loc. cit.*

TRACTATUS X.

DE SACRAMENTIS.

Credo in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem.

Gratia in animas nostras a Deo infunditur per signa sensibilia quæ *sacramenta* dicuntur : de quibus nunc agemus, primum de *Sacramentis in genere*, postea de *quolibet Sacramento in specie.*

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

Prolegomena.

953. Sub *antiquâ Lege*, quædam erant sacramenta seu signa sensibilia a Deo instituta, ad conferendam sanctitatem *legalem* seu *externam*, et significandam internam gratiam. Præfigurabant quidem sacramenta Novæ Legis, sed ab eis distinguebantur præcipue, juxta *Florentinum*[1], in eo quod " non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant ", dum nostra " et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt ".

Hìc agitur tantum de *Sacramentis Novæ Legis*, quorum *notionem* et *elementa constitutiva* primum declaramus.

954. 1° **Notio.** Sacramentum N. Legis est *signum*[2] *sensibile a Christo permanenter institutum, ad gratiam significandam et conferendam*, seu brevius *signum gratiæ*

---

[1] *Decret. ad Armenos*, DENZ.-BANN., 695 (590).

[2] Triplicis generis signa distinguuntur : *naturalia*, quæ *ex se* aliquid aliud significant, sicut fumus ex se ignem indicat; *arbitraria*, quæ nonnisi *ex conventione* aliquid determinatum significant, sicut olivæ ramus est pacis symbolum; *mixta*, quæ partim ex se, partim ex positivâ institutione aliquid designant. Jamvero sacramenta sunt signa *mixta* : v. g., ablutio in baptismo *ex se* internæ ablutionis similitudinem gerit, sed nonnisi ex divinâ institutione signum est internæ mundationis.

efficax divinitus institutum. Tria igitur ad sacramentum N. Legis requiruntur : *signum sensibile, — gratiæ productivum, — a Christo permanenter institutum.*

955. Hæc notio merito e fontibus revelatis deducitur, ut ex dicendis constabit; sed non fuit *explicite* prioribus sæculis tradita[1]. a) *Ante S. Augustinum*, sacramenta (græce *mysteria*) habebantur ut signa seu *symbola sacra*, in quibus duplex distinguebatur elementum, *visibile* et *spirituale*. b) *S. Augustinus* lucidius exponit relationem quæ inter signum externum et gratiam existit, quin tamen expresse dicat signum esse gratiæ productivum; unde ipse et Patres, post eum, nomine sacramenti aliquando designant ritus sacros gratiam quidem significantes, sed non producentes. c) Sæculo XII°, auctor *Summæ Sententiarum* et *P. Lombardus* clare docent sacramentum esse non tantum signum, sed etiam causam gratiæ. Ita distinctio lucide traditur inter *sacramenta* et *sacramentalia*, et consequenter agnoscitur *septem* et septem tantum esse signa quæ vere gratiam conferant : quæ quidem doctrina, in praxi Ecclesiæ ab initio jam contenta, propriis terminis tunc proponitur.

956. 2° **Elementa constitutiva** sacramenti novæ Legis sunt *res* et *verba*, quæ, ex quâdam analogiâ cum corporibus physicis, vocantur *materia et forma.*

A) *Materia* est res vel actio sensibilis quæ jàm significat effectum sacramenti, sed inchoate et incomplete : unde eget determinatione et perfectione quæ inducitur per formam : sic aqua, quæ in Baptismo adhibetur, ex se indifferens est ad plura significanda et efficienda, refrigerationem scilicet, ablutionem, etc.

957. Distinguitur autem sacramenti materia : a) *remota* quæ est res ipsa sensibilis ut aqua in Baptismo, vel *proxima* quæ est rei usus seu applicatio, ut ablutio in baptismo; b) *essentialis*, sine quâ sacramentum non esset, vel *integrans* sine quâ sacramentum esset, sed quâdam perfectione non absolute necessariâ privatum : sic in Pænitentiâ contritio est essentialis, satisfactio *in re* est integrans.

958. B) *Forma* est pars signi sacramentalis quæ ejus significationem determinat eique vim sanctificandi confert : ita in Baptismo verba : *Ego te baptizo...*

Quæ doctrina : a) sic proponitur ab Ecclesiâ in *Decreto ad Armenos :* " Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur,

[1] Cfr. P. POURRAT, *La Théologie Sacramentaire*3, 1908, p. 1-43.

videlicet rebus tanquam materiâ et verbis tanquam formâ, et personâ ministri sacramentum conferentis cum intentione faciendi quod Ecclesia facit; quorum si aliquod desit, sacramentum non perficitur ".

b) Confirmatur *rat. theol.:* convenit sacramenta rebus tanquam materiâ et verbis tanquam formâ constare : 1) ex parte *Christi*, qui est Verbum sensibili carni unitum et exinde apte repræsentatur per res sensibiles verbis conjunctas; 2) ex parte *hominis*, qui, cùm *animâ* et *corpore* constituatur, convenienter sanctificatur per medium constans duplici elemento, verbo quod ab animâ creditur et re sensibili corpus attingente; 3) ex parte *significationis :* cùm enim per verba distinctius exprimatur quod mente concipitur, sacramentorum N. Legis significatio per aliqua verba determinari debebat.

959. **Divisio hujus capitis** : 1° de *existentiâ* et *institutione* Sacramentorum novæ Legis; 2° de eorum *effectibus;* 3° de *ministro;* 4° *de subjecto*[1].

ART. I. DE EXISTENTIÂ ET INSTITUTIONE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS[2].

Contra *Protestantes*, quorum plerique duo tantum sacramenta, Baptismum et Cœnam, admittunt[3], statuitur :

960. **Thesis** : *Sacramenta Novæ Legis, a Christo instituta, septem sunt, nec plura, nec pauciora.*

De fide est ex *Tridentino*[4] *:* " Si quis dixerit sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo D. N. instituta; aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pænitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, A. S. "

961. *Prob.* 1° *Tradit.*[5] *:* A) *Patrum ac theologorum* testimonio. Quamvis nullum sit sacramentum cujus

---

[1] In nostrâ præsenti expositione dogmaticas tantum quæstiones attingimus, ad *Breviorem Synopsim moralem* lectorem remittendo pro omnibus quæstionibus *practicis*, n. 843-869.

[2] De Sacramentis legis naturæ et legis mosaicæ cfr. *Synop. maj.*

[3] *Ritualistæ* generatim admittunt septem sacramenta, videlicet duo majora et quinque minora.

[4] Sess. VII, can. 1, DENZ.-BANN., 844 (726).

[5] Quænam sacramenta in *Scripturâ* recenseantur, infra exponemus, ubi de quolibet sacramento.

mentio non fiat apud Patres[1], attamen traditio monumentalis et scripta priorum sæculorum non explicite docet septem et septem tantum esse sacramenta : Patres enim, qui errores contra mysteria Incarnationis et Gratiæ tunc confutabant, in systema scientificum doctrinam de sacramentis non redegerunt; sed, occasione datâ, modo unum, modo alterum sacramentum recensebant. Jam autem *a sæc. XII*, theologi unanimiter et aperte docent septem et septem tantum esse sacramenta, nullis Pastoribus aut Fidelibus contradicentibus : qui consensus explicari nequit nisi antea in Ecclesiâ septem sacramenta fuerint publico usu frequentata.

962. B) *Præscriptionis argumento.* Ex documentis inconcussis[2] et *adversariorum* confessione constat, tempore quo Novatores prodierunt, sæc. XVI, dogma de septem sacramentorum existentiâ per plura sæcula jàm creditum fuisse, non solùm in Ecclesiâ Romanâ, sed etiam tùm apud Græcos schismaticos, tùm apud Nestorianos et Monophysitas. Atqui, attentâ hostilitate schismaticorum orientalium adversùs Ecclesiam Romanam, satis evincitur hanc communem conspirationem non fuisse ortam post sæc. IX, quo Græci ab Ecclesiâ Romanâ secesserunt, nec post sæc. V quo Nestoriani ac Monophysitæ a verâ fide defecerunt; aliunde talis consensus omnium Ecclesiarum in re dogmaticâ, ad praxim quotidianam pertinente, quinto sæculo ubique vigens, non potuit per innovationem induci, sed ab Apostolis ipsis originem ducit; nam, per quatuor priora sæcula notum est et Episcopos et fideles fuisse apostolicarum traditionum tenacissimos.

963. 2° Confirmatur *argumentis convenientiæ*

A) Conveniens erat institui sacramenta : **a**) ut homo spiritu et corpore constans ad spiritualia per sensibilia perducatur; **b**) ut usu sacramentorum homines apte exerceant et profi-

---

[1] Ita S. AUGUSTINUS, qui in uno loco duo tantum sacramenta describit, Baptismum et Eucharistiam (*Epist.* 54, 1), alibi commemorat *Confirmationem, Ordinationem, Matrimonium, Pœnitentiam* (*Contra ep. Parmen.*, II, c. 12, n. 28; *De bono Conjug.*, VII, 15; *De Baptismo*, V, 28; *De conjug. adulter.*, lib. II, c. 16, etc.). — *Extrema Unctio* recensetur in *ep. Innocentii I ad Decentium*, quæ est ejusdem temporis. — Testimonia opportunius afferentur ubi de singulis sacramentis.

[2] Cf. *Syn. maj.*

teantur *fidem*, *spe* erigantur ac majorem fiduciam concipiant ex mediis salutis efficacioribus, *caritate* magis ac magis accendantur erga Deum et homines, *humilitatem* excolant suam sanctificationem e signis sensibilibus emendicando; c) ut fideles ab infidelibus distinguantur, ac inter se " aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur[1]".

964. B) Conveniens erat institui *septem* sacramenta. Etenim in vitâ spirituali, sicut in vitâ corporali, septem sunt præsertim necessaria, quinque ad perfectionem individui, duo ad societatis perfectionem. Ad perfectionem *individui* requiritur : a) ut nascatur, quod spiritualiter fit per Baptismum; b) ut crescat et roboretur, quod fit spiritualiter per Confirmationem; c) ut nutriatur, quod in vitâ spirituali per Eucharistiam obtinetur; d) ut sanetur ab infirmitatibus, quod spiritualiter fit per Pænitentiam; e) ut, post morbum, recuperet pristinam valetudinem, quod in vitâ spirituali producitur per Extr. Unctionem, quæ peccati reliquias abstergit. — Ad perfectionem *societatis* requiritur : a) potestas regendi multitudinem, cui respondet Ordo; b) propagatio generis humani, quæ in ordine spirituali per Matrimonium sanctificatur.

965. **Corollaria.** A) *Christus instituit sacramenta N. Legis immediate* seu per seipsum, non autem per Apostolos aut Ecclesiam.

a) Verba enim *Tridentina* supra allata accipi debent de *immediatâ* institutione; nam quæ *mediate* solum instituuntur, non dicuntur institui simpliciter; sic, v. g., quæ Ecclesia instituit, vi potestatis sibi a Christo collatæ, ut jejunium Quatuor Temporum, non dicuntur ab ipso Christo instituta sed ab Ecclesiâ. Præterea *Tridentinum* satis manifeste docet quod Christus immediate et per se instituerit sacramentum Extremæ Unctionis, cùm hujus sacramenti institutionem soli Christo adscribat, ejus autem promulgationem seu commendationem tantùm S. Jacobo. Sed de solius Extremæ Unctionis institutione ambigebant scholastici.

b) *Ratione convenientiæ*[2] confirmatur : siquidem *decebat* ut Christus ipse sacramenta immediate institueret : 1) ut melius appareret solum Christum nostrum esse Redemptorem, et sacramenta totam virtutem suam ex ejus meritis desumere; 2) ne homines spem ponerent in homine qui sacramenta instituisset, et ne schismata orirentur, sicut olim exorta sunt

[1] S. AUGUSTINUS, *contra Faust.*, l. XIX, c. II.
[2] Quæ *peremptoria* non est : non enim repugnat meram creaturam instituere sacramenta, cùm possit ex commissione Dei gratiam instrumentaliter conferre et exinde designare signa practica hujus gratiæ.

inter Corinthios, qui dicebant : " Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi [1] ".

966. B) Christus sacramenta instituit, *ut Deus*, *potestate propriâ*, supremâ et independente; *ut homo*, *potestate ministeriali* seu instrumentali, principali tamen, quæ idcirco vocatur potestas excellentiæ.

Hujusmodi potestas excellentiæ in quatuor consistit[2], nempe in eo quod : a) in sacramentis virtus Christi et meritum operantur; b) fidem ejus protestamur : virtus enim et meritum passionis Christi confertur nobis et per fidem et per sacramenta; c) Christus sacramenta instituit; d) et ipse potuit sacramentorum effectum sine sacramentis conferre.

967. C) Duplici autem modo poterat per seipsum Christus instituere sacramenta : *in specie* scilicet, determinando et gratiam propriam unicuique sacramento et signum sensibile quo gratia significaretur et produceretur; aut *in genere*, gratiam tantùm determinando et Ecclesiæ relinquendo potestatem eligendi in specie signum idoneum ad gratiam significandam.

Porro : a) certum est Christum instituisse in specie sacramenta Baptismi et Eucharistiæ : hoc enim satis constat Scripturâ et Traditione omnium Ecclesiarum; b) incertum est ac controversum nùm Christus per seipsum ita determinaverit constitutiva elementa ceterorum sacramentorum, imprimis Confirmationis, Extr. Unctionis et Ordinis, ut videbitur ubi de singulis agemus.

Art. II. De Sacramentorum effectibus.

968. Duplex est Sacramentorum effectus : unus principalis et omnibus communis qui est *gratia*, alter secundarius qui est *character* et tribus tantummodo competit.

§ I. De Gratiâ.

Exponemus *quomodo* producatur, *qualis* et *quanta* sit, num impedita *reviviscat*.

I. *Quomodo gratia producatur?*

969. Contra *Protestantes* qui nihil aliud in sacramentis agnoscunt nisi meras cæremonias quibus distinguun-

[1] *I Cor.*, I, 12. — [2] *Sum. theol.*, 3[a] p., q. 64.

tur Christiani a Judæis et Gentilibus, aut verba concionatoria quibus excitatur fides justificans, statuitur

Thesis : *Sacramenta novæ Legis gratiam conferunt ex opere operato omnibus obicem non ponentibus*, seu *sunt causæ instrumentales gratiæ.*

970. **Explicatur.** Sacramenta scilicet *continent* gratiam quatenus sunt illius *causa*, non quidem *principalis*, quæ est solus Deus, nec *meritoria* quæ est solus Christus, sed *instrumentalis* seu agens virtute Dei et Christi. Unde sacramenta gratiam non producunt tantum *ex opere operantis* seu ex sanctitate ministri aut merito suscipientis, sed *ex opere operato* seu per ipsam materiæ et formæ applicationem. Attamen requiritur ut in subjecto absit obex, et e contra adsint *dispositiones*[1] quæ non sunt causa ne instrumentalis quidem gratiæ, sed tantum præviæ *conditiones* ad justificationem.

De fide est ex *Trident.*[2] *:* " Si quis dixerit sacramenta N. Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, A. S. " " Si quis dixerit, per ipsa N. L. sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, A. S. "

971. Prob. 1° *Script.* " Nisi quis renatus fuerit *ex* aquâ et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei[3] "; " Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te *per* impositionem manuum mearum[4] "; " Salvos nos fecit *per* lavacrum regenerationis[5] ". Ibi enim declaratur gratiam conferri *per* sacramenta et *ex* sacramentis; atqui particulæ *per* et *ex*, cum contextu sumptæ, significant *ipsa* sacramenta esse causam gratiæ, non sane principalem aut dispositivam, sed instrumentalem.

972. 2° *Tradit.* **A)** *Patrum testimoniis :* **a)** Patres secundi et tertii sæculi docent baptismo vere peccata remitti et baptizatum sanctificari. **b)** Contra S. Cyprianum et rebaptizantes, qui volebant baptizatos in hæresi rebaptizari, *S. Stephanus* decrevit nihil esse innovandum,

[1] Hæ dispositiones declarabuntur pro singulis sacramentis.
[2] Sess. VII, can. 6, 8, DENZ.-BANN., 849, 851 (731, 733).
[3] *Joan.*, III, 5. — [4] *II Tim.*, I, 6. — [5] *Tit.*, III, 5.

IV. *De propagatione generis humani, seu de ortu singulorum hominum.*

651. Status quæstionis. *Corpus* singulorum hominum per *generationem* propagari nemini dubium est; sed quæstio est *quomodo anima oriatur.* Prætermittimus veterum Philosophorum errores, qui putabant animam vel esse emanationem a Deo, vel substantiam a cælo delapsam.

A) *Origenistæ* et *Priscillianistæ* docuerunt *præexistentiam animarum*, videlicet : animas per se spiritus incorporeos esse et ab initio omnes a Deo creatas : in pœnam autem suæ defectionis, in corporibus inclusas fuisse.

B) Juxta *Traducianismum*, anima humana de substantiâ parentum producitur : juxta quosdam, ex ipso semine corporali, juxta alios directe ab animâ parentum : quod ultimum systema vocatur etiam *generatianismus*[1]. Cui theoriæ affines sunt opiniones : a) *Froschammer* dicentis animam a parentibus creari per vim peculiarem sibi a Deo inditam; b) *Rosmini* dicentis a parentibus generari animam sensitivam quæ postea illuminatione entis fit intellectiva.

652. Thesis. *Animæ humanæ a Deo creantur quando corporibus infunduntur.* Etenim

A) Origenismus fuit damnatus a *Concil. Constantin.*, œcum. V, an. 553 : " Si quis fabulosam animarum præexistentiam... asseruerit, A. S.[2] " *Anastasius II* reprobavit ut *hæreticam* sententiam dicentium a parentibus animas tradi ex semine[3]; Froschammer a *Pio IX* profligatus est[4], Rosmini a *Leone XIII*[5];

B) Thesis innuitur saltem his verbis *Scripturæ*[6] : " Revertatur pulvis in terram suam, unde erat; et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum ".

C) *Patres* creatianismum communiter tenent : ita, inter alios, *Lactantius*, *S. Ambrosius*, *S. Hieronymus*, *S. Hila-*

---

[1] Ita TERTULLIANUS, S. FULGENTIUS, S. AUGUSTINUS dubitative tamen; et nostris temporibus KLEE et HERMES.

[2] DENZ., n. 187 prior. ed.; cf. n. 203 nov. ed.

[3] DENZ., n. 170 nov. ed.

[4] In Brevi *Gravissimas* ad Archiep. Monac., 11 dec. 1862.

[5] DENZ., 1910 (1755). Cf. DENZ., 533 (1794).

[6] *Eccle.*, XII, 7.

rius, *S. Gregorius Naz.*, *S. Cyrillus Alex.*[1] Quorum doctrinam breviter et accurate *Petrus Lombardus* contrahit : " Catholica Ecclesia animas docet in corporibus infundi et infundendo creari[2] ". *S. Thomas*[3], post relatas tres sententias, *generatianismum*, *præexistentianismum* et *creatianismum*, dicit : " Primæ duæ postmodum judicio Ecclesiæ sunt damnatæ et tertia approbata ". Quod ceteri scholastici communiter dicunt.

D) *Ratione* thesis confirmatur[4]. Si enim animæ hominum a parentibus trahuntur, sane vel a corpore, vel ab animâ; atqui neutrum dici potest : non *prius*, quia principium intellectivum in homine est principium transcendens materiam, ideoque non potest ex semine materiali generari; *nec posterius*, nam anima infantis non potest creari ab animâ parentum, cùm virtus creativa soli Deo competat, nec est emanatio ex animâ parentum, cùm anima sit substantia simplex, partium expers, ex quâ proinde nil detrahi potest; ergo animæ non a parentibus trahuntur, sed a Deo creantur.

653. Attamen parentes recte dicuntur generare hominem, quia e suâ substantiâ producunt corpus ita dispositum ut ei, vi legis naturalis a Deo positæ, infusio animæ necessario sequatur. Et sane eodem jure parentes hominem generare dicuntur quo homicida, corpori vulnus letale infligens, occidit hominem.

§ II. De Hominis elevatione ad statum supernaturalem.

654. Cùm Deo placuerit hominem non solum dotibus naturalibus ornare, sed etiam *supernaturalibus*, remanet ut ejus elevationem ad ordinem supernaturalem exponamus. Quia vero protoparentibus concessa sunt dona tum *proprie supernaturalia*, tum *præternaturalia*, de utrisque successive agemus, præhabitis tamen quibusdam notionibus de ordine naturali et supernaturali.

---

[1] *P. L.*, VII, 73; X, 358; XIV, 366; *P. G.*, XXVII, 552; LXXVII, 22, etc.

[2] *Sent.*, lib. II, d. 18, n. 8.

[3] *De Pot.*, q. 3, a. 9; cf. *Sum. th.*, 1ª p., q. 118, a. 2.

[4] Cf. S. TH., 1ª p., q. 118, a. 2.

pendet, de quâ nil in Scripturâ et Traditione legitur. Unum declarat *Tridentinum*, scilicet sacramenta non esse paria[1] : " Si quis dixerit hæc septem sacramenta ita esse inter se paria ut nullâ ratione aliud alio sit dignius, A. S."

B) Sacramenta autem *ejusdem speciei ex opere operato* conferunt æqualem gratiam æqualiter dispositis, inæqualem vero inæqualiter dispositis. Etenim : a) ex *Trident.*[2] in sacramento gratiam unusquisque recipit " secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem "; b) ad suavem Dei providentiam pertinet ut homines excitentur ad recipienda sacramenta cum maximâ devotione et reverentiâ; atqui ita erit si majorem gratiam in eis qui melius sunt dispositi, sacramenta producunt; tunc enim, propter spem majoris fructûs, melius ad sacramenta se disponent.

C) Dispositio quæ gratiam augere potest est *virtualis* caritas aut contritio, et præsertim *actualis* in ipsâ sacramenti receptione.

IV. *De reviviscentiâ sacramentorum ad producendam gratiam.*

977. A) *Baptismus*, ficte susceptus præ defectu attritionis supernaturalis, remoto obice, quoad gratiam reviviscit.

Nullum enim peccatum mortale remittitur sub novâ Lege nisi per sacramenta Baptismi vel Pænitentiæ in re vel in voto suscepta[3]. Atqui peccatum originale et peccata ante Baptismum commissa non possunt remitti nec per votum aut receptionem Pænitentiæ quæ tollit tantùm peccata post Baptismum commissa, nec per votum aut receptionem novam Baptismi qui iterari nequit; ergo restat ut hæc peccata remittantur vi et reviviscentiâ Baptismi jàm suscepti.

B) Quoad *Pœnitentiæ* Sacramentum, vix eveniet ut valide et non fructuose recipiatur; in casu autem quo valide tantum reciperetur et ita *posset* reviviscere, minus probabile est hoc *de facto* reviviscere, cùm gratia possit recuperari per novam absolutionem.

C) *Eucharistia*, juxta communem sententiam, non reviviscit, saltem quando obex fuit voluntarius, nisi forte removea-

---

[1] Sess. VII, c. 3, Denz.-Bann., 846 (728).
[2] Sess. VI, cap. 7, Denz.-Bann., 799 (681).
[3] *Concil. Trid.*, Sess. VI, cap. 14; Sess. XIV, cap. 4, Denz.-Bann., 807 (690), 897 (777).

tur obex antequam sacræ species consumantur : nam **a**) nulla adest specialis necessitas, cùm hoc sacramentum iterum suscipi possit; **b**) insuper indecorum omnino videtur, ut qui sacrilege communionem suscepit, postea fructum hujus communionis recipiat.

978. **D**) Probabilius est *Ordinem*, *Confirmationem*, *Matrimonium* et *Extremam Unctionem* reviviscere quoad gratiam. Secus enim, homo privaretur gratiâ sibi moraliter necessariâ : quod minùs congruit suavissimæ Dei misericordiæ.

979. *Conditiones reviviscentiæ.* 1° *Pro obice negativo.* Quando obex fuit negativus, seu involuntarius, et nullum aliud mortale peccatum postea fuit commissum, requiritur et sufficit attritio supernaturalis. Hoc communiter asseritur pro sacramentis mortuorum, et probabiliter etiam pro vivorum sacramentis; cùm enim obex negativus nihil aliud sit nisi absentia dispositionis requisitæ, removebitur statim ac illa dispositio aderit; atqui attritio supernaturalis est certò dispositio sufficiens ad sacramenta mortuorum, probabiliter sufficiens cum bonâ fide ad sacramenta vivorum.

2° *Pro obice positivo.* Quando obex fuit positivus, seu voluntarius (item quando mortale peccatum fuit commissum postea), requiritur absolutio cum attritione, vel contritio perfecta cum voto sacramenti : nam peccatum mortale nonnisi per sacramentum Pænitentiæ cum attritione aut per perfectam contritionem tolli potest.

§ II. De charactere.

980. 1° **Thesis** : *Tria Sacramenta characterem spiritualem imprimunt in animâ, Baptismus scilicet, Confirmatio et Ordo.* De fide est ex *Tridentino*[1] : " Si quis dixerit in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi characterem in animâ, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, A. S. "

Quod : **a**) insinuatur tantum in quibusdam locis *Sacræ Script.* : " Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo,

[1] Sess. VII, c. 9, DENZ.-BANN., 852 (733).

et qui unxit nos Deus, qui et *signavit* nos, et dedit *pignus* Spiritûs in cordibus nostris[1] "; " In quo et credentes *signati* estis[2] "; b) constat verò ex *praxi Ecclesiæ;* nam a temporibus apostolicis semper et ubique creditum est tria præfata sacramenta iterari non posse, ut constat ex *Concil.* definitionibus[3], ex *Patrum* testimoniis, et ex *historiâ* ecclesiasticâ; neque ipsi Rebaptizantes aut Donatistæ id negabant, sed solum putabant ea ab hæreticis valide conferri non posse. Atqui ratio cur iterari nequeant, juxta Patres, præsertim *S. Augustinum*[4], est quia, præter gratiam, characterem indelebilem conferunt.

981. c) Confirmatur *rat. convenientiæ :* Quicumque ad aliquod munus deputatur et specialem accipit potestatem, quodam charactere debet consignari, ut ab aliis distinguatur, sicut, v. g., milites speciali veste induuntur; atqui, per Baptismum, homo fit membrum familiæ Christi seu *civis Ecclesiæ,* et accipit potestatem passivam recipiendi alia sacramenta; per Confirmationem, fit *miles Christi* et accipit potestatem agendi ea quæ spiritualem militiam spectant; per Ordinem, fit *minister Christi* seu dux exercitûs ejus, et accipit potestatem activam sacramenta alia ministrandi.

982. 2° *Characteris natura magis explicatur.*

A) Ut jam innuimus, character sacramentalis potest definiri : *signum spirituale indelebiliter animæ impressum quo homines apti efficiuntur ad aliquid sacri suscipiendum vel agendum.*

983. B) *De fide est* ex *Tridentino* characterem esse *perpetuum* in hâc vitâ. Siquidem est participatio æterni Sacerdotii Christi, recipitur in animâ incorruptibili et nihil habet contrarium quo destrui possit. *Communiter* admittitur characterem esse perpetuum etiam in alterâ vitâ, nam verba *Tridentini* sunt absoluta et rationes modo allatæ illud etiam evincunt.

Præterea *certum est* characterem esse indivisibilem, seu nec augeri nec minui posse, cùm nullam dispositionem proprie dictam subjecti exigat, nec proinde secundum cujusque dispositionem augeatur.

---

[1] *II Cor.*, I, 21 sq. — [2] *Ephes.*, I, 13; IV, 30;
[3] *Concil. Constantinop.* I, can. 7; *Sardic.*, can. 48.
[4] *Epist.* 173, n. 3; 185, n. 23. Cf. POURRAT, op. cit., 205-212.

984. C) Hinc character : a) non est mera relatio extrinseca : relatio enim, etiam realis, incongrue diceretur *impressa*, cùm non possit animæ imprimi nisi aliquod absolutum ex quo *resultat* relatio ipsa; b) non est *habitus*, ut voluit *Suarez*, cùm eo alii bene, alii male utantur; c) sed est *potentia* supernaturalis et ministerialis aliquid sacrum accipiendi vel agendi[1], et consequenter quædam participatio sacerdotii Christi, nos configurans Christo Sacerdoti. — Attamen Baptismi et Confirmationis character nos non facit sacerdotes, nisi lato sensu, quatenus nobis potestatem tradit *passive* tantum sacramenta recipiendi; solus Ordinis character homines efficit proprie participes sacerdotii Christi, quatenus eis dat facultatem *active* sacramenta ministrandi.

ART. III. DE MINISTRO.

985. *Minister* is est qui, nomine Christi, sacramentalem ritum perficit et hominibus confert. Duplex est : *ordinarius*, seu minister solemnitatis, qui ad sacramenta ministranda ex officio specialiter consecratus est; *extraordinarius*, seu minister necessitatis, qui ob necessitatem vel peculiarem delegationem eadem ministrat. Hìc dicimus tantum de ministri *qualitatibus :* de ejus obligationibus in *Brev. Syn. morali* agimus, n. 862-864.

Illæ qualitates sunt *fides* et *sanctitas*, necnon *intentio*[2].

§ I. De fide et sanctitate in ministro Sacramentorum.

986. 1° **Quoad validitatem.** *Nec fides, nec sanctitas (seu status gratiæ) requiruntur ad validam sacramentorum administrationem.*

De fide est, contra *Waldenses*, *Albigenses*, *Wicleffum* et quosdam *Protestantes*, sanctitatem non requiri ad validitatem sacramentorum; ait enim *Trid.*: "Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramenta, A.S.[3]" *De fide est* pariter fidem non requiri ad validam Baptismi administrationem, ut constat tum ex praxi et

[1] S. THOMAS, l. c., a. 2.
[2] De attentione vide *Syn. brev. mor.*, n. 861.
[3] Sess. VII, c. 12, DENZ.-BANN., 855 (736).

consuetudine Ecclesiæ quam *S. Stephanus Papa* opposuit ipsi S. Cypriano, dicens : " Nihil innovetur nisi quod traditum est[1] "; tum ex *Trid.*[2] : " Si quis dixerit Baptismum qui etiam datur ab hæreticis, in nomine Patris, et Filii et Spiritûs S. cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, A. S. " *Certum est* tandem fidem non esse necessariam ad validam aliorum sacramentorum administrationem, exceptâ tamen Pœnitentiâ, quæ, extra necessitatis extremæ casum, valide non ministratur ab hæretico vitando, propter jurisdictionis defectum.

987. *Prob.* **a**) ex Patribus, præsertim ex *S. Augustino*[3] qui hanc doctrinam non tantum asserunt, sed etiam variis comparationibus illustrant; sicut, inquiunt, *semen* sordidis manibus satum, nihilominus fructificat, et *aqua* per canales lapideos, ferreos, aliosve æqualiter irrigat, *sigillumque* regium, sive sit ferreum, sive aureum, regis imaginem imprimit, et sicut *medicus*, etiam ægrotans, alios curare potest; ita pariter sacramenta valide gratiam causare possunt, etiam si a malo ministro ministrentur.

b) *Rat. Theol.:* 1) si fides vera, et præsertim status gratiæ requirerentur ad validam sacramentorum administrationem, perpetua dubia et anxietates essent circa validitatem sacramentorum; 2) non repugnat malum ministrum gratiam conferre, cùm sit tantum causa instrumentalis gratiæ, non agens propriâ virtute, sed virtute causæ principalis.

988. 2° **Quoad liceitatem.** *Ad licitam sacramentorum administrationem ex officio, requiritur sub gravi status gratiæ.*

Certum est : **a**) Ex *Rituali Roman.:* " Etsi sacramenta ab impiis coinquinari non possint... impure tamen et indigne ea ministrantes in æternæ mortis reatum incurrunt "; **b**) *rat. theol.:* minister in statu peccati mortalis sacramenta ministrans, divinam legationem cum *Dei* inhonoratione agit, et *Christi* personam indigne gerit.

Diximus *ex officio*, quia controvertitur num graviter peccet qui non ex officio, sed *ex necessitate* baptismum ministrat,

[1] DENZ.-BANN., 46 (14).
[2] Sess. VII, c. 4, DENZ.-BANN., 860 (741).
[3] JOURNEL, n. 450, 451 Indicis theol.

quin statum gratiæ actu contritionis perfectæ recuperaverit. Utraque opinio probabilis est.

§ II. De intentione in ministro requisitâ.

Trident. definivit [1] : " Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, A. S. " Ad cujus definitionis exactiorem intelligentiam, paulisper immoramur in intentione explicandâ.

989. **Notio intentionis.** Intentio est *actus quo voluntas tendit libere in aliquem finem;* unde distinguitur ab *attentione* quæ est actus intellectûs.

990. **Divisiones intentionis.** A) *Ratione finis*, intentio est : a) vel *jocosa*, quâ minister tum externe tum interne simulat sacramenti administrationem; b) vel *externa*, quâ minister ritum sacramentalem serio perficit, sed non vult ritum *ut sacrum* peragere; c) vel *interna*, quâ minister vult facere quod facit Ecclesia : ad quod non requiritur ut minister intendat explicite conficere *sacramentum*, sed sufficit ut velit ritum sacrum seu religiosum facere; nec requiritur ut velit facere quod facit Ecclesia Romana, sed quod facit Ecclesia vera, quæcumque sit, aut etiam modo generali Religio, quæ talem ritum adhibet; nec necesse est ut credat effectum sacramenti.

B) *Rat. modi*, intentio est : a) *actualis*, quando quis, conficiendo sacramentum, *actu* vult illud ministrare; b) *virtualis*, quando intentio ante habita, quamvis de eâ actu non cogitetur, in aliquâ actione vi illius incœptâ et continuatâ perseverat; c) *habitualis* ea est quæ licet prius habita, et non retractata, tamen neque actu, neque virtute perseverat, quia minister v. g. ebrius est vel hypnotizatus; d) *interpretativa*, ea est quam quis de facto nunquam habuit, sed habiturus esset, si de actione peragendâ cogitasset.

C) *Rat. effectûs voliti*, intentio est : a) *absoluta*, quando sacramenti effectus a nullâ conditione pendet; b) *conditionata*, quando a conditione adimplendâ pendet.

D) *Rat. subjecti*, intentio est : a) *determinata*, quando voluntas fertur circa certam et definitam personam aut materiam; b) *indeterminata*, quando fertur circa materiam aut personas insufficienter determinatas, v. g., absolvo quatuor ex personis præsentibus.

His positis, inquirimus qualis intentio ad sacramentorum validitatem requiratur.

---

[1] Sess. VII, c. II, DENZ.-BANN., 854 (735).

991. Thesis Iª : *Ad validitatem sacramentorum requiritur intentio interna, faciendi scilicet quod facit Ecclesia, ac proinde non sufficit jocosa vel externa intentio.*

Prob.: A) *Script.* quæ nos docet administratores Sacramentorum non esse tales nisi quatenus sunt " ministri Christi[1] ", et " pro Christo legatione funguntur[2] " : quod attente consideranti satis innuit necessitatem intentionis, et quidem internæ; secùs enim sacramentorum administratores proprio nomine agerent et non Christi nomine.

992. B) *Tradit.* a) *Tridentino* quod : 1) requirit in ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia; Ecclesia autem nec vult facere nec facit ritum mere materialem; 2) invalidam declarat absolutionem datam a sacerdote qui animum non habet *vere absolvendi*[3]. b) Ex damnatione hujus propositionis ab *Alexandro VIII* latâ : " Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo resolvit : non intendo quod facit Ecclesia[4] ". c) Ex eo quod frustra et otiose *Concil. Florent.*[5] requireret, præter materiam et formam, intentionem in ministro, si intentio externa sufficeret.

993. Thesis IIª : *Ad validitatem sacramenti requiritur et sufficit in ministro intentio virtualis : unde non sufficit interpretativa vel habitualis.*

A) Non requiritur intentio *actualis*, sed sufficit *virtualis*, quia hæc vere influit in actum ministrandi Sacramenta eumque humanum facit.

B) Non sufficit *habitualis* vel *interpretativa*, quia neutra in actum influit.

Notetur ab aliquibus habitualem vocari intentionem quam virtualem vocamus.

994. Thesis IIIª : *Intentio conditionata non invalidat Sacramentum, quando non suspendit effectum; invalidat autem, si effectum suspensum relinquit.*

Constat prima pars, quia intentio conditionata primi generis, qualis est generatim intentio *de præterito* vel

[1] *I Cor.*, IV, 1. — [2] *II Cor.*, IV, 2.
[3] Sess. XIV, c. 9, DENZ.-BANN., 919 (797).
[4] DENZ.-BANN., 1318 (1185). — [5] DENZ.-BANN., 695 (590).

præsenti, v. g., si tu non es baptizatus, ego te baptizo, æquivalet absolutæ, quæ certe est valida.

Constat secunda pars. Etenim intentio secundi generis, qualis est intentio *de futuro*, impedit ne forma sacramentalis effectum producat *in præsenti;* conditione autem postea verificatâ, jam forma præterita nihil valet : quia non poterat effectum causare nisi tempore quo fuit enunciata.

Excipitur matrimonium quod, utpote contractus, sequitur leges contractûs, et valet statim ac conditio suspensiva adimpletur.

995. **Thesis IVa** : *Intentio debet esse determinata ad certam personam, vel ad certam materiam.*

Certum est. Etenim volitiones et actiones non feruntur in res abstractas, sed in concretas et singulares : sane impossibile est baptizare personam in genere, consecrare hostiam in genere. Sufficit autem ut intentio dirigatur ad personam præsentem, quæcumque sit.

996. **Corollarium** : Si minister duas intentiones habeat sibi invicem contrarias, ea attendenda est quæ, omnibus spectatis circumstantiis, est prædominans; v. g., si quis diceret : " volo quidem baptizare, sed nolo facere quod Ecclesia Romana facit ", supponi potest baptizandi intentionem esse prævalentem, proindeque baptismum esse validum; secus vero, si contraria intentio certo prævaleret.

Art. IV. De subjecto sacramentorum.

997. A) Ad **validitatem** : **a**) nulla dispositio requiritur in *infantibus* et *perpetuo amentibus* pro Baptismo, Confirmatione, Eucharistiâ et Ordine[1].

b) In *adultis* requiritur intentio *interna* sacramentorum recipiendi, intentio scilicet quæ referatur ad sacramentum ut *rem sacram.* Constat declaratione *Innocentii III*[2] :

[1] Valida est quidem ordinatio pueri aut amentis, sed ordinati non tenentur ad divinum officium et vitam cœlibem; quando decimum sextum ætatis annum attingunt, datur eis optio : si voluerint castitatem servare, ad exercitium ordinis admittuntur; si noluerint, possunt laico more vivere. (Bened. XIV., *Eo quamvis*, 4 maii 1745).

[2] Caput *Majores*, de Baptismo, Denz.-Bann., 411 (342).

" Qui nunquam consentit sed penitus contradicit, nec rem (i. e. gratiam) nec characterem sacramenti suscipit". Ceterum omnino *decet* ut adultus obligationes aut gratiam non suscipiat nisi proprio consensu.

Præterea intentio adultorum debet esse : 1) *saltem habitualis* ad Baptismum : habitualis expressa certo sufficit, habitualis implicita probabiliter; 2) ad Confirmationem, Viaticum et Extremam Unctionem sufficit certo *habitualis implicita*, qualis existit in moribundo, sensibus destituto, qui christiane vivebat; quoad *Eucharistiam*, præter casum viatici, intentio habitualis *expressa* requiritur; 3) ad *Pœnitentiam* et *Matrimonium* requiritur *virtualis* intentio : subjectum enim non sese habet mere passive in his sacramentis, cùm conjuges ponant certò materiam et formam, pænitentes probabilius materiam; 4) ad *Ordinem* requiritur intentio *habitualis expressa.*

Non requiritur *attentio* ad validam susceptionem Sacramenti.

998. **B) Ad liceitatem. a)** Ad licitam et fructuosam receptionem sacramenti *mortuorum* requiritur *per se* in adultis saltem *attritio supernaturalis*, quæ ipsa præsupponit actus *fidei*, *spei*, et *pœnitentiæ :* hæc enim sacramenta ad justificationem producendam ordinantur. **b)** Ad licitam et fructuosam receptionem sacramentorum *vivorum*, requiritur *per se status gratiæ;* ratio est quia hæc ordinantur ad augendam gratiam; ergo eam præsupponunt.

CAPUT II.

De Baptismo.

999. Triplici ritu initiationis catechumeni adulti Christo et Ecclesiæ incorporabantur, nempe *baptismo*, *confirmatione* et *eucharistiâ.* — Hìc de Baptismo agimus :1° de ejus *existentiâ* et *essentiâ;* 2° de *effectibus;* 3° de *ministro;* 4° de *subjecto*[1].

---

[1] De *practicis* quæstionibus cfr. *Brev. Syn. mor.*, n. 870-882.

Art. I. De existentia et essentia Baptismi.

I. *De ejus existentiâ.*

1000. 1° **Baptismi notio.** Baptismus (a græcâ voce βαπτίζω, immergo, abluo, tingo) definitur *Sacramentum novæ Legis a Christo institutum, in quo, per externam aquæ ablutionem, cum invocatione SS. Trinitatis, homo spiritualiter regeneratur, atque fit capax aliorum sacramentorum.*

Quæ verba jam indicant : **a**) Baptismi elementa constitutiva, nempe materiam et formam, in aquæ ablutione et SS. Trinitatis invocatione consistere; **b**) primarium effectum esse spiritualem regenerationem, effectum autem secundarium esse characterem quo homo redditur capax aliorum Sacramentorum.

Sacramentum Baptismi vocatur etiam *Baptismus aquæ* seu *fluminis*, quem aliquando supplent : **a**) Baptismus *desiderii* seu *flaminis*, consistens in actu contritionis perfectæ vel caritatis cum voto sacramenti Baptismi; **b**) baptismus *sanguinis* consistens in martyrio pro Christo tolerato.

1001. 2° **Thesis** : *Baptismus aquæ est verum sacramentum a Christo institutum.* De fide est ex *Tridentino* definiente septem esse sacramenta a Christo instituta, inter quæ baptismum recenset[1].

Dirigitur contra : **a**) *Socinianos* et *Unitarios*, qui contendunt baptismum esse ritum mere externum omni regenerativâ virtute carentem; **b**) *Liberales*, qui putant Christum instituisse religionem mere spiritualem, absque ullo ritu externo, ideoque baptismum esse ritum a Judæis aut Græcis mutuatum; **c**) *Modernistas*, qui docent baptismum a communitate christianâ adoptatum esse tanquam ritum necessarium, cui professionis christianæ obligationes adnectebantur[2].

1002. Prob. **A**) *Script.* **a**) Ex *Synopticis* Christus ipse baptismum instituit tanquam ad salutem necessarium : " Euntes ergo docete omnes gentes, *baptizantes* eos in nomine Patris et Filii et Spiritus S... ecce ego vobiscum sum... usque ad consummationem sæculi[3] "; " Qui credi-

---

[1] Sess. VII, can. 1, *de Sacram. in genere*, Denz.-Bann., 844 (726).
[2] Decret. *Lamentabili*, 42, Denz.-Bann., 2042.
[3] *Matt.*, XXVIII, 19-20.

derit et baptizatus fuerit, salvus erit[1]". b) *Apostoli*, jam a die Pentecostes, baptismum conferunt tanquam ritum christianæ initiationis ad remissionem peccatorum, et quidem ita essentialem ut ab eo non dispenset etiam effusio Spiritûs Sancti[2]. Atqui hæc intima persuasio non oritur e ritibus judaicis ablutionum, quibus tantum legalis impuritas tollebatur, neque e baptismo S. Joannis a quo explicite distinguitur[3], neque e ritibus paganis a quibus primi christiani abhorrebant; sed ex eo quod Christus ipse, teste S. Joanne[4], necessitatem baptismi prædicaverat et ritum ipsum instituerat, ut constat ex *Synopticis* supra citatis.

Baptismus autem a Christo institutus est vere sacramentum, cùm in eo inveniantur omnia ad sacramentum requisita : 1) *signum sensibile*, in ablutione aquæ et SS. Trinitatis invocatione consistens; 2) *gratiæ productivum*, cùm ejus receptione regeneremur, salvemur et regnum Dei ingrediamur; 3) *permanenter institutum* : " Ecce ego vobiscum sum (docentibus et baptizantibus) usque ad consummationem sæculi[5] ".

1003. B) *Rat. theol.* Decebat : a) ut peccatum originale per ritum sensibilem gratiæ productivum tolleretur, quo homines certiores redderentur de collatâ sibi gratiâ; b) ut homines Ecclesiæ visibilis membra fierent per externam initiationem, internæ ipsorum cum Ecclesiâ unionis figurativam.

1004. *Notandum.* Juxta communem sententiam, Baptismus inchoate saltem fuit institutus quando Christus in Jordane baptizatus fuit; definitive institutus fuit, et ejus universalis necessitas promulgata post Resurrectionem.

II. *De essentiâ seu de materiâ et formâ.*

1° De materiâ Baptismi.

1005. A) *Materia Baptismi remota est aqua vera et naturalis.* Constat : a) *Tridentino*[6] definiente contra Lutherum, qui contendit quidquid balnei loco adhiberi potest materiam esse validam Baptismi : " Si quis dixerit

[1] *Marc.*, XVI, 16. — [2] *Act.*, II, 37-41; IX, 3-18; X, 44, 47.
[3] *Matt.*, III, 11.
[4] *Joan.*, III, 5 : " Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei ".
[5] *Matt.*, XXVIII, 20. — [6] Sess. VII, can. 2, Denz.-Bann., 858 (739).

aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa D. N. J. Christi : Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu S., ad metaphoram aliquam detorserit, A. S. "

b) *Script.:* " Nisi quis renatus fuerit ex aquâ "...; vocabulum enim " *aqua* " sensu proprio sumi debet, ut apparet ex baptismo ipsius Christi qui voluit suo contactu sanctificare aquas, eunuchi Candacis reginæ[1], et centurionis Cornelii[2].

c) *Rat. theol.* Aqua est materia conveniens Baptismi : 1) quia est communis ubique terrarum, 2) quia optime significat effectus sacramenti : suâ enim *humiditate* lavat et ita figurat ablutionem peccati; *frigiditate* calorem temperat et ita designat concupiscentiæ mitigationem; *diaphaneitate* lumen suscipit, et ita figurat luminis fidei susceptionem.

1006. B) Materia *proxima* est *ablutio* quæ tribus modis perfici potest, immersione, infusione vel aspersione.

Thesis : *Validus est Baptismus sive per immersionem, sive per infusionem, sive per aspersionem collatus.* Certum est.

Script. a) Ex multis locis[3] concludunt omnes exegetæ, sive catholici, sive protestantes, solis *Baptistis* exceptis, vocabulo *baptizare* significari et immersionem, et infusionem et aspersionem. b) Narratur in *Act. Apost.*[4] tria millia hominum die Pentecostes, et quinque millia aliâ die, baptizatos fuisse; atqui vix credibile est eos in aquam immersos fuisse, cùm aquæ paucitas in Jerusalem hoc prohibuerit.

Fatendum est tamen ritum immersionis præ ceteris aptum esse ad significandam sepulturam et resurrectionem spiritualem, quæ, juxta *S. Paulum*[5], in baptismo perficitur.

1007. *Tradit.* Ex Patrum scriptis et Conciliorum decretis colligitur Baptismum ægrotantibus (*clinicis*) in lecto decumbentibus *infusione* administratum fuisse. Ita in opere cui titulus Διδαχή, quod scriptum fuit circa finem primi vel initio secundi sæculi, hæc de Baptismo

---

[1] *Act.*, VIII, 27-39. — [2] *Act.*, X, 44-48.
[3] *Eccli.*, XXXIV, 30; *Num.*, XIX, 12, etc. — [4] II, 41.
[5] *Rom.*, VI, 3-4.

leguntur : " Si non habeas aquam fluentem, in aliâ aquâ baptiza; si non potes in frigidâ, in calidâ baptiza. Si neutram habeas (ad immergendum), effunde in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti[1] ". Etsi igitur ritus immersionis prioribus sæculis quoad adultos prævaluit, ritus infusionis ut validus existimabatur. — Ratio autem propter quam postea frequentior hic evasit, est quia facilius et securius adhibetur præsertim in frigidis regionibus, et decentiæ magis consulit.

1008. *In praxi* attendantur hæc *Ritualis* verba[2] : " Baptisma licet fieri possit aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur ". Jam vero usus nunc invaluit per *infusionem*, trinâ ablutione in modum crucis, baptizare.

2° De formâ Baptismi.

1009. A) Baptismi formam ab ipso Christo traditam esse videtur, dum Apostolis dixit : " Euntes ergo... baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritûs S. " Juxta *Rituale* Romanum, hæc forma adhibenda est : " Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus S. " sine *Amen* in fine.

Græci autem dicunt : " *Baptizatur* (non autem, ut quidam putârunt, *baptizetur*) N. servus Christi in nomine Patris etc... amen ". Sed olim non sacerdos baptizans, sed populus vel clerus præsens respondebat *Amen :* proinde hæc non est vox essentialis.

B) In libro *Actuum*[3] legitur quosdam *in nomine J. Christi* baptizatos fuisse : exinde nonnulli, inter quos S. Beda, P. Lombardus, Cajetanus, putârunt validum esse Baptismum in nomine Jesu collatum. Communis tamen sententia contrarium tenet, et præfatia Actuum verba duplici modo explicantur : a) alii cum *S. Thomâ*[4] censent Apostolos per specialem dispensationem valide baptizâsse in nomine Christi, ut ejus nomen sic honorabile redderetur; b) alii vero communius putant baptizare in nomine Jesu nihil aliud significare nisi baptizare *auctoritate* Christi vel *Christi baptismum* conferre, per oppositionem ad Joannis baptismum.

---

[1] VII, Journel, 4, et n. 462 et 463 *Indic. theol.* — [2] Tit. II, n. 10.
[3] *Act.*, II, 38; X, 48. — [4] *Sum. theol.*, 3, q. 66, a. 6, ad 1.

Art. II. De effectibus Baptismi.

Duplex est Baptismi effectus : *gratia* et *character.*

I. *De gratiâ.*

1010. 1° *Gratia sacramentalis, per Baptismum collata, est gratia regenerativa, cum virtutibus infusis et jure ad obtinendas gratias actuales pro vitâ christianâ recte instituendâ.* Certum est

A) *Script.* quæ docet Baptismum esse " lavacrum *regenerationis* et renovationis Spiritûs sancti[1] "; nos per Baptismum *renasci* ex aquâ et Spiritu Sancto[2], ut deinceps *in novitate vitæ ambulemus :* ex quibus satis apparet nos per Baptismum recipere gratiam regenerationis, ideoque virtutes infusas quæ eam comitantur (n. 931), et jus ad gratias actuales opportune præstandas pro vitæ novæ instauratione.

B) *Rat. theol.:* Baptismus ex suâ primariâ institutione animæ confert *primum esse et vivere* supernaturale : quod est generari, vel potius regenerari, quia esse supernaturale et generatio supernaturalis supponunt hominem jam in esse naturali constitutum per priorem generationem.

1011. 2° *Baptismus vere et proprie delet omnia peccata, tam originale quam actualia antea commissa.*

A) De fide est : **a**) ex *Symbolo Nicæno-Constantinop.:* " Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum "; **b**) *ex Trident.*[3] " Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari : A. S. "

B) Prob. *Script.* S. Petrus expresse neo-conversis declarat : " Pænitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in *remissionem peccatorum*[4] "; item Ananias S. Paulo dicit : " Exsurge et baptizare, et *ablue peccata*

---

[1] *Tit.*, III, 5, 7. — [2] *Joan.*, III, 5.
[3] Sess. V, c. 5, Denz.-Bann., 792 (674). — [4] *Act.*, II, 38.

tua[1] ". Quæ verba sunt omnino generalia et applicantur omni peccato sive originali sive actuali.

1012. 3° *Baptismus remittit, simul cum culpâ, omnem pœnam peccato debitam.*

A) *De fide* est : a) ex *praxi Ecclesiæ*, quæ nunquam pænitentiam imponit neo-baptizatis; b) ex definitione *Tridentini*[2] : " In renatis nihil odit Deus,... ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur ".

B) Cui doctrinæ præluserat *S. Paulus* scribens[3] : " Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu "; quæ verba Patres[4] et Concilia[5] intellexerunt etiam de pœnæ temporalis deletione.

C) Et quidem conveniens erat homini, cùm Christo incorporatur per Baptismum, applicari totam virtutem satisfactionum Christi; atqui tales satisfactiones vim habent tollendi non solum omnem culpam, sed etiam omnem pœnam.

1013. 4° *Baptismus non aufert vitæ præsentis pœnalitates*, ut dolores, mortem, ignorantiam, concupiscentiam, ut quotidianâ experientiâ constat.

Ceterum *convenit* a) homines non suscipere Baptismum ad pœnalitates vitandas, sed ad gratiam et gloriam obtinendam; b) christianos Capiti suo patienti compati et conformari per has pœnalitates; c) et per multa certamina coronam gloriæ mereri.

1014. **Corollarium.** Removendo obstacula quibus homo prohibetur regnum cæleste introire (peccata scilicet et reatum pœnæ), jure ac merito Baptismus dicitur regni cælestis januam aperire.

II. *De charactere.*

Jam probavimus *existentiam* characteris baptismalis (980); remanet ut ejus **proprietates** paulisper declaremus.

1015. Per characterem baptismi homo : A) *unitur Christo sicut membrum capiti.* Unde dicit Apostolus :

---

[1] *Act.*, XXII, 16. — [2] Sess. V, can. 5, Denz.-Bann., 792 (674).
[3] *Rom.*, VIII, 1. — [4] Journel, n. 475 *Indic. theol.*
[5] Denz.-Bann., 464 (386), 696 (591), 807 (690), 1056, 1057 (936, 937).

" Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis[1] "; et : " Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi[2] "; B) *fit civis Ecclesiæ* cujus auctoritate securius gubernatur et ad beatitudinem æternam extollitur; C) *fit idoneus ad cetera sacramenta suscipienda et alia Ecclesiæ bona.*

1016. Corollarium. In Baptismo fit veluti contractus inter Deum et homines. A) Ex unâ parte Deus infundit vitam spiritualem, promittendo omnia media necessaria ad eam servandam et augendam. B) Ex alterâ parte, baptizatus a) abnegat Satanam, ejusque pompas et opera, i. e., peccata et peccati occasiones; b) suscipit obligationem christiane vivendi, Christi vestigia sequendo; c) et profitetur obedientiam Ecclesiæ, ejusque Pastoribus, præsertim vero R. Pontifici, qui est Christi vicarius.

ART. III. DE MINISTRO BAPTISMI.

1017. Quilibet homo, rationis compos, **valide** baptizare potest. Quoad **liceitatem,** distinguere oportet inter casum necessitatis et casum baptismi solemnis.

1018. 1° *In casu necessitatis, quilibet homo, ratione utens, etiam licite baptizare potest.* Certum est : **a)** declaratione *Lateran. IV*, cap. Firmiter[3], et *Florent.*[4]; **b)** *praxi Ecclesiæ :* sæpe sæpius Baptismus a laicis in casu necessitatis collatus fuit, Patribus[5] approbantibus; **c)** aliunde convenit Baptismum, utpote necessarium ad salutem, facile ministrari posse, et proinde ab omnibus.

1019. 2° *Baptismi solemnis*, collati scilicet cum ceremoniis, minister *ordinarius* est episcopus vel presbyter. De diaconis autem statuit *Codex*[6] : " Extraordinarius baptismi solemnis minister est diaconus; qui tamen suâ potestate ne utatur sine loci Ordinarii vel parochi licentiâ, justâ de causâ concedendâ, quæ ubi necessitas urgeat, legitime præsumitur ".

Insuper *jurisdictio* requiritur regulariter ad liceitatem, quia aliquem aggregare parochiæ vel Ecclesiæ particulari per Baptismum pertinet ad eum qui per jurisdictionem *præest* huic parochiæ vel Ecclesiæ.

---

[1] *Galat.*, III; 27. — [2] *I Cor.*, VI, 15. — [3] DENZ.-BANN., 430 (357).
[4] DENZ.-BANN., 696 (591). — [5] JOURNEL, n. 468, 469 *Indic. theol.*
[6] *Codex*, c. 741.

ART. IV. DE SUBJECTO BAPTISMI.

Dicemus : 1° de *necessitate* Baptismi pro omnibus; 2° de *infantium* Baptismo.

§ I. De necessitate Baptismi.

I. *De necessitate Baptismi aquæ.*

1020. 1° Errores. a) *Pelagiani*, *Sociniani* et *Unitarii*, negatâ existentiâ peccati originalis, consequenter Baptismi necessitatem negârunt. b) *Calvinistæ* docent Baptismum esse quidem necessarium necessitate præcepti, non autem necessitate medii, cùm sola fides, inquiunt, possit hominem spiritualiter regenerare. c) Inter *Catholicos*, quidam theologi, dum modo generali affirmant Baptismum necessarium esse necessitate medii, docuerunt parvulos, qui non possunt baptizari vel invalide baptizati sunt, salvari posse per parentum fidem et orationem exteriori signo manifestatam, et hoc quidem semper ac certâ lege, juxta *Cajetanum*, aut saltem interdum et ex speciali misericordiâ, juxta *S. Bonaventuram.*

1021. 2° Thesis catholica : *Baptismus aquæ est, tum adultis, tum parvulis, necessarius necessitate medii, relativâ tamen*, ita ut per martyrium aut per Baptismi desiderium suppleri possit.

De fide est quoad adultos, ex *Tridentino*[1] : " Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, A. S. " : quæ verba explicat *Tridentinum* ipsum declarans[2] justificationem " post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non (posse)... " *Certum est* quoad infantes, ubicumque saltem lex evangelica fuit sufficienter promulgata.

Prob. A) *Script.* Christus dicit in Evangelio[3] : " Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei ". Hæc verba, sensu *traditionali* intellecta, non merum præceptum enuntiant, sed declarant Baptismum necessarium esse ut *medium ad finem :* sicut enim nativitas est medium ut quis vitâ naturali vivere incipiat, ita spiritualis regeneratio per

---

[1] Sess. VII, can. 5 de Bapt., DENZ.-BANN., 861 (742).
[2] Sess. VI, cap. 4, DENZ.-BANN., 796 (978). — [3] *Joan.*, III, 5.

baptismum satis aperte exhibetur ut medium necessarium ad vitam supernaturalem.

B) *Tradit.* **a)** Ex disceptatione contra *Pelagianos* qui ideo damnati sunt quia parvulos sine Baptismo salutem consequi docebant; **b)** ex *praxi* tum adultos tum parvulos baptizandi, statim ac periculum mortis instabat, ne forte, ait *S. Siricius* [1], " si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de sæculo et regnum perdat et vitam ".

C) *Rat. theol.* Nullus potest salvari nisi Christo incorporetur, juxta illa verba : " Ego sum vitis, vos palmites [2] "; " nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu [3] ". Sed sub N. L. *medium* quo Christo incorporamur, est Baptismus, juxta illa verba : " Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis [4] ".

1022. **Notandum.** Contra opinionem *Cajetani* militant argumenta in thesi allata. Insuper ut censura digna a Congregatione theologorum in Conc. Tridentino judicata est[5], quamvis de facto damnata non fuerit; et postea, jussu Pii V, ab operibus ejus expuncta; tuto igitur tradi non posset. Opinio autem *S. Bonaventuræ* asserens aliquos saltem pueros non baptizatos speciali privilegio salvari, nullo positivo argumento firmari potest.

1023. **Controvertitur** num Baptismus sit absolute necessarius pro infidelibus qui nunquam de Evangelio audierunt.

a) Juxta quosdam, ut *Perrone*, lex circa necessitatem Baptismi non obligat infideles *negativos*, quia non fuit pro eis sufficienter promulgata, ac proinde iis sufficit remedium initio mundi institutum ad delendum peccatum originale.

b) Communius theologi docent cum *Suarez* legem Baptismi obligare etiam infideles negativos; lex enim irritans obligat statim ac publice fuit promulgata, etiamsi per accidens a quibusdam subditis ignoretur; sed lex Baptismi irritavit antiquum remedium.

II. *De mediis quibus suppletur Baptismus aquæ.*

1024. 1° De Baptismo flaminis. *Contritio aut caritas perfecta, cum voto saltem implicito Baptismi, supplet*

[1] *Epist. ad Himer.*, c. 2. — [2] *Joan.*, XV, 1. — [3] *Rom.*, VIII, 1.
[4] *Galat.*, III, 27.
[5] Cf. PALLAVICINI, *Storia del Concil. di Trento*, l. X, c. 8.

in adultis vices Baptismi aquæ, quoad remissionem peccatorum. Certum est.

Explicatur. a) Votum Baptismi implicitum, quod scilicet includitur in generali proposito omnia Dei præcepta adimplendi, *juxta omnes*, sufficit in eo qui Baptismi legem invincibiliter ignorat; item, *juxta communiorem sententiam*, in eo qui Baptismi necessitatem novit.

b) Caritas perfecta, cum Baptismi voto, remittit quidem peccatum originale et peccata actualia, ac proinde gratiam sanctificantem infundit; sed baptismalem characterem non imprimit, nec ex se remittit totam pœnam temporalem peccato debitam; unde remanet pro eo qui hoc modo sanctificatus fuit obligatio Baptismum aquæ, datâ opportunitate, recipiendi.

Probatur : A) *Script.* Christus, etiam post sancitam necessitatem Baptismi aquæ, absolute promisit gratiam sanctificantem ideoque remissionem peccatorum concedere iis omnibus qui caritatem perfectam haberent : " Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum... Si quis diligit me... ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus[1] " : hujusmodi enim Dei dilectio, habitatio, mansio supponit gratiam sanctificantem.

B) *Tradit.*, quam sic authentice contrahit *Trident.*[2] : " Post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest (translatio in statum gratiæ)".

C) *Rat. theol.* Ex dictis, Baptismus aquæ est quidem necessarius necessitate medii, sed solum extrinsece, ex positivâ Dei voluntate; atqui quod est necessarium solum extrinsece potest per aliud suppleri, et conveniens omnino erat ut suppleretur per caritatem aut perfectam contritionem, quæ sunt quam optimæ dispositiones.

1025. 2° **De baptismo sanguinis.** A) *Ejus natura.* Baptismus sanguinis est martyrium a non baptizato perpessum. Martyrium autem est *perpessio mortis, vel cruciatûs ex se mortiferi, ob catholicam fidem vel aliam virtutem christianam tolerata*, et quidem *patienter et voluntarie si agitur de adultis.*

---

[1] *Joan.*, XIV, 21-23. — [2] Sess. VI, c. 4, Denz.-Bann., 796 (678).

Ut martyrium adultos justificare possit, requiruntur : a) *supernaturalis attritio*, quæ vix abesse potest in eo qui pro Deo vitam profundit : communiter rejicitur opinio perfectam contritionem requirens; b) *votum* saltem implicitum Baptismi.

1026. B) Thesis : *Martyrium vices Baptismi supplet, quoad remissionem culpæ et pœnæ, tum in adultis, tum in parvulis.* Certum est.

a) *Script.* Christus enim absolute promisit salutem iis omnibus qui animam suam propter Evangelium perderent : " Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam[1] ".

b) *Tradit.:* Ecclesia tanquam sanctos honorat, et quidem *ratione ipsius martyrii*, infantes pro Christo occisos, ut *SS. Innocentes*, imo eos etiam qui, nondum baptizati, martyrium subierunt (v. g., *S. Emerentianam*) : quod explicari nequit nisi martyrium de se et excellenter etiam parvulos justificet et sanctificet.

c) *Rat. theol.* Baptismus aquæ ideo virtutem habet peccata delendi, quia nos morti Christi configurat; sed per martyrium, tum adulti, tum parvuli perfectius Christi morti configurantur.

1027. C) Modus quo operatur. Martyrium suos producit effectus, scil. remissionem culpæ et pœnæ temporalis, ex *opere operato. Certum est* pro infantibus, quia incapaces sunt cujuscumque dispositionis. *Communiter* admittitur pro adultis : Ecclesia enim non orat pro martyribus; sed, si martyrium operaretur solum ex *opere operantis*, seu juxta dispositiones martyris, hujus meritum quandoque impar esset perfectæ purificationi, et ita per nostras orationes suppleri posset.

§ II. De baptismo infantium.

1028. Thesis : *Infantes valide ac licite baptizari possunt et debent.*

De fide est contra *Waldenses* et *Anabaptistas*, quibus adhærent hodierni *Baptistæ*, ut constat ex *Tridentino*[2] : " Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse,... A. S. "

---

[1] *Matth.*, X, 39. — [2] Sess. VII, can. 13, DENZ.-BANN., 869 (750).

Probatur insuper : a) *verbis Christi :* " Nisi quis renatus fuerit... ", quæ omnes, ideoque ipsos infantes, complectuntur. Unde apostoli aliquando baptizabant *totam domum*[1], id est, familiam, proindeque etiam infantes. b) *Ecclesiæ praxi* quam testatur *S. Augustinus* his verbis : " Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc a majorum fide percepit, hoc usque in finem perseveranter custodit[2] ". c) *Rat. theol.:* 1) parvuli in Adamo peccârunt et indigent per Baptismum in Christo regenerari; 2) convenit parvulos baptizari, ut a pueritiâ, gratiâ et virtutibus infusis imbuti, connaturalius vitæ christianæ documenta, simul ac adolescunt, percipiant et servent.

1029. Nec dicatur cum *Erasmo* ita libertatem parvulorum violari; nam in baptismo : a) non imponuntur nisi obligationes quas infans ipse tenetur accipere statim ac rationis usum attingit; b) conferuntur jura ac commoda summi momenti et pretii. Ita qui nascitur in aliquâ regione ex parentibus jura civium possidentibus, eo ipso acquirit jura et obligationes civium quin violetur ejus libertas.

CAPUT III.

De Confirmatione.

Confirmatio est *sacramentum novæ Legis, quo baptizatus in gratiâ roboratur et ut miles Christi signatur.* Breviter dicemus de hujus sacramenti *existentiâ*, *materiâ et formâ*, *effectibus*, *ministro* et *subjecto*[3].

I. *Existentia sacramenti Confirmationis.*

1030. 1° Errores. *Novatiani* et *Albigenses* confirmationem rejecerunt ut ritum inutilem; *Lutherus* hanc habuit ut ritum mere ecclesiasticum, *Calvinus* ut cæremoniam Spiritui Sancto injuriosam. Hodie *Anglicani* et multi *Lutherani* Confirmationem dicunt esse meram cæremoniam quâ renovantur promissa in Baptismo facta.

---

[1] *Act.*, XVI, 33; *I Cor.*, I, 16.
[2] *Serm. 176*, n. 2. — ORIGENES jam asserebat praxim infantes baptizandi esse apostolicam (*In Rom.*, V, 9, homil. 6ª, *P. G.*, XIV, 1047).
[3] Quoad quæstiones *practicas*, cfr. *Brev. Syn. mor.*, n. 883-888.

1031. 2° Thesis. *Confirmatio est verum et proprie dictum N. Legis sacramentum.* De fide est ex *Tridentino*[1] : " Si quis dixerit confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, quâ adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesiâ exponebant, A. S. "

Prob. **A)** *Script. et Trad.* Christus, in ultimâ Cœnâ, Apostolis et omnibus in eum credituris, promiserat Spiritum S.[2] Hanc promissionem adimplevit quoad B. Virginem, Apostolos, paucosque alios discipulos, die Pentecostes[3]. Sed decebat ut idem Spiritus omnibus Fidelibus communicaretur ritu visibili ac perpetuo. Hunc ritum fuisse revera a Christo institutum et ab Apostolis adhibitum ex libro *Act.*[4] colligitur. Narratur quidem multos Samaritanos, jam a diacono Philippo baptizatos, per impositionem manuum et orationem ab Apostolis Petro et Joanne Spiritum Sanctum accepisse : " Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum : tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum[5] ". Pariter quidam discipuli Joannis Baptistæ, post baptismum, acceperunt Spiritum Sanctum[6].

Quæ omnia satis clare ostendunt ritum ab Apostolis adhibitum fuisse vere sacramentum, seu : **a)** *signum sensibile*, orationem scilicet et impositionem manuum; **b)** *gratiæ productivum*, ut ex textu allato apparet, et insuper ex contextu[7] : " Cùm vidisset (Simon Magus) quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus... " : Spiritus enim Sanctus non datur nisi ratione gratiæ habitualis; hæc autem gratia differt ab eâ quæ in baptismo datur, cùm jam baptizatis conferatur; **c)** *permanenter a Christo institutum :* solus enim Deus potest gratiam alligare signo sensibili; aliunde hæc collatio gratiæ nihil aliud est nisi adimpletio promissionis a Christo factæ. Permanentia autem ritûs *Traditione* probatur. Jam enim secundo sæculo exeunte, ritus confirmationis haud obscure commemoratur; tertio sæculo, Patres græci et latini diserte de eo loquuntur tanquam baptismi collationem immediate sequente; sæc. quarto, *S. Cyril-*

---

[1] Sess. VII, can. 1 de Conf., DENZ.-BANN., 871 (752).
[2] *Joan.*, XIV, 16; Cf. *Joan.*, VII, 38-39. — [3] *Act.*, II, 3-4.
[4] *Act.*, VIII, 12-18. Cf. *Act.*, XIX, 1-6. — Varios textus de Confirmatione erudite exponit C. RUCH, *Dict. de Théol.* (*Mangenot*), III, 975-1026.
[5] *Act.*, VIII, 12-18. — [6] *Act.*, XIX, 1-6. — [7] *Act.*, VIII, 18.

lus Hierosolymit. integram catechesim de *chrismatione* (seu confirmatione) habet [1].

B) *Rat. convenientiæ.* Ubi occurrit specialis gratiæ necessitas, ibi speciale sacramentum esse convenit; atqui quando adultam ætatem attingimus, speciali gratiâ roboris indigemus, sicut in vitâ naturali non sufficit ut homo nascatur, sed requiritur ut crescat et roboretur.

II. *Materia et forma Confirmationis.*

1032. A) **Materia proxima.** Probabilior a plerisque modernis habetur opinio asserens materiam proximam essentialem Confirmationis esse tum *chrismationem* seu unctionem chrismatis immediate factam in fronte per modum crucis, tum *impositionem manûs* quæ unctionem comitatur. Post decreta *Florent.*[2] et Encycl.[3] *Benedicti XIV*, obsolevit omnino opinio requirens insuper ad essentiam Sacramenti primam manuum impositionem quæ initio ceremoniæ ab episcopo peragitur[4].

1033. B) **Materia remota** est : a) *oleum olivarum* per quod significatur robur mentis et nitor bonæ conscientiæ; b) et *balsamum* quod debet, probabilius ad validitatem, oleo misceri, ut sic exprimatur bonus odor virtutum.

Chrisma seu commixtio olei et balsami, debet benedici ab Episcopo, de necessitate sacramenti juxta communiorem sententiam; attamen sacerdos, cum speciali delegatione S. Pontificis, illud probabiliter benedicere potest.

1034. C) **Forma,** quæ nunc in Ecclesiâ Romanâ adhibetur, sic se habet : " Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii et Spiritûs S. " Quæ forma omnino conveniens est utpote designans præcipuos *effectus* Confirmationis, ejusque *cau-*

---

[1] Testimonia invenies apud JOURNEL, nn. 174, 304, 333, 362, 390, 499, 547, 592, 725 etc., et *Dict. de Théol.* (*Mangenot*) III, 1027 sq. — Notentur præsertim hæc TERTULLIANI verba, in quibus ritus confirmationis describitur : " Caro *ungitur* ut anima consecretur; caro *signatur* ut anima muniatur; caro *manûs impositione adumbratur* ut et anima Spiritu illuminetur " (*De resur. carnis*, VIII, *P. L.*, II, 806).

[2] DENZ.-BANN., 697 (592). — [3] *Ex quo primum*, 1 mart. 1756.

[4] Proposito dubio an, prætermissâ primâ manuum impositione, repetendum esset sacramentum sub conditione, *S. C. P. F.*, 6 Aug. 1840 respondit non esse repetendum etiam sub conditione (*Collectanea*, n. 905).

sam principalem; siquidem, a) per verba " *signo te signo crucis* " designatur *charaEter*, quo confirmatus fit miles Christi et signo crucis munitur; b) per verba " *confirmo te* " designatur *gratia roboris*, quâ confirmatus, sicut athleta, ungitur; c) tandem per reliqua verba " *in nomine Patris* " exprimitur *causa efficiens principalis*, sc. *SS. Trinitas.*

1035. *Apud Græcos*, forma est : " Signaculum doni Spiritûs S. ", quam Urbanus VIII declaravit esse validam. Quod facile explicatur, si admittitur formam hujus sacramenti nonnisi *generice* fuisse institutam, quatenus nempe Christus Ecclesiæ potestatem dedit his verbis utendi quæ sufficienter effectum sacramenti declararent : non enim sine verborum detorsione in formâ græcâ inveniri possunt ea omnia quæ ut essentialia communiter habentur in formâ latinâ.

III. *De effectibus Confirmationis.*

Duplex est Confirmationis effectus : *gratia* et *character.*

1036. 1° *Gratia sacramentalis Confirmationis est gratia roborans, ad fidem verbo et opere strenue profitendam.* Etenim : a) ex decreto ad Armenos[1], " effectus hujus sacramenti est quia in eo datur Spiritus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen"; b) gratia propria Confirmationis eadem est quoad substantiam ac ea quæ collata fuit Apostolis die Pentecostes; hæc autem fuit roborans, juxta promissum Christi : " Accipietis *virtutem* supervenientis Spiritûs Sancti in vos, et eritis mihi testes...[2] "

Hanc gratiam roborantem comitatur *abundantior* infusio donorum Spiritûs Sancti. Siquidem, ut ait *Rabanus*[3], " signatur baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem, per pontificem in fronte; ut in priori unctione significetur super ipsum Spiritûs S. descensio ad habitationem Deo consecrandam; in secundâ quoque, ut ejusdem Spiritûs S. septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis, et scientiæ et virtutis, venire in hominem declaretur ".

1037. 2° *De charactere.* Jam probatum est (n. 980) Confirmatione characterem imprimi. a) Hic autem

---

[1] DENZ.-BANN., 697 (592). — [2] *Act.*, I, 8.
[3] *De instit. cleric.*, l. I, c. 30.

differt a charactere Baptismatis, in eo quod baptizatus est tantum Ecclesiæ civis, dum confirmatus constituitur *miles* Christi, specialiter deputatus ad fidem propugnandam, contra ejus hostes. **b**) Insuper christianum habilem reddit ad licite suscipiendos ordines.

IV. *De ministro Confirmationis.*

1038. Duplex est minister Confirmationis : *ordinarius*, qui, vi ordinationis suæ, completam habet potestatem valide ministrandi Confirmationem; *extraordinarius*, qui speciali delegatione indiget ut valide confirmet, quia vi ordinationis, inchoatam solum potestatem habet confirmandi.

1039. 1° *Minister Confirmationis ordinarius est solus Episcopus. De fide* est ex *Tridentino*[1] : " Si quis dixerit S. Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, A. S. " Aliunde : **a**) hoc demonstrat " illa lectio *Act. Apostolorum*, quæ asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum[2] ". **b**) *Rat. convenientiæ* confirmatur : ad superiorem enim artificem pertinet ultima operis consummatio, et ad superiorem ducem cives militiæ adscribere; atqui Confirmatio est ultima Baptismi consummatio, et simul spirituali militiæ adscriptio; ergo superiori duci seu Episcopo reservatur.

1040. 2° *Minister Confirmationis extraordinarius est simplex sacerdos, specialiter delegatus a Sede Apostolicâ.* Certum est

a) *Praxi Ecclesiæ Romanæ :* ex *Codice* enim, c. 782, hâc facultate gaudent ipso jure Cardinales, etiam non episcopi, Abbas vel Prælatus nullius, Vicarius et Præfectus Apostolicus, qui tamen eâ valide uti nequeunt nisi intra fines sui territorii et durante munere.

b) Ex praxi Ecclesiæ *Græcæ;* nam, longe ante schisma Photianum, Græci sacerdotes confirmabant baptizatos, forsan ob tacitum privilegium, a S. Sede concessum, nec unquam revocatum.

---

[1] Sess. VII, can. 3, DENZ.-BANN., 873 (754).
[2] S. INNOCENTIUS I, *Ep. ad Decent.*, DENZ.-BANN., 98 (60).

V. *De subjecto Confirmationis.*

1041. A) *Omnis et solus homo baptizatus valide confirmari potest.* — Etsi certo non constat confirmationem esse necessariam necessitate præcepti, saltem *per se*, valde hortandi sunt fideles ad hoc sacramentum recipiendum. Qui vero prudenter dubitat num valide confirmatus fuerit, *potest* iterum sub conditione confirmari, sed ad id *non tenetur*, quia hoc sacramentum non est ad salutem necessarium. — Juxta hodiernam praxim Ecclesiæ, regulariter illicitum est confirmare infantes antequam usum rationis attigerint.

B) Adultis inesse debent : a) *status gratiæ*, quia Confirmatio est sacramentum vivorum; b) *scientia* competens circa rudimenta fidei et ea quæ spectant Confirmationem.

CAPUT IV.

De SS. Eucharistiâ.

Eucharistia est simul *mysterium* quod credere debemus, *sacramentum* quo sanctificamur, *sacrificium* quo religionis officia Deo persolvimus. Triplex igitur erit articulus.

Art. I. De mysterio præsentiæ realis.

Tria sunt statuenda : a) *veritas* præsentiæ realis Christi in Eucharistiâ; b) *modus* hujus præsentiæ; c) ejusdem cum ratione *concordia*.

§ I. De veritate præsentiæ realis Christi in Eucharistiâ.

1042. 1° **Errores.** A) *Berengarius*, sæc. XI, transsubstantiationem certo negavit, et quibusdam visus est negare etiam præsentiam realem, licet id non omnino constet. Eucharistiam autem non esse verum corpus Christi contenderunt *Petrobrussiani*[1] (sæc. XII), *Albigenses* (sæc. XIII), et, juxta nonnullos, *Wicleffus*[2], Protestantium præcursor.

---

[1] Denz.-Bann., 367 (309). — [2] Denz.-Bann., 583 (480).

B) *Novatores* plerique realem præsentiam pariter negârunt. a) *Lutherus* quidem hoc dogma rejicere non ausus est, quia, ut ipse fatebatur, nimis evidenter in Scripturâ declaratur. Diu Lutherani Lutherum imitati sunt, sed hodie multi, in Germaniâ præsertim, in dubium revocant præsentiam realem. b) *Sacramentarii* docuerunt Eucharistiam nihil aliud esse nisi signum vel figuram Christi : *signum*, id est, symbolum *mere arbitrarium*, juxta *Zwinglium; figuram*, id est, symbolum *fundatum in aliquâ similitudine* inter panem et corpus Christi, juxta *Œcolampadium*. c) *Calvinus*, mediam viam inter Lutheranos et Sacramentarios tenens, docuit corpus et sanguinem Christi *virtualiter* esse in Eucharistiâ, sicut sol præsens est terræ per virtutem seu per calorem. d) Plerique *Anglicani* præsentiam realem rejiciunt, paucis exceptis, præsertim *Ritualistis*. e) Protestantes *Liberales* et *Modernistæ* docent Eucharistiam esse vacuum signum passionis Christi et fraternæ caritatis, non a Christo, sed a primâ christianorum generatione institutum.

1043. 2° **Thesis** : *Christus est vere, realiter et substantialiter præsens in Eucharistiâ.*

De fide est ex *Tridentino* definiente [1] : " Si quis negaverit in SS. Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum animâ et divinitate D. N. Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figurâ aut virtute, A. S. "

Hinc *de fide est* totum Christum esse in Eucharistiâ *vere*, non *in signo* tantum, ut contendebat Zwinglius; *realiter*, non *in figurâ* tantum, contra Œcolampadium; *substantialiter*, non *in virtute* solum, contra Calvinum.

Hoc autem dogma probatur tum Scripturâ, tum Traditione.

I. *Scripturâ probatur* [2].

1044. **Prænotandum.** Ad viam demonstrationi parandam, contra Liberales et Modernistas probamus *Eucharistiam ab ipso Christo institutam esse.*

[1] Sess. XIII, can. 1, DENZ.-BANN., 883 (763).
[2] C. RUCH, in *Dict. de Théol.* (*Mangenot*), V, 989-1121; J. LEBRETON, in *Dict. Apolog.* (*d'Alès*), I, 1548-1585.

a) Ex testimonio *S. Pauli*[1], jam an. 57 celebrabatur Eucharistia, non ut ritus humanus et novus, sed ut ritus sacer ab ipso Christo institutus, in memoriam ejus mortis, ideoque permanens ("hoc facite in meam commemorationem "), nec omnino novus, cùm jam abusus in eum irrepserint; atqui impossibile est ut temporis spatio tam exiguo facta fuerit, in communitate quæ a novitatibus abhorrebat, *evolutio* ad quam adversarii appellant, nempe mutatio vulgaris cœnæ in ritum sacrum et sacramentalem.

b) In tribus *evangeliis Synopticis*[2] refertur institutio Eucharistiæ ab ipso Christo peracta, et quidem tanquam ritus religiosus maximi momenti, cùm Dominus discipulis corpus et sanguinem suum tradat tanquam cibum et potum; insuper, apud *S. Lucam*, permanentia hujus ritûs his verbis annuntiatur : " Hoc facite in meam commemorationem ". — Nec dicatur hæc verba apud SS. Matthæum et Marcum non inveniri; silere enim non est negare, et aliunde relatio quam uterque instituit inter ultimam cœnam et agni paschalis manducationem sat evidenter ostendit Jesum voluisse novum pascha instituere.

Silentium autem S. Joannis de institutione Eucharistiæ sufficienter explicatur ex eo quod, in capite sexto, diserte retulerat verba Christi hanc institutionem promittentis, ut mox declarabimus. Si igitur testimoniis et factis, non *a priori* hypothesibus, innitimur, fatendum est Eucharistiam vere a Christo institutam esse, ut declarat *Tridentinum*[3].

1045. **Probatur thesis.** 1° *Realis præsentia* Christi in Eucharistiâ ex verbis **promissionis** demonstratur.

In cap. VI° *Joannis*[4] quatuor partes distingui possunt : 1ª quâ narrantur panum multiplicatio et Christi deambu-

1 " Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in quâ nocte tradebatur, accepit panem... et dixit : Accipite et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem " (*I Cor.*, XI, 23-24).

2 *Matth.*, XXVI, 26-29; *Marc.*, XIV, 22-25; *Luc.*, XXII, 15-20. — Versus 19b-20 deficiunt quidem in *codice Bezæ*, sed inveniuntur in optimis græcis codicibus et pro genuinis habentur a protestantibus *Tischendorf* et *Nestle*. — Cfr. C. RUCH, l. c., 1062; A. BRASSAC, *Nova Evangel. Synopsis*, 1913, p. 132.

3 Sess. VII, can. 1; Sess. XIII, cap. 2; Sess. XXII, can. 22.

4 Protestantes *liberales*, quibus assentit *A. Loisy*, fatentur quidem doctrinam eucharisticam quam Ecclesia profitetur contineri in hoc capite,

latio supra mare (1-26); 2ª quâ Christus disserit de pane vitæ qui de cælo descendit (27-51); 3ª ubi de necessitate manducandi carnem et bibendi sanguinem Christi (52-59); 4ª ubi de discipulorum incredulitate et confessione Petri (60-71).

Licet omnes partes capitis ad Eucharistiam referantur[1], expressius tamen hæc verba tertiæ partis :

" Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum. Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis : nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea, vere est cibus : et sanguis meus vere est potus : qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de cælo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum ".

Sensu obvio hìc evidenter agitur de *reali*, non vero de symbolicâ manducatione. Quod confirmatur : **a)** ex scandalo Judæorum, quod certe Jesus declaratione sustulisset, nedum iterasset affirmationes quibus auditores offendebantur; **b)** ex connexione inter secundam et tertiam partem capitis : 1) ipsa caro quam Christus assumpsit per Incarnationem est ea quam manducandam profert : unde, si caro per Incarnationem est realis, realis esse debet caro quæ nobis præbetur ad manducandum; 2) sicut Christus realiter ad nos venit per Incarnationem (38 sq.), ita realiter ad nos propius accedit per Eucharistiam (50 sq.)[2].

---

sed historicitatem negant sermonis relati ab auctore quarti Evangelii. Immerito tamen, ut erudite probat M. LEPIN, *La valeur historique du quatrième évangile*, 1910; nam : a) sermo intime connectitur cum factis quæ eum præcedunt et sequuntur, quæque historica sunt, cùm et a *Synopticis* referantur; b) verba quibus Eucharistia promittitur omnino consonant cum verbis institutionis apud Synopticos. Itaque historicitas hujus sermonis rejici nequit quin simul rejiciantur facta et dicta Christi a Synopticis narrata.

[1] Cfr. LEPIN, *La valeur historique du quatrième évangile* I, p. 6-70.

[2] Cf. LEBRETON, *Eucharistie*, in *Dict. Apolog.* (*A. d'Alès*), I, 1559 1562.

1046. 2° Realis præsentia ex verbis *institutionis* demonstratur. Quod Christus promiserat, id fideliter præstitit. Pridie enim quam pateretur, post celebrationem cœnæ paschalis, " accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis et ait : Accipite et comedite : *Hoc est corpus meum* quod pro vobis datur ", juxta *S. Lucam;* " quod pro vobis tradetur ", juxta *S. Paulum.* " Et accipiens calicem gratias egit, et dedit eis dicens : Bibite ex hoc omnes; *Hic est enim sanguis meus*[1]... " Porro evidens est illa verba *sensu proprio* intellecta realem præsentiam invicte demonstrare. Sed sensu proprio debent intelligi. Etenim :

A) Si *textus* ipse inspicitur, verba litteraliter et sensu proprio sumpta tam clara sunt ut nulla clariora ad dogma catholicum exponendum inveniri possint; e contra sensus metaphoricus tam obscurus est ut, fatentibus adversariis, nonnisi post multa sæcula excogitari potuerit, tam ænigmaticus, ut jam, anno 1577, ducentæ numerarentur hæreticorum expositiones, quarum nulla plene ipsis placuit; jamvero quando sensus proprius perspicuus est, metaphoricus autem obscurus et contortus, prior certe præferri debet.

Frustra autem congeruntur textus, in quibus vocabulum " est " idem significat ac " repræsentat, seu est figura "; inspectis enim omnibus locis ad quæ provocant Protestantes, colligitur verbum *est* non metaphorice intelligi nisi quando res, de quâ agitur, sive ex *naturâ suâ*, sive ex *usu loquendi* aut *præviâ monitione*, est *signum*, *figura* aut *symbolum* alterius rei : atqui in casu nostro panis neque ex *naturâ suâ*, neque ex *modo loquendi* in Scripturis usitato, aut *præviâ monitione* Christi, dici potest signum corporis Christi.

B) Si attenditur ad *adjuncta* personarum et circumstantiarum : a) *Apostoli*, quibus Christus loquebatur, erant homines simplices, proni ad interpretandum litteraliter etiam locutiones metaphoricas[2]; insuper, miraculorum testes, et Christi omnipotentiæ conscii, parati erant affirmationibus Magistri, etiam captu difficilibus, simplicem fidem adhibere[3]; hanc fidei simplicitatem Dominus ipse exigebat, nihil magis reprobando quam incredulita-

---

[1] Quatuor sunt narrationes institutionis Eucharistiæ : *Matt.*, XXVI, 26-28; *Marc.*, XIV, 22-24; *Luc.*, XXII, 19-20; *I Cor.*, XI, 23-25.
[2] *Matth.*, XVI, 11. — [3] *Matth.*, XIX, 26.

tem eorum; tandem, per sermonem in capite sexto Joannis relatum, dispositi fuerant ad admittendam realem manducationem corporis et sanguinis Domini. Atqui, in talibus adjunctis, repugnat Jesum verbis metaphoricis captu difficilibus usum fuisse, quin ea explicaret.

b) Si *circumstantiæ* perpenduntur, Christus, Eucharistiam instituendo, *novum testamentum* seu *fœdus* condebat: " HIC EST SANGUIS MEUS *Novi Testamenti* ": sui *amoris memoriale* perpetuum relinquebat, simul *legem* imponens hunc ritum iterandi: " HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM "; et quidem in *ultimo sermone* ante mortem habito. Atqui hæc omnia sensum metaphoricum intellectu difficilem excludunt; nam *testamentum* seu fœdus clarum esse debet; si Eucharistia est solum figura corporis Christi, non potest dici *singulare amoris pignus; lex* debet verbis perspicuis exprimi, præsertim cùm legislator *ultimâ vice* suos subditos alloquitur. Præterea post resurrectionem ea verba non emollivit, ita ut, si sensus metaphoricus verus sit, per innumera sæcula multi ex ejus discipulis idololatriæ addicti fuerint, adorando ut verum corpus Domini quod nihil aliud erat nisi panis frustulum. Repugnat ergo ex omni parte sensus metaphoricus.

1047. 3° *Realis præsentia* probatur ex verbis S. Pauli circa **usum** Eucharistiæ. Post relatam Eucharistiæ institutionem, hæc subjicit Apostolus de indignâ communione: " Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, *reus* erit *corporis et sanguinis* Domini... non dijudicans corpus Domini[1] ". Atqui indigne communicans dici nequit *reus corporis* Christi, quatenus *non dijudicans* ejus corpus, si panis eucharisticus sit solum figura corporis ejus: ad summum, Christi personam tantum offenderet, ritum sacrum male tractando. Confirmatur iis quæ paulo ante Apostolus dixerat[2]: " Calix benedictionis... nonne *communicatio sanguinis* Christi est? et panis, quem frangimus, nonne *participatio corporis* Domini est "? Non possumus enim *corpori* et *sanguini* Christi in Eucharistiâ communicare nisi sint ibi realiter.

[1] *I Cor.*, XI, 27-29. — [2] *I Cor.*, X, 16.

II. *Traditione probatur*[1].

1048. 1° Patrum testimoniis. Satis erit testimonia referre quatuor priorum sæculorum, cùm, teste *Zwinglio*, tempore S. Augustini opinio de carne corporali jam victrix fuerit.

Prænotamus autem plerosque Patres nonnisi *obiter* de præsentiâ reali Christi in Eucharistiâ agere, quia hæc veritas ab hæreticis nondum negata erat; sed simul de eâ loqui tanquam re omnino *certâ* et *notâ*, quâ utuntur ad alia dogmata probanda aut illustranda.

A) *Sæc. II°*, hanc præsentiam realem tanquam omnibus notam supponunt : **a)** *S. Ignatius* reprobans Docetas, qui "ab eucharistiâ et oratione abstinent eo quod non confitentur eucharistiam carnem esse Salvatoris[2]"; **b)** *S. Justinus* describens celebrationem eucharistiæ quam declarat esse non communem panem, sed incarnati Verbi carnem et sanguinem[3]; **c)** *S. Irenæus* affirmans panem eucharisticum esse "corpus Domini et calicem esse sanguinem ejus[4]", eoque dogmate utens ad probandum, contra Gnosticos, materiam non esse malam, Verbum realiter esse incarnatum, et præsertim futuram esse corporum resurrectionem.

B) *Sæc. III° :* **a)** Patres Alexandrini, nempe *Clemens* et *Origenes*, quando ut testes fidei loquuntur, Eucharistiam vocant carnem et sanguinem Verbi; sed, cùm philosophantur, verbis utuntur quæ *symbolicam* præsentiam exprimere videntur; quæ tamen, contextu inspecto, significant carnem et sanguinem Christi vere quidem præsentia esse in Eucharistiâ, sed simul symbola esse spiritualis cibi quo Deus animas nostras pascit[5]; **b)** *Tertullianus* diserte asserit realem præsentiam dum scribit : "Caro corpore et sanguine Christi vescitur ut et anima de Deo saginetur[6]"; itaque, quando alibi dicit Eucharistiam esse *figuram* corporis Christi[7], intelligit figuram *non vacuam* sed quæ *veritatem ipsam continet*, prout ipse paulo infra declarat : "Panis et calicis sacramento jam in Evangelio probavimus corporis et sanguinis dominici veritatem[8]".

---

[1] J. Lebreton, l. c., 1567-1574; G. Bareille, in *Dict. de Théol.*, (*Mangenot*), V, 1121-1183.
[2] *Smyrn.*, VII, 1, *P. G.*, V, 713; Journel, 64.
[3] *Apol.*, I, 66, *P. G.*, VI, 428; Journel, 128.
[4] *Adv. hæres.*, l. IV, c. 18, n. 4-5, *P. G.*, VII, 1027; Journel, 234.
[5] J. Lebreton, l. c., 1568.
[6] *De resur. carnis*, 8, *P. L.*, II, 806; Journel, 362.
[7] *Adv. Marcion.*, IV, 40. — [8] Ibid., V, 8.

C) *Sæc. IV° :* a) *S. Cyrillus Hierosolym.*, catholicam doctrinam catechumenis exponens, declarat panem et vinum, consecratione peractâ, fieri corpus et sanguinem Christi, ita ut christiani, corpus et sanguinem Christi sumentes, vere efficiantur ipsi concorporei et consanguinei [1]; quando igitur panem et vinum vocat *antitypum* corporis et sanguinis Domini, certo significat his elementis *vere contineri* ejus corpus et sanguinem; quod et explicite affirmant *Theodorus Mopsuest.*, *S. Joannes Chrysost.* et alii [2]; b) nec minus lucide idem docent : *S. Hilarius :* " De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus [3] "; et *S. Ambrosius :* " Et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est... vera utique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est [4] ".

c) Inveniuntur quidem apud *S. Augustinum* locutiones quæ significare videntur Christum *symbolice*, non autem realiter esse præsentem in Eucharistiâ. — Sed multi sunt alii textus in quibus explicite *realis* affirmatur præsentia, v. g.: " Quod videtis, panis est... quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix autem sanguis Christi [5] ". Exponens verba : *Ferebatur manibus suis* [6], scribit : " Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait : Hoc est corpus meum; ferebat enim illud corpus in manibus suis [7] ". Quare dubia verba secundum ea quæ clariora sunt intelligi debent; videlicet quando dicit eucharistiam esse *figuram* corporis Christi, ita significat partem visibilem sacramenti esse figuram Christi *realiter præsentis;* quando asserit manducare corpus Christi nihil aliud esse nisi manere in Christo, non excludit *realem* manducationem ejus corporis (quam alibi clare docet), sed significat hanc esse symbolum spiritualis manducationis quâ Christo unimur et ejus vitæ participes efficimur.

Patres igitur *realem* et non symbolicam Christi præsentiam in Eucharistiâ voce unanimi docuerunt; si quandoque verbis utuntur dubiis, hæc, inspecto contextu, non excludunt, sed potius supponunt corpus Domini vere et realiter esse præsens sub visibilibus symbolis quæ ejus præsentiam denotant.

1049. 2° **Ex liturgiis,** sive orientalibus sive occidentalibus, quæ omnes, etiam antiquissimæ, realem Christi præsentiam explicite asserunt aut manifeste supponunt. Ita, v. g., in *Constitutionibus apostolicis*, Deus rogatur " ut

---

1 *Cateches.*, XIX, 7; XXI, 3; XXII, 1-9; *P. G.*, XXXIII, 1072, 1089, 1097-1104; JOURNEL, 840, 842-848.
2 Cf. JOURNEL, 1113, 1179, 1180.
3 *De Trinitate*, VIII. — 4 *De mysteriis*, 53.
5 *Sermo* CCLXXII, *P. L.*, XXXVIII, 1246; cf. XLVI, 834.
6 *I Reg.*, XXI, 13 (secundum versionem *Septuaginta*).
7 *Enarrat. in psalm.* XXXIII, I, 10, *P. L.*, XXXVI, 306.

exhibeat panem hunc corpus Christi et calicem hunc sanguinem Christi ", posteaque episcopus, dum tradit hostiam, ait : Corpus Christi; pariter in *Sacramentario Serapionis* († 358) fit oratio ut panis fiat corpus Verbi, posteaque additur panem factum corpus Christi esse pharmacum immortalitatis [1]. Et ita de ceteris. Jamvero in his libris invenitur authentica expressio fidei universalis Ecclesiæ.

3° **Ex praxi Ecclesiæ**, qualis apparet : **a**) in ritu quo fideles, teste *S. Augustino* [2], Eucharistiam adorabant antequam acciperent; **b**) in martyrio *S. Tarcisii*, qui, teste S. Damaso [3],

Ipse animam potius voluit dimittere cæsus
Prodere quam canibus rabidis *cælestia membra* ";

c) in inscriptionibus quibus ἰχθύς, " quem prehendit virgo illibata [4] ", edendus proponitur; **d**) in picturis quibus figuratur vas lacte plenum, nimbo coronatum, vel piscis vivus aquis innatans et super dorsum ferens canistrum in quo continentur panis et vinum [5].

4° Argumento **præscriptionis**, ut supra, n. 961.

§ II. De modo præsentiæ realis.

Quatuor declarabimus : 1° modum quo Christus *fit præsens;* 2° modum quo *existit* in Eucharistiâ; 3° *permanentiam* ejus præsentiæ; 4° *cultum* Eucharistiæ debitum.

I. *De modo quo Christus fit præsens in Eucharistiâ seu de transsubstantiatione.*

1050. 1° Errores. a) Lutherus docuit Christum præsentem esse in Eucharistiâ per *consubstantiationem*, i. e., simul *cum* vel *in* aut *sub* pane et vino, ita ut, juxta ipsum, sensus verborum consecrationis sit : Hìc (adverbialiter) est corpus meum.

b) *Osiander* admisit *impanationem*, seu unionem hypostaticam Christi cum pane et vino.

c) *Hodie* præcipui Lutherani inter panem et corpus Christi agnoscunt unionem quam vocant *sacramentalem*, vi cujus simul cum pane et vino accipimus verum corpus et verum sanguinem Christi, haudquaquam mutatis pane et vino.

---

[1] G. Bareille, l. c., 1140, 1142. — [2] In Ps. XCVIII.
[3] Kirch, *Enchiridion font. historiæ*, n. 523.
[4] *Epitaph. Abercii*, ap. Kirch, 133.
[5] R. Bour in *Dict. de Théol.* (*Mangenot*), V, 1187, 1193.

1051. 2° **Thesis** : *Christus fit præsens in Eucharistiâ per transsubstantiationem, i. e., per conversionem totius substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem ipsius, manentibus duntaxat speciebus.* De fide est, ex *Trident.*[1]: " Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini, una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime *Transsubstantiationem* appellat, A. S. "

Explicatur. a) Duplex elementum in pane distinguitur : unum intimum, sensibus impervium, quod vocatur *substantia;* alterum externum et sensibile, quantitas scilicet dimensiva cum qualitatibus sensibilibus, sapore, odore, colore, etc., quæ vocantur *accidentia*, *species*, aut a quibusdam, minus recte tamen, *apparentiæ.*

b) Vi consecrationis, substantia tota panis *convertitur* in substantiam corporis Christi; ad quod duo certe requiruntur : 1) ut substantia panis esse desinat et corpus Christi incipiat esse, 2) ut adsit connexio inter desitionem prioris et successionem posterioris; insuper, juxta *Thomistas*, tertia conditio exigitur, videlicet ut quid commune in priori existens, in posteriori remaneat. Hinc transsubstantiatio non est *creatio*, quæ productionem alicujus entis involveret sine relatione ad aliud; nec *consubstantiatio*, quæ importat præsentiam simultaneam substantiæ panis et substantiæ corporis Christi; nec *impanatio*, quæ unionem hypostaticam inter substantiam panis et substantiam corporis Christi includit[2].

c) *Tota substantia* panis et vini convertitur, et exinde : 1) non est mutatio *accidentalis*, sed *substantialis;* 2) neque mutatio substantialis *partialis*, ut evenit, v. g., in generatione aut corruptione corporis viventis, in quâ forma tantùm substantialis mutatur, remanente materiâ primâ; sed *totalis*, et exinde " mirabilis et singularis ", ut ait *Tridentinum.*

---

[1] Sess. XIII, can. 2, DENZ.-BANN., 884 (764).

[2] A quo errore non satis recedit opinio cujusdam doctoris recentis a *S. Officio*, 7 jul. 1875, damnata (DENZ.-BANN., 1843 (1684), asserens nempe naturam panis manere integram, sed aliquo modo sustentari in corpore Christi. — Aliena est pariter a catholicâ doctrinâ opinio *Rosmini*, juxta quam " substantia panis et vini fit vera caro et verus sanguis Christi, quando Christus eam facit terminum sui principii sentientis... eo ferme modo quo panis et vinum vere transsubstantiantur in nostram carnem et sanguinem ". (DENZ.-BANN., 1919 (1764).

d) Manent tamen *accidentia* seu *species* panis et vini, ita ut sensibus nihil immutetur in pane et vino.

1052. Probatur : A) *Script.* **a)** " Accepit Jesus panem... et ait : Hoc est corpus meum " : id est, juxta sensum obvium : quod in manibus teneo et videtur esse panis, non amplius est panis, sed corpus meum. Ergo, sub specie panis, substantia panis desiit esse et locum cessit substantiæ corporis Christi, manentibus tamen speciebus panis, quæ, ex contextu, sensus discipulorum afficiebant; ergo facta est vera transsubstantiatio.

b) Præterea, verba consecrationis excludunt : 1) *consubstantiationem :* Christus enim non dixit : *hìc* (adverbialiter) vel *in hoc* est corpus meum; sed : *hoc*, quod teneo in manibus meis, est corpus meum; quæ ultima enuntiatio, sensu obvio intellecta, esset falsa si panis substantia remaneret; 2) *impanationem*, nam important realem identitatem inter subjectum propositionis " *hoc* " et attributum " *corpus* " *:* quæ identitas non verificaretur in hypothesi impanationis seu unionis hypostaticæ inter panem et corpus Christi.

1053. B) *Traditione*, in quâ tria stadia distingui possunt :

a) *Tribus prioribus sæculis*, nonnisi *implicite* dogma catholicum traditur, quatenus nempe in variis locutionibus includitur; ita *S. Justinus*[1] asserit, per orationem verba Christi continentem, panem et vinum *eucharistizari*, id est, fieri carnem et sanguinem Christi; pariter *S. Irenæus* docet verbo Dei calicem et panem fieri eucharistiam sanguinis et corporis Christi[2].

b) *A quarto ad octavum sæculum* expressius affirmatur variisque comparationibus illustratur *conversio panis in corpus et vini in sanguinem Christi.* Juxta *S. Cyrillum Hierosol.*, sicut Dominus in nuptiis Canæ aquam in vinum transmutavit, ita in eucharistiâ vinum in sanguinem transmutat[3]; teste *S. J. Chrysostomo*[4], verbis consecrationis ita *transformantur* panis et vinum ut efficiantur corpus

---

[1] *Apol. 1ª*, c. 65-66, *P. G.*, VI, 427; JOURNEL, 128.
[2] *Adv. hæres.*, l. V, c. 2, n. 3, *P. G.*, VII, 1124; JOURNEL, 249.
[3] *Cateches.*, XXII, 2, *P. G.*, XXXIII, 1097; JOURNEL, 844.
[4] *Homil. 1ª* de prodit. Judæ, n. 6, *P. G.*, XLIX, 93; JOURNEL, 1157.

et sanguis Christi. Nec aliter *S. Ambrosius*[1] qui docet verbis consecrationis naturam panis mutari in id quod non erat, nempe in corpus Christi.

c) *A sæculo nono ad duodecimum*, occasione controversiarum de Eucharistiâ, *explicite* et *ex professo* exponitur transsubstantiatio. In opere *De corpore et sanguine Domini*[2] (an. 844), *Paschasius Radbertus*, monachus Corbeiensis, diserte testatur substantiam panis in Christi carnem efficaciter interius commutari, verbis consecrationis sanguinem effici quod antea vinum et aqua fuerat. — Sæc. XI°, *Berengarius Turonensis*, qui transsubstantiationem negaverat, hanc fidei professionem subscribere coactus est, quæ est ipsa doctrina a P. Radberto jam exposita : " Corde credo et ore confiteor panem et vinum quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis et verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Jesu Christi[3] ".

Verbum ipsum *transsubstantiatio* primùm apparet in operibus *Stephani de Baugé* Augustodunensis († 1140), et authentice a *C. Lateranensi IV* (1215) recognoscitur[4].

Sed doctrina ipsa, jam implicite in Scripturâ contenta, et variis comparationibus a Patribus illustrata, non est nova, sed, occasione controversiarum de Eucharistiâ, explicitiori modo expolita fuit, et conversio eucharistica apte transsubstantiatio appellata.

II. *De modo quo Christus existit sub speciebus eucharisticis.*

Duæ quæstiones solvendæ sunt : 1° num Christus sit *totus* sub *quâlibet* specie; 2° *quomodo* existat sub speciebus?

1054. 1° Thesis : *Christus est totus sub quâlibet specie, — et sub singulis cujusque speciei partibus post separationem factam, — imo ante separationem.* Duæ priores assertiones *de fide sunt*, tertia autem *theologice certa;* ait enim *Trid.*[5] : " Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub *unâquâque specie*, et sub *singulis cujusque speciei partibus*, separatione factâ, totum Christum contineri : A. S. "

---

[1] *De mysteriis*, IX, 52, *P. L.*, XVI, 406. — [2] VIII, 2.
[3] Denzing.-Bann., 355 (298).
[4] J. de Ghellinck, in *Dict. de Théol.* (*Mangenot*), V, 1287-1302; Denz.-Bann., 430 (357).
[5] Sess. XIII, can. 3, Denz.-Bann., 885 (765).

A) *Christus est totus sub quâlibet specie.* Probatur : a) *Script.* " Quicumque manducaverit panem hunc, *vel* biberit calicem Domini indigne, reus erit *corporis et sanguinis* Domini [1] ". Ex quibus verbis constat eum esse corporis et sanguinis Christi reum qui indigne sumit unam speciem : sequitur ergo sub solâ specie panis *vel* vini esse corpus *et* sanguinem Christi una cum ejus animâ et Divinitate quæ a corpore et sanguine sunt inseparabiles. b) *Rat. theol. :* si non essent sub unâquâque specie corpus, sanguis et anima Christi, Christus in Eucharistiâ moreretur; atqui teste S. Paulo [2] : " Christus resurgens ex mortuis jam non moritur ".

1055. B) *Christus est præsens sub singulis partibus cujusque speciei, separatione factâ.* Prob.

a) *Script.* In ultimâ cœnâ, Christus " accepto calice, gratias agens dedit (Apostolis) et biberunt ex illo omnes [3] ". Ergo sumendo partem vini consecrati, totum Christum recepit unusquisque Apostolus.

b) *Tradit.* Loquens de pane consecrato dicit *S. Ephrem* [4] *:* " Particula e micis ejus millia millium sanctificare valet ". *S. Cæsarius Nazianz.* [5] *:* " Corpus divinum absque sectione dividitur et absque defectu participatur."

c) *Rat. theol.* Vi *transsubstantiationis*, *substantia* panis et vini convertitur in *substantiam* corporis et sanguinis Christi; ergo primo et directe substantia corporis est sub speciebus panis, substantia sanguinis sub speciebus vini; ergo substantia corporis Christi est sub speciebus panis eo modo quo substantia panis erat sub speciebus; sed substantia panis et vini est tota in quâlibet parte, post separationem, cùm quælibet pars, post separationem, sit vere panis et vinum; ergo idem dicendum de substantiâ corporis Christi.

1056. C) *Christus est præsens sub singulis partibus cujusque hostiæ, etiam ante separationem.* Certum est : a) *Trident.* absolute et sine restrictione, declarat *totum et integrum Christum sub panis specie et sub quâvis ipsius*

---

1 *I Cor.*, XI, 27; cf. *Joan.*, VI, 58. — 2 *Rom.*, VI, 9.
3 *Marc.*, XIV, 23. — 4 *Hymni et sermones*, IV, 4, JOURNEL, 707.
5 *Dialog.*, III, 169, JOURNEL, 806.

speciei parte existere[1]; b) substantia corporis et sanguinis Christi est sub speciebus eo modo quo erat substantia panis et vini cujus locum tenet; sed, substantia panis est tota sub quâlibet parte, etiam ante divisionem, cùm substantia de se non habeat extensionem neque partes.

1057. 2° Quomodo *Christus sub speciebus eucharisticis existat?*

Doctrina catholica his verbis *Tridentini*[2] continetur : " Semper hæc fides in Ecclesiâ Dei fuit, statim post consecrationem *verum Domini* nostri *corpus verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie* una cum ipsius *animâ et divinitate existere;* sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie et vi verborum : ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utrâque vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur : divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et animâ hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est *tantumdem* sub *alterutrâ specie* atque sub *utrâque contineri : totus* enim et *integer* Christus, sub *panis specie*, et sub *quâvis* ipsius speciei *parte; totus* item sub *vini specie*, et sub *ejus partibus* existit ".

Proinde : a) *vi verborum* sub specie panis est corpus Christi, et sanguis sub specie vini, cùm corpus et sanguis tantùm *significentur* verbis consecrationis; b) *vi naturalis concomitantiæ*, sub specie panis sunt, una cum corpore, sanguis et anima Christi; sub specie vini, una cum sanguine corpus et anima, quia " Christus resurgens jam non moritur "; c) *vi supernaturalis concomitantiæ*, sub quâlibet specie est persona Verbi, quia unio hypostatica manet in æternum; d) *vi circumincessionis*, in Eucharistiâ, una cum Verbo sunt Pater et Spiritus Sanctus.

1058. **Corollarium.** Circa modum loquendi de Christo sub speciebus latente, hæc animadverte. a) Cùm corpus Domini sacramentale speciebus veluti alligetur, dici potest ipsum moveri, motis speciebus, sicut moto corpore anima movetur. b) Quia vero ejus corpus non est subjectum cui species inhærent, dici nequit ipsum esse rotundum, album etc. c) Cùm Eucharistiæ sacramentum sit unum compositum in quo corpus Christi sub speciebus continetur, quæ fiunt circa

[1] Sess. XIII, cap. 3, DENZ.-BANN., 876 (757). — [2] Sess. XIII, cap. 3.

accidentia possunt *figurate* de ipso Christo prædicari, v. g., dicere licet nos in Eucharistiâ Dominum videre, tangere.

III. *De permanenti præsentiâ Christi in Eucharistiâ.*

1° **Errores** : Circa permanentem Christi præsentiam in Eucharistiâ erraverunt *Lutherani :* alii cum *Bucero* tenent eum esse præsentem solum "*in usu*", id est, quando recipitur, non vero extra sumptionem; alii cum *Chemnitio* volunt ipsum adesse "*in totâ actione cœnæ*", sc. a consecratione usque ad communionem, non autem quando in pyxide servatur.

1059. 2° **Thesis** : *Christus permanenter existit in Eucharistiâ, independenter ab usu, quamdiu panis et vini species remanent incorruptæ.* De fide est ex *Trident.*[1] *:* "Si quis dixerit, peractâ consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, A. S."

Prob. A) *Script.* ex verbis institutionis, quæ fuerunt vera statim ac prolata, et prolata sunt *antequam* Apostoli sacram communionem susciperent.

B) *Tradit.:* a) ex praxi communionis domesticæ[2]; b) ex praxi asservandi Eucharistiam in vase argenteo vel aureo sub formâ columbæ aut turris[3]; c) ex praxi deferendi Eucharistiam ad absentes et ægrotos[4]; d) ex antiquissimâ disciplinâ celebrandi *missam præsanctificatorum.*

C) *Rat. conven.:* Eucharistia fuit instituta per modum cibi; sed cibus est quid permanens ex naturâ suâ.

IV. *De cultu Eucharistiæ debito.*

1060. 1° **Errores.** A) *Calvinistæ*, aliique Protestantes realem præsentiam Christi rejicientes, eo ipso cultum Eucharistiæ tribuendum esse negant. B) Multi etiam *Lutherani*, licet realem præsentiam admittant, adorandam esse Eucharistiam denegant, ut quid contrarium institutioni Christi.

[1] Sess. XIII, c. 4, DENZ.-BANN., 886 (766).
[2] Cfr. TERTULLIANUS, *De Orat.*, n. 19; S. CYPRIANUS, *De lapsis*, n. 26; S. AMBROSIUS, *Lib. I de Excessu fratris sui Satyri*, n. 43.
[3] *Constit. apost.*, l. 8, c. 13.
[4] Cfr. S. JUSTINUS, *Apol.*, I, 67; S. DIONYSIUS ALEX., *Ep. ad Calosyrium.*

1061. 2° **Thesis :** *Christus in Eucharistiâ cultu latriæ est adorandus.*

Dicitur " Christus in Eucharistiâ ", quia adoratio nostra non sistit in speciebus eucharisticis, sed terminatur ad ipsum Dominum; species non magis adorantur *in se* quam vestimenta, quibus Jesus induebatur, dum viveret super terram.

Thesis *de fide* est, ex *Trident.*[1] : " Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festivâ peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras : A. S. "

Etenim Christus, cùm sit Deus et homo, est adorandus etiam cultu externo ubicumque invenitur.

1062. Unde pia et utilis est : a) praxis ab Ecclesiâ instituta, *exponendi SS. Sacramentum;* b) ac frequenter illud *visitandi*, in quo habemus Deum nostrum, amicum fidelissimum et maxime devotum, exemplar perfectum omnium virtutum. c) Optimo consilio instituta fuit *Commemoratio solemnis SS. Corporis D. N. J. C.* ad fidem fidelium magis ac magis excitandam.

§ III. Concordia hujus mysterii cum ratione.

1063. Prænotamus transsubstantiationem et modum quo Christus sub eucharisticis speciebus latet esse mysterium quod ratio penitus comprehendere nequit. Attamen ratio, fide adjuta, hujus mysterii aliquam intelligentiam adipiscitur tripliciter : 1° *philosophice expoliendo* ea quæ fides tradit; 2° ostendendo hoc mysterium *rectæ rationi non contradicere;* 3° imo *argumentis convenientiæ* idem suadendo.

I. *Scholastica expolitio mysterii.*

Tria declaranda sunt : a) *natura specierum* eucharisticarum; b) *specialis status corporis et animæ Christi* in

[1] Sess. XIII, c. 6, Denz.-Bann., 888 (768).

Eucharistiâ; **c)** *natura conversionis* panis et vini in corpus et sanguinem Christi.

1° Natura specierum eucharisticarum.

Hìc duplex quæstio exsurgit, nempe num species panis et vini, quæ post consecrationem manent, *objectivam habeant realitatem*, et *quomodo* sine substantiâ *subsistant*.

1064. A) *Theologice certum videtur speciebus eucharisticis objectivam realitatem inesse* [1]. Etenim : **a)** *Patres*, ad confutandos Monophysitas, aliquando probant realitatem humanæ naturæ Christi ex realitate specierum panis et vini quæ, peractâ consecratione, manent visibiles et tangibiles quales erant prius; **b)** *Theologi*, a. sæc. IX° ad XVII^um, unanimiter docuerunt objectivam permanentiam accidentium panis et vini, non ut meram opinionem, sed ut rem certam in doctrinâ fidei : secus enim, inquiunt, eucharistia non esset sacramentum, quia deficeret signum sensibile; **c)** hæc doctrina confirmata videtur a C. *Constantiensi* (1415), quod sequentes Wicleffi propositiones damnavit [2] : " Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in sacramento altaris. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento "; ex quo sequitur non manere substantiam, sed *manere accidentia* panis et vini; hoc autem nomine tunc significabatur objectiva realitas.

Unde rejiciendum est systema *veterum Cartesianorum*, qui dicebant species eucharisticas esse meras apparentias seu phænomena quæ Deus in sensibus nostris producit : ita enim minime salvatur objectiva specierum realitas.

1065. B) Ad explicandum vero *quomodo subsistant accidentia* seu qualitates panis et vini, remotâ substantiâ, *varia sunt systemata* quorum præcipua delineabimus.

a) *Recentes atomistæ*, ut *Tongiorgi* [3], asserunt divinam virtutem efficere ut in loco ubi erat panis, resistentia seu vis resistendi habeatur eodem modo et ordine quo a panis atomis exercebatur.

---

[1] Cfr. F. Jansen, *Accidents eucharistiques*, in *Dict. de Théol.* (*Mangenot*), V, 1368-1452.
[2] Denz.-Bann., 581-582 (477-478).
[3] *Instit. philosophicæ*, t. II, Cosmologia, 1869, n. 228-240.

Ex hoc sequitur manere extensionem, figuram, cohæsionem ac cetera accidentia, et undas luminosas ac sonoras in illâ superficie eodem modo modificari ac prius in superficie panis : unde nihil apparet immutatum sensibus nostris.

In hoc systemate salvatur quidem objectiva specierum realitas, sed non *remanet* numerice identicum aliquid panis et vini : quod est minus conforme *Tridentino* : " *manentibus* speciebus panis et vini ", et dictis Patrum et theologorum.

1066. b) *Dynamistarum* systema sic proponit *Palmieri*[1] : " Supponimus substantiam propriam corporis panis et vini non esse nisi materiam ponderabilem .. Fac igitur desinere omnem substantiam panis et vini, Deumque efficere ut materia imponderabilis, quæ illis commixta erat, sensibiliter resistat in eodem spatio quemadmodum prius resistebat corpus : habebis eadem phænomena, et quidem objectiva, h. e. a causâ existente *a parte rei* determinata, quæ prius habebas ".

In hoc systemate servatur quidem objectiva realitas specierum, sed ponitur præter accidentia aliqua substantia, scilicet materia imponderabilis : unde non satis verificantur verba *Tridentini* : " manentibus *duntaxat* speciebus[2] ".

1067. c) Juxta *Thomistas* et plerosque theologos omnium scholarum, species eucharisticæ sunt *ipsa accidentia panis et vini*, sine subjecto seu substantiâ subsistentia. Distinguunt enim scholastici in pane et vino, sicut in quâlibet corporeâ substantiâ, substantiam, cui competit esse *in se*, et accidentia, quæ substantiam afficiunt et in eâ sustentantur. Jamvero inter accidentia, alia sunt *absoluta*, quantitas scilicet et qualitates (sapor, odor, color, etc.) quæ substantiam entitate determinatâ perficiunt, alia *modalia* quæ absoluta gradu et mensurâ modificant, ut magnitudo quantitatis, intensitas qualitatis. Porro hæc omnia accidentia, absoluta et modalia, in substantiâ naturaliter sustentantur mediante quantitate quæ est eorum immediatum subjectum. Unde sufficit quod Deus per miraculum quantitatem ipse causaliter

---

[1] *Instit. philos.*, vol. II, 1875, Cosmol., th. 26.

[2] Nostris diebus *dynamismum* alio modo propugnavit LERAY, *La constitution de l'univers et le dogme de l'Eucharistie*, 1900, asserens accidentia panis et vini sustentari ab ipso corpore Christi " en ce sens que certains des éléments de ce corps, carbone, hydrogène, oxygène, azote, supportent réellement et en toute rigueur les accidents particuliers des éléments du pain qu'ils remplacent ". (*Annales de philosophie chrét.*, nov. 1901, p. 175). Quod systema confutavit LEHU in *Revue thomiste*, mars, mai, juillet 1901. Quoad cetera systemata, cf. JANSEN, l. c., 1444-1450.

sustentet, ut omnia accidentia permaneant sine substantiâ.

Hæc sententia nobis videtur esse retinenda, utpote magis consentanea : 1) *verbis consecrationis :* ut verificetur enuntiatio *Hoc est corpus meum*, requiritur ut pronomen *hoc* idem significet et sensibiliter demonstret initio et fine enuntiationis; quod contingit ex permanentiâ accidentium sensibilium panis, quasi diceretur : Quod continetur sub hâc magnitudine et his qualitatibus est corpus meum. Sic initio et fine, vox *hoc* idem significat et sensibus proponit, substantiam scilicet indeterminate sub hâc quantitate et his qualitatibus; 2) *auctoritati Patrum* necnon *auctoritati Ecclesiæ* damnantis articulos *Wicleffi*, ut supra dictum est, n. 1064.

2° De speciali statu Christi in Eucharistia.

1068. A) *Corpus Christi* est in Eucharistiâ : a) *non circumscriptive*, id est non loco commensuratur per quantitatem suam externam[1]; b) *non definitive*, cùm sit simul in pluribus locis, videlicet in cælo et in variis speciebus consecratis; c) sed *sacramentaliter*, id est modo hujus sacramenti proprio. Quisnam sit hic modus, aliquatenus indicat vox *transsubstantiatio.* Ex hâc *aptissimâ* appellatione deducitur corpus Christi esse in Eucharistiâ *per modum substantiæ*, ita ut loco non coextendatur per quantitatem suam externam. Corpus Christi est tamen in Eucharistiâ totum et integrum, cum suâ quantitate internâ et ordine membrorum suorum; sed quantitas interna Christi et figura sunt ibi *per modum substantiæ.*

Unde : 1) in Eucharistiâ Christus per se non occupat locum nec movetur localiter; sed est in loco et localiter movetur ratione accidentium panis et vini; 2) non potest agere aut pati actione corporeâ, quæ requirit extensionem localem.

1069. B) *Anima Christi* in Eucharistiâ, elicere potest omnes actus immanentes seu interiores, qui a sensuum exercitio non pendent, ut actus visionis beatificæ, caritatis et aliarum virtutum, cùm status eucharisticus nullo modo obstet operationibus spiritualibus.

---

[1] Quantitas *interna* consistit in multiplicitate et divisibilitate partium; quantitas *externa* autem in diffusione harum partium per spatium.

Nùm autem Christus in Eucharistiâ possit erga nos exercere sensus suos, ita ut nos videat oculis, auribus audiat, negant plerique theologi, quia exercitium sensuum implicat contactum externorum agentium in organa sensuum et hujusmodi contactus est impossibilis sine locali extensione; — affirmant quidam theologi, ut Cardinales *Cienfuegos* et *Franzelin* qui putant vim sensuum Christi usque ad mundum externum per miraculum extendi.

3° De natura actionis qua convertitur panis in corpus Christi.

1070. Quæritur : A) *num desitio panis et vini sit annihilatio.*

a) Affirmant *Scotistæ* quia id annihilatur, cujus nihil omnino remanet. **b)** Negant *Thomistæ* et plerique alii theologi, quia, licet nihil panis remaneat, substantia non abit in nihil, sed transit in corpus Christi.

1071. B) *Quænam sit natura actionis, quâ Christus fit præsens in Eucharistiâ.*

a) *Scotistæ* putant illam actionem esse *tantum adductivam*, " non quia corpus Christi per hanc adductionem deserat suum locum in cælo, vel quia per motum localem huc de cælo adducatur; sed solum quia per eam fit, ut corpus Christi, quod antea erat in cælo, jam etiam sit sub speciebus panis [1] ".

Hujusmodi explicatio rejicienda videtur, quia conversioni *substantiali* adscribit terminum *accidentalem*, scilicet meram præsentiam Christi sub speciebus.

b) Quâ ratione moti, *Suarez*, *Lessius* et *Thomistæ* non pauci, tenent illam actionem esse *reproductivam*, quatenus Christus per consecrationem acquirit novum essendi modum, ac proinde reproducitur.

Attamen hæc explicatio transsubstantiationem quasi scindit in duas actiones, *desitionem* scilicet panis et corporis Christi *reproductionem*. Eodem vitio laborat Scotistarum systema.

c) Unde melius *Card. Billot* [2], qui pro suâ sententiâ veteres scholasticos allegat, præsertim *S. Thomam* ac *S. Bonaventuram*, docet transsubstantiationem non esse

---

[1] Bellarminus, l. III, c. 13.

[2] *De Sacramentis*, q. 75, p. 314 ed. 1896. Cf. J. Pra, *Etude théologique sur l'Eucharistie*, in *Quest. Eccles.*, p. 38 sq.

unius substantiæ destructionem et alterius subrogationem per adductionis vel productionis viam, sed esse *veram conversionem* quâ Deus immediate quidquid entitatis est in substantiâ panis mutat in id quod est entitatis in substantiâ corporis Christi, ita tamen ut corpus Christi nullomodo mutetur, sed tota mutatio fiat in pane, cujus substantia transit dum remanent dimensiones. Juxta hanc expositionem, Christus in consecratione nil patitur, nil recipit, sed fit præsens ubi antea non erat, non quidem localiter, sed sacramentaliter, ex hoc solo quod, vi conversionis, jam continetur realiter sub dimensionibus panis, sub quibus substantia panis antea continebatur.

II. *Dogma catholicum rectæ rationi non repugnat.*

1072. A) *Non repugnat corpus Christi esse simul in cælo et super omnia altaria in quibus panis et vinum consecrantur.*

Etenim corpus Christi est *localiter* in uno tantum loco, scilicet in cælo, et alibi est *per modum substantiæ :* unde non potest dici quod a seipso distet aut dividatur, cùm in Eucharistiâ ordinem corporeum transcendat : ita anima mea quæ est simul in capite et in pedibus, a seipsâ non distat nec dividitur.

1073. B) *Similiter nulla repugnantia adest ex parte accidentium.*

a) Circa accidentia : 1) sensus non decipiuntur quia revera manent post consecrationem extensio, figura, color, sapor, odor., etc. panis et vini ; 2) intellectus non decipitur, quia, a Deo per fidem monitus, credit subesse non substantiam panis et vini, sed corpus et sanguinem Christi.

b) Quod autem per sacramenti manducationem homo *nutriatur*, hoc non indicat permanere post consecrationem substantiam panis. Etenim " miraculose accidentibus confertur quod subsistant, quod est proprium substantiæ, et per consequens quod omnia possint facere et pati quæ substantia posset facere et pati, si substantia adesset[1] ".

c) Nec repugnat accidentia remanere sine subjecto. Nam Deus certe potest facere per se quidquid facit per causas

[1] S. THOMAS, *Cont. Gent.*, l. IV, c. 66.

secundas; sed, ante consecrationem, Deus sustinebat accidentia, mediante substantiâ panis et vini; ergo, post consecrationem, potest per se eadem sustentare.

III. *Realis præsentia argumentis convenientiæ suadetur.*

1074. A) *ex parte Dei :* a) ejus *potentia* clarificatur portentis transsubstantiationis, multiplicis præsentiæ eucharisticæ, permanentiæ accidentium sine subjecto, quibus Deus mirabiliter apparet universæ creaturæ auctor et dominus; b) *sapientia* illucescit in tam aptâ ordinatione mediorum ad gloriam Dei et salutem animarum promovendas : innumeris in altaribus, ab ortu solis usque ad occasum, divina Majestas adæquate adoratur; vita supernaturalis fidelium Agni inviolati manducatione nutritur et augescit : " O res mirabilis ! manducat Dominum pauper, servus et humilis "; c) *bonitas* manifestatur dispensatione sacramenti quo veluti profuse divinæ largitiones in nobis affluunt.

1075. B) *Ex parte hominis :* a) *fides* multipliciter exercetur quotidianâ mysterii frequentiâ in quo tam multa, imo omnia dogmata involvuntur; b) *spes* erigitur per stupendam facilitatem ad " thronum gratiæ " accedendi " ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno[1] "; c) *caritas* fovetur *erga Deum* usu sacramenti quo Christus suos " in finem diligit[2] "; *erga proximum* etiam : " Quoniam unus panis, *unum corpus* multi sumus, omnes qui de uno pane participamus[3] "; d) *religio* promovetur per præsentiam Dei mirabilem, per sacrificium infiniti valoris; e) uno verbo, *sanctitas* undequaque perficitur, gratiâ et exemplo omnium virtutum, humilitatis imprimis, patientiæ, obedientiæ et paupertatis.

ART. II. DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

§ I. De existentiâ et naturâ hujus sacramenti.

1076. 1° **Thesis** : *Eucharistia est verum et proprie dictum N. Legis sacramentum.* De fide est ex *Trident.* (n. 960).

Ex textibus enim *Scripturæ* supra allatis tria elementa ad sacramentum necessaria invenire licet in Eucharistiâ:

---

[1] *Heb.*, IV, 16. — [2] *Joan.*, XIII, 1. — [3] *I Cor.*, X, 17.

a) *signum sensibile*, scilicet species panis et vini : " accepit Jesus *panem*... et accipiens *calicem*[1] "; b) *gratiæ productivum :* nam, teste Christo[2], Eucharistia vitam æternam præbet, ac proinde gratiam, quæ est medium necessarium ad illam attingendam ; insuper, ex dictis, Eucharistia continet totum Christum, gratiæ fontem, ac proinde gratiam producere debet; c) *a Christo permanenter institutum :* institutio enim propriis terminis describitur ab Evangelistis, et quidem ut permanens exhibetur, cùm Dominus Apostolis dixerit : " Hoc facite in meam commemorationem ".

Sacramentum autem Eucharistiæ *convenienter* in ultimâ Cænâ institutum fuit : a) ratione *contenti :* congruum erat Christum seipsum Apostolis reliquisse sub sacramentali specie eo præcise instanti quo discessurus erat; b) ratione *significationis :* Eucharistia est signum rememorativum passionis Domini, sine quâ non potest esse salus; ergo conveniebat hujusmodi signum nonnisi imminente passione institui; c) ratione *finis :* Eucharistia est pignus amoris et ad inflammandam caritatem ordinatur; atqui ea quæ ultimo dicuntur et aguntur ab amicis magis memoriæ commendantur et inflammant affectum.

1077. 2° **Natura.** Eucharistia, prout sacramentum, definitur : *Sacramentum N. L., in quo, sub speciebus consecratis panis et vini, corpus et sanguis Christi vere, realiter et substantialiter continentur, ad producendam gratiam per modum spiritualis alimoniæ.*

1078. **Quæritur** autem in quo consistat ejus *essentia.*

Alii, ut *Sylvius*, dixerunt hanc essentiam consistere in ipso corpore Christi; sed immerito, cùm corpus Christi in Eucharistiâ non sit sensibile. Alii, post *Suarez*, tenent sacramentum æque constare speciebus et corpore Domini.

Probabilior autem doctrina est essentiam hujus sacramenti repositam esse in *speciebus consecratis*, quippe quæ gratiam *significent* datam per modum alimenti, et *causent* quia continent ipsum gratiæ fontem. Confirmatur ex his verbis *Catechismi Romani*[3] : " Ipsæ autem panis et vini species veram et absolutam sacramenti rationem habent ".

---

[1] *Matt.*, XXVI, 26-27.

[2] " Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum " (*Joan.*, VI, 55).

[3] Part. 2, n. 8.

Hinc Eucharistiæ sacramentum, licet sub duabus speciebus contentum, est tamen *unicum Sacramentum*, cùm 1) *Trident.* definierit septem esse sacramenta, nec plura nec pauciora; 2) duæ species unicam rem significent et producant, nempe gratiam per modum refectionis : ad perfectam enim refectionem requiruntur cibus et potus.

§ II. De materiâ et formâ.

I. *De materiâ.*

Materia *remota* Eucharistiæ est panis et vinum; materia autem *proxima* sunt species panis et vini consecratæ.

1079. 1° **De pane** : **A**) *Solus panis triticeus est materia valida Eucharistiæ.* Contra *Calvinistas* qui tenent, pane et vino deficiente, adhiberi posse quidquid cibi et potûs rationem habet, *de fide est*, ex *Trident.*[1], panem esse materiam; *certum est* panem illum triticeum esse debere.

Siquidem illud est materia necessaria Eucharistiæ, quod Christus ipse adhibuit et adhiberi præcepit. Atqui Christus, instituendo Eucharistiam, **a**) panem triticeum adhibuit : " Jesus, accepto pane, gratias egit, etc. dicens : Hoc est corpus meum[2] "; jamvero panis simpliciter, sine addito, est panis triticeus : quod confirmatur traditione et praxi omnium Ecclesiarum; **b**) eumdem præscripsit adhiberi, cùm dixit : " Hoc facite in meam commemorationem. "

1080. **B**) *Valide conficitur Eucharistia tum in azymo pane, tum in fermentato.* Constat ex *Florentino*[3] : " *Definimus*... in azymo sive in fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici." Et merito : nam uterque panis, sive fermentatus, sive azymus, est verus panis.

1081. 2° **De vino.** **A**) *Vinum de vite ex uvis maturis expressum, est materia necessaria secundæ consecrationis.* Constat declaratione Florentinâ[4] et Tridentinâ[5], et praxi Christi.

---

[1] Sess. XIII, cap. 3, DENZ.-BANN., 876 (757). — [2] *Luc.*, XXII, 19.
[3] *Decretum pro Græcis*, DENZ.-BANN., 692 (587). — Quoad *liceitatem*, cfr. *Brevior Syn. mor.*, n. 890.
[4] *Decretum pro Armenis*, DENZ.-BANN., 698 (593).
[5] Sess. XIII, c. 1, DENZ.-BANN., 874 (755).

1082. B) *Vino consecrando paululum aquæ naturalis admisceri debet, non quidem de necessitate sacramenti, sed vi præcepti graviter obligantis.* Siquidem " monet S. Synodus (Trident.[1]) præceptum esse ab Ecclesiâ sacerdotibus ut aquam vino in calice offerendo miscerent ".

Certum autem videtur aquam hujusmodi simul cum vino converti in sanguinem Christi : 1) supponit enim *Trid.*[2] nil amplius remanere, post consecrationem, nisi species panis et vini ; 2) supponunt et verba consecrationis totum, quod erat in calice, converti in sanguinem Christi.

1083. 3° **De consecratione panis et vini.** A) Consecratio utriusque speciei necessaria est præcepto divino. Constat ex verbis Christi prout usu constanti intellecta fuerunt : " Hoc facite in meam commemorationem "; quibus præcepit Apostolis ut consecrarent sicut ipse fecerat.

B) *Controvertitur* num una species valide consecrari possit sine alterâ. Certum est quidem consecrationem esse validam, quando sacerdos alteram consecrare intendit, quamvis de facto, propter aliquem defectum, eam non consecraverit ; sed quando sacerdos alteram consecrare non intendit, res dubia est; communior sententia affirmat, quia super speciem quam consecrare intendit, sacerdos pronuntiat verba sacramentalia quæ debent efficere quod significant ; *Lugo* tamen *negat*[3], quia sacramentum a sacrificio separari non potest et sacrificium requirit consecrationem utriusque speciei : unde sacerdos intendens consecrare unam tantùm speciem, non sufficienter intendit facere quod fecit Christus.

II. *De formâ.*

1084. A) *Certum est* ad validam consecrationem corporis Christi requiri verba : " Hoc est corpus meum "; item ad consecrationem sanguinis, verba : " Hic est calix sanguinis mei "; vel " Hic est sanguis meus ".

Siquidem Dominus adhibuit præfata verba ; sed, ut ait *Florent.*[4] : " forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum.

1085. B) *Certum est* ad validam consecrationem non requiri *epiclesim* seu preces quibus postulatur ut panis con-

---

[1] Sess. XXII,, cap. 7, DENZ.-BANN., 945 (822).
[2] Sess. XIII, c. 2, DENZ.-BANN., 884 (764) — [3] Disp. XIX. n. 104.
[4] *Decret. pro Armenis,* DENZ.-BANN., 698 (593).

vertatur in corpus, vinum in sanguinem Christi. Etenim : a) rubrica non præcepit hæc verba essa resumenda quando consecratio quæ fuit irrita, suppleri debet; b) *Pius VII* hanc opinionem reprobavit [1].

1086. C) *Valde probabiliter* tenetur, contra *Scotum*, verba : " Qui pridie quàm pateretur... " non esse ad validitatem necessaria, quia etiam sine his, sacerdos in personâ Christi loquitur.

1087. D) *Controvertitur* num ad consecrationem validam sanguinis Christi requirantur verba : " novi et æterni testamenti, etc. "

a) *Affirmant* multi *Thomistæ* quia : 1) pleraque in Evangelio continentur, cetera autem nobis per *Traditionem* transmissa sunt; 2) sensus propositionis non est completus nisi postquam pronuntiata fuerunt.

b) *Negant* alii theologi, quia : 1) nullus Evangelista ea integra refert, imo quædam ex eis a nullo Evangelistâ dantur; insuper quædam ex eis non inveniuntur in Liturgiis Græcis; 2) sensus propositionis sat completus est quando verba " *sanguis meus* " pronuntiata fuerunt.

§ III. De effectibus sacramenti Eucharistiæ.

I. *De gratiâ Eucharistiæ propriâ*

1088. 1° *De fide est Eucharistiam non conferre per se primam gratiam, seu remissionem peccatorum mortalium.* Ex *Trident.* : " Si quis dixerit vel præcipuum fructum SS. Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex eâ non alios effectus provenire : A. S.[2] "

a) S. Paulus præcipit ut ante Eucharistiæ susceptionem "probet seipsum homo [3] " : quod b) tota Traditio intelligit de perfectâ pænitentiâ; ita *S. Cyprianus* graviter reprehendit illos qui sacram communionem recipiunt " nondum pænitentiâ actâ, nondum exomologesi (confessione) facta, nondum manu eis ab episcopo et clero impositâ [4] ".

1089. 2° *Eucharistia confert gratiam secundam per modum alimoniæ spiritualis.* a) Christus enim dixit :

---

[1] *Ad Patriarch. Melchit.*, 8 maii 1822.
[2] Sess. XIII, can. 5, Denz.-Bann., 887 (767). — [3] *I Cor.*, XI, 29.
[4] Ep. 16, n. 2, Journel, 569.

" Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus[1] "; b) *Trident.* declarat Christum instituisse hoc sacramentum " tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur[2] ".

1090. 3° *Hoc gratiæ augmentum consistit principaliter in majori gradu caritatis erga Christum et proximum.*

a) Christus dixit : " Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo[3] "; et de caritate erga proximum addit *S. Paulus :* " Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus[4] ".

b) Revera : 1) proprium est *alimenti* ut unum fiat cum comedente eumque intime suâ virtute perficiat; 2) proprium est *convivii* ut convivantes ad mutuum amorem incitentur; 3) quod ex ipsâ *materiâ* hujus sacramenti optime illustratur : " panis enim ex multis granis conficitur, et vinum multitudine racemorum existit[5] "; quibus admonemur ad efformandum cor unum et animam unam.

Hæc autem unio est : a) *corporalis*, quia Dominum suscipimus non in figurâ, sed vere et realiter per os corporeum, ita ut corpus nostrum corpori ejus uniatur mediantibus speciebus; b) *spiritualis* et *mystica*, quia, postquam Christus a nobis per modum cibi sumptus est, anima ejus spiritualiter animæ nostræ conjungitur, imo et unita remanet unione speciali vi cujus curam singularem habet animæ propriumque spiritum eidem instillat, ita ut cum *Paulo* fiducialiter dicere possimus : " Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus[6] ". Et sane " sicut si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum alterâ per totum commisceat necesse est, sic qui carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso et ipse in Christo inveniatur[7] ".

1091. 4° *Eucharistia confert etiam ex opere operato gratiam actualem devotionis et fervoris, cum speciali spiritûs suavitate ac dulcedine.* Certum est; nam, ut canit Ecclesia, " panem de cælo præstitisti eis omne delectamentum in se habentem[8] ".

---

[1] *Joan.*, VI, 56. — [2] Sess. XIII, cap. 2, DENZ.-BANN., 875 (756).
[3] *Joan.*, VI, 57. — [4] *I Cor.*, X, 17.
[5] *Catech. Rom.*, de Euch., n. 15. — [6] *Galat.*, II, 20.
[7] S. CYRIL. ALEX., *lib. 10 in Joan.*, c. 2, JOURNEL, 2116.
[8] *Breviar. Rom.*, in festo Corporis Christi, ad Vesp.

1092. Quæ delectatio procedit immediate ex exercitio amoris. Revera " gaudium amorem consequitur "; " nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum sicut caritas, nec aliqua ita delectabiliter operatur[1] ". Unde nil mirum sacramento amoris ita cor nostrum urgeri[2] ut curam sæculi hujus et sollicitudinem deponat, et experiatur " dulcedinis divinæ in nos fluentis in hoc sacramento, abundans et inundans delectamentum[3] ".

Advertendum est tamen hanc delectationem non semper contingere : **a**) sive præ indispositione hominis temporalibus curis etiam legitime occupati et distracti, aut rerum temporalium nimio affectu præpediti, aut adversâ corporis valetudine gravati ; **b**) sive præ speciali Dei providentiâ ad hominem salutari exercitatione castigandum et purificandum.

In praxi maximi refert post communionem cum Christo in cubiculo cordis cum silentio et quiete consistere, et ferventes actus caritatis elicere : ex quo semper continget spiritualis animæ refectio etiam sine sensibili dulcedine.

II. *De effectibus Eucharistiæ quoad peccata.*

1093. 1° *Eucharistia peccata venialia remittit.*

Ex *Trident.*[4] enim Christus Eucharistiam instituit " ut esset antidotum quo liberemur a culpis quotidianis ".

1094. *Disputatur* autem utrum hæc remissio fiat *directe* seu *ex opere operato* an *indirecte* seu *ex opere operantis*. Quidquid est, omnes fatentur sacramento Eucharistiæ remitti venialia indirecte seu *mediantibus actibus caritatis* quos elicimus ope gratiæ actualis vi sacramenti concessæ. Patet autem ea tantum peccata sic remitti quibus caritatis exercitium opponitur : nullum enim peccatum deletur nisi contritione saltem virtuali[5].

1095. 2° *Sacramentum Eucharistiæ remittit pœnam peccato debitam, non directe*, cùm institutum sit ad spiritualiter nutriendum uniendo magis ac magis cum Christo; sed *indirecte*, quia pœna temporalis remittitur mediantibus actibus caritatis quos sacramentum excitat, et quidem pro fervore horum actuum.

---

[1] S. THOM., 2ª 2æ, q. 23, a. 2 et 3. — [2] *II Cor.*, V, 14.
[3] B. ALBERTUS MAGNUS, *de Eucharistiâ*, dist. I, cap. 1.
[4] Sess. XIII, cap. 2, DENZ.-BANN., 875 (756).
[5] CARD. BILLOT, *de Euch.*, 1896, p. 505.

1096. 3° *Eucharistia confert ex opere operato gratias actuales quibus a futuris peccatis præservamur.* Certum est : a) ex verbis Christi : " Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum[1] "; b) ex *Trident.*[2] declarante Eucharistiam " esse antidotum quo a peccatis mortalibus præservemur " : c) quod fit, 1) concupiscentiam omnimodam seu inclinationem ad peccandum minuendo vel refrænando, saltem indirecte per fervorem caritatis; 2) dæmonum impugnationem repellendo; 3) mentem nostram illuminando et voluntatem roborando contra mundi blandimenta et terrores.

III. *De effectibus Eucharistiæ quoad corpus.*

1097. 1° *In vitâ præsenti, Eucharistiæ sacramentum aliquam efficaciam habet in corpore et appetitu sensitivo, moderando scilicet concupiscentiam.* Quod fit : a) indirecte per fervorem caritatis; b) directe, saltem probabilius, quatenus carnis nostræ libido temperatur, imaginatio quietatur, et appetitûs sensitivi passiones rationi subduntur.

1098. 2° *Pro vitâ futurâ : Eucharistia est pignus futuræ gloriæ, seu jus confert ad gloriosam corporis resurrectionem.* Certum est : a) ex verbis Christi[3] : " Qui manducat meam carnem,... habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die "; b) ex *Trident.*[4] asserente hoc sacramentum esse " pignus futuræ gloriæ et perpetuæ felicitatis ". c) Aliunde decebat Christum talem effectum promittere et procurare : 1) ad augendam nostram spem et nostram devotionem erga Eucharistiam; 2) ad ostendendam efficaciam viventis et vivificæ carnis Christi.

Hic autem effectus producitur : a) *moraliter*, juxta Suarez, in hoc sensu quod speciali titulo gloria dabitur corporibus eorum qui digne Eucharistiam perceperunt; b) imo et *physice*, ratione gratiæ sacramentalis Eucharistiæ quæ in animabus separatis remanet, juxta *Salmanticenses*.

1099. Corollarium. Sacramentum Eucharistiæ suum effectum producit eo instanti quo sacræ species manducan-

---

[1] *Joan.*, VI, 52. — [2] Sess. XIII, cap. 2, DENZ.-BANN., 875 (756).
[3] *Joan.*, VI, 55. — [4] Sess. XIII, cap. 2, DENZ.-BANN., 875 (756).

tur, seu ex ore in stomachum trajiciunt. Sed insuper quærunt theologi nùm hoc sacramentum gratiam causet ex opere operato toto tempore quo species incorruptæ manent in stomacho. a) Alii negant, quia ex verbis Christi sacramentum Eucharistiæ videtur recipi et applicari per manducationem : "Qui manducat meam carnem..." b) Alii cum *Cajetano*, *Suarez* et *Lugo* affirmant, quia Eucharistia est cibus spiritualis; atqui cibus non solum operatur tempore quo sumitur, sed quamdiu in stomacho manet. Quidquid est, maximi interest intra tempus gratiarum actionis fervidis orationibus attrahere Spiritum Christi[1].

ART. III. DE SACRIFICIO MISSÆ.

Prænotanda.

1100. 1° **De sacrificiis in genere.** a) Sacrificium, cujus definitionem tradidimus, n. 794, est actus cultûs publici quo significatur et defertur honor debitus soli Deo.

b) Porro hic cultus Deo reservatus reponebatur olim in rei sensibilis oblatione *per* ejus realem aut æquivalentem destructionem in honorem Dei : ita sub veteri lege holocausti victima mactabatur et igne consumebatur, oleum effundebatur. Hujusmodi oblatione et destructione supremum Dei dominium agnoscebatur, cruentum Christi sacrificium præfigurabatur.

c) Tempore autem ab æterno præfinito Christus in cruce semetipsum obtulit Deo per veram et cruentam mactationem, ut jam probatum est, n. 792. "Quia vero per mortem sacerdotium ejus exstinguendum non erat"[2], in cœnâ novissimâ sacrificium instituit quo cruentum sacrificium in cruce peragendum repræsentaretur, nempe sacrificium missæ.

1101. 2° **De sacrificio missæ.** Communiter definitur : *Sacrificium novæ Legis, in quo Christus offertur et mystice immolatur sub speciebus panis et vini, per hominem ministrum pro Ecclesiâ ad agnoscendum Dei dominium supremum, nobisque applicandum satisfactiones et merita suæ passionis.* Quod ex dicendis explicabitur.

---

[1] De subjecto et ministro Eucharistiæ vide *Brev. Syn. mor.*, 893-910.

[2] *Heb.*, VII, 24; *Tridentinum*, Sess. XXII, cap. 1, DENZ.-BANN., 938 (816).

Dicemus : 1° de *existentiâ;* 2° de *essentiâ;* 3° de *effectibus* hujus sacrificii.

§ I. De existentiâ sacrificii Missæ.

1102. Thesis : *Missa est verum et proprie dictum sacrificium N. Legis.*

De fide est contra Novatores ex *Tridentino :* " Si quis dixerit in Missâ non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari : A. S.[1] "

Prob. 1° *Script.:* A) Ex vaticinio *Malachiæ*[2] *:* " Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda ".

a) Hìc prænuntiatur sacrificium *proprie dictum*, nam vox hebraica *minchah*, quæ latinæ voci *oblatio* respondet, hìc significat non simplicem oblationem, sed verum sacrificium, cùm eadem vox, versu 10, ad designanda vera Judæorum sacrificia usurpetur; insuper voces *muqtar*, *muggash*, quæ stant pro *sacrificatur* et *offertur*, de sacrificiis proprie dictis intelliguntur. b) Præterea hoc sacrificium 1) erit *novum*, cùm sit judaicis sacrificiis subrogandum; 2) *universale*, " ab ortu solis usque ad occasum "; 3) *incruentum*, cùm vox *minchah* designet sacrificium constans farinâ et polentâ aut libis; 4) *mundum* seu Deo gratum. Qui characteres, dùm simul neque sacrificio Aaronitico, neque sacrificio crucis, neque sacrificio bonorum operum conveniunt, apprime e contra competunt celebrationi Missæ, quæ est quid : 1) *novum*, quatenus veteribus sacrificiis successit, 2) *universale*, utpote celebratum ubique terrarum, 3) *incruentum*, optimeque vocabulo *minchah* respondens, 4) *mundum*, cùm hæc sit oblatio munda, quæ nullâ offerentium iniquitate possit inquinari[3].

B) *Ex verbis institutionis.* Christus enim non simpliciter dixit : " Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus ", sed addidit de corpore " quod pro vobis datur "

---

[1] Sess. XXII, can. 1, DENZ.-BANN., 948 (825). — [2] I, 10-11.
[3] Cfr. *Ps.* CIX, 4

τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, " quod pro vobis traditur ", et de sanguine " qui pro vobis effunditur " ἐκχυνόμενον; quæ verba præsentis temporis, in originali græco, referuntur non ad sacrificium crucis die sequenti offerendum, sed ad corpus et sanguinem Christi, prout sub sacramento continebantur. Atqui tales expressiones indicant corpus et sanguinem Domini Apostolis traditum fuisse in statu *victimæ*, ut satis apparet, et aliunde confirmatur ex locis parallelis ubi voces *dare*, *tradere* immolationem important : " Dilexit me et *tradidit* semetipsum pro me[1] "; " Dedit semetipsum pro nobis[2] ". Confirmatur ex *circumstantiis* quæ indicant eucharistiam institutam esse tempore quo paschale sacrificium offerebatur, et ut eidem substitueretur.

C) *Ex doctrinâ S. Pauli :* a) ex textibus quibus Christus exhibetur ut *sacerdos* " *secundum ordinem Melchisedech*[3] " et quidem " *in æternum*[4] ". 1) Ut enim advertit *S. Cyprianus*[5], Christus fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, non solum quia habuit sacerdotium Levitico sacerdotio præcellens, sed etiam quia " obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem ". 2) Si Christus habet sacerdotium perpetuum, utique etiam in terrâ, ut satis indicat textus Apostoli, usque in sæculi finem apud nos necesse est offerat per ministros. Quid autem, nisi suum corpus et sanguinem in Eucharistiâ?

b) *Ex locis ubi docet* christianos habere *altare*[6], et exinde verum sacrificium, quod æquiparat, imo anteponit S. Paulus sacrificiis judaicis. Hoc autem sacrificium nequit esse nisi eucharisticum, ut expresse explicat ipse Apostolus[7] : " Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?... Videte Israel secundum carnem : Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris? Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum ".

---

[1] *Galat.*, II, 20. — [2] *Tit.*, II, 14. — [3] *Psalm.* CIX, 4.

[4] " Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium ". *Heb.*, VII, 23-24.

[5] *Epist. 63* ad Cæcilium, n. 4, JOURNEL, 581.

[6] *Heb.*, XIII, 10. — [7] *I Cor.*, X, 16-22.

1103. 2° *Traditione :* A) *Per tria priora sæcula* Missa habetur ut sacrificium verum, a sacrificiis antiquæ legis distinctum, eaque complens et perficiens.

Ita auctor *Doctrinæ duodecim Apostolorum* (Didache) et *S. Justinus* animadvertunt in celebratione Eucharistiæ impleri vaticinium Malachiæ [1]; *S. Irenæus* declarat sacrificia Judæorum non amplius esse Deo acceptabilia, sed ab Ecclesiâ Deo offerri sacrificium panis et vini, a Malachiâ prænuntiatum, sacrificium corporis et sanguinis Christi, cujus oblatione fideles participes fiunt cælestium donorum [2]; *S. Cyprianus* totâ epistolâ ad Cæcilium disserit de sacrificio eucharistico quod offerri debet sicut " Dominus et Deus noster sacrificii auctor et doctor, fecit et docuit [3]", et accurate describit hujus sacrificii materiam.

B) *A sæc. IV° ad VI^um :* a) *Patres* ostendunt intimam esse connexionem inter sacrificium eucharisticum et sacrificium crucis, cujus est continuatio, et in utroque eamdem esse victimam.

Ita *S. Cyrillus Hierosol.* totum ritum sacrificii Missæ describit, ubi offertur eadem propitiationis victima ac in cruce [4]; *S. Joannes Chrysost.* docet Christum, sacerdotem et hostiam in cruce, quotidie a sacerdotibus offerri in memoriam ejus mortis : " Offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam [5] ". Quod lucidius etiam exponit *S. Augustinus :* " Hujus sacrificii caro et sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur [6] ".

b) Eâdem ætate, *liturgiæ* omnes, licet in multis ritibus discrepantes, disertis vocibus testantur Missam esse *plenum et verum sacrificium*, *oblationem et immolationem.*

C) *A sæc. VI° ad XIII^um*, non solum natura sed et *effectus* sacrificii Missæ describuntur, qui iidem esse dicuntur ac sacrificii crucis. Ita *S. Gregorius M.* narrat quomodo Justus monachus a purgatorio liberatus fuerit post triginta Missas pro eo celebratas [7]. *Paschasius Radbertus* testatur Redemptorem quotidie in altari peragere quod tempore passionis gesserat, ideoque fideles a peccatis quotidianis vi eucharistiæ

---

1 *Didache*, c. 14; *Dial. cum Tryph.*, n. 116, *P. G.*, VI, 746 sq.
2 *Adv. hæres.*, l. IV, c. 17, *P. L.*, VII, 1019 sq. — 3 *P. L.*, IV, 373.
4 *Cateches.*, XXIII, *P. G.*, XXXIII, 1110 sq.
5 *Homil. in ep. ad Hebr.*, XVII, 3, *P. G.*, LXIII, 131; JOURNEL, 1222.
6 *Contra Faustum*, XX, 21, *P. L.*, XLII, 385; JOURNEL, 1604.
7 *Dialog.*, l. IV, 55.

liberari[1]. Merito itaque concludit *S. Thomas* celebrationem eucharistiæ dici Christi immolationem, quâ participes efficimur fructûs dominicæ passionis[2].

3° *Rat. Theol.* Tanta est connexio inter religionem et sacrificium proprie dictum, ut, si posterius desit, prior sit incompleta et veluti manca; quod probant *divinæ litteræ*, ex quibus liquet religionem floruisse vel defecisse florentibus aut deficientibus sacrificiis; *Gentilium historia*, cùm, ubicumque religio vigeat, sacrificia quoque sint in usu; et *ratio ipsa*, quæ dictat supremum Dei dominium agnoscendum esse aliquo actu exteriori soli Deo exhibendo. Atqui, sublato sacrificio Missæ, nullum esset sacrificium in N. Lege, cùm sacrificium crucis, utpote in actu transitorio consistens, amplius non existat.

§ II. De essentiâ sacrificii Missæ.

Duo expendemus : 1° in *quânam actione* hæc essentia reponenda sit; 2° et sub quo *formali respectu* consideratâ.

I. *In quânam actione consistat sacrificium Missæ?*

1104. Tres sunt præcipuæ opiniones.

A) Juxta *Bellarminum*[3], nostri sacrificii essentia reponenda est tum in consecratione quâ offertur victima, tum in communione celebrantis, quâ victima destruitur.

B) Juxta *Card. de Lugo*[4], victima jàm destruitur per consecrationem quæ illam reponit in *statu decliviori*, attamen ipsa sumptio pertinet " ad substantiam et integritatem hujus sacrificii : nam per ipsam adhuc magis consumitur et destruitur victima ".

1105. C) Sententia longe communior docet essentiam sacrificii eucharistici in *consecratione solâ* consistere, ita ut communio ipsius sacerdotis ad ipsam oblationem sacrificam non pertineat, sed ei superaddatur tantum ex naturâ rei : victima enim, quatenus est sub speciebus panis et vini, ordinem dicit ad sumptionem.

Etenim, sacrificii Missæ essentia in eo reperiri debet, unde habet ut repræsentet cruentum sacrificium Crucis : siquidem

---

[1] *De corpore et sanguine Christi*, *P. L.*, CXX, 1294, 1328.
[2] *Sum. theol.*, 3, q. 83, a. 1. — [3] *De Missâ*, l. I, c. 27.
[4] *De Euch.*, disp. XIX, sect. 5.

ex *Trident.*[1] Christus in ultimâ Cænâ Ecclesiæ voluit relinquere " sacrificium quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret ". Atqui sumptio non est apta ad repræsentandum sacrificium crucis : siquidem in victimæ participatione per communionem nusquam agnita est ratio oblationis et sacrificii, sed tantum signum pacis et societatis inter Deum et homines. E contra in consecratione eucharisticâ invenitur passionis Christi memoriale et imago, ut apparebit ex quæstione sequenti.

II. *Sub quo formali respectu in consecratione adsit ratio sacrificii.*

1106. A) Ratio sacrificii *non consistit :*

a) in *destructione substantiæ panis et vini*, quia : 1) transsubstantiatio non est destructio (1071 C), 2) sequeretur panem et vinum, non Christum sacrificari;

b) nec in consecratione quatenus *destruitur panis ut producatur Christus*, sicut voluit *Suarez*[2] *:* videtur enim prorsùs absonum rem aliquam sacrificari quando et quatenus producitur;

c) nec in eo quod corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini ponuntur *in statu decliviori*, quatenus reducuntur ad statum cibi et potûs, ut volunt *Lugo*[3] et *Franzelin*[4] : etenim : 1) Christus in sacramento haud mutatur (1071 C); 2) constitutione suâ in statu cibi res non offertur Deo in sacrificium, sed in hominis usum accommodatur; 3) sacrificium eucharisticum non potest esse sine analogiâ ullâ cum modis offerendi inter homines ab initio usitatis; sed nunquam sacrificium exstitit per reductionem ad statum cibi; 4) in hâc explicatione nulla apparet similitudo cum sacrificio crucis;

d) nec in consecratione quatenus per eam cruentum sacrificium quod in cruce oblatum est, *repræsentatur*[5]*;* nam repræsentatio alterius sacrificii, *quatenus præcise est repræsentatio*, non sufficit ad peragendum actuale sacrificium;

e) nec in consecratione, in quantum est actio *de se* tendens ad veram et realem occisionem a quâ solum per accidens impeditur, sicuti excogitârunt *Lessius*, *Gonet*, *Billuart :* etenim, ut jam dictum est (1071 C), actio consecrativa nullo modo nata est mutare Christum, sed solam materiam quæ consecratur.

1107. B) Remanet itaque ultima sententia, olim communis inter theologos usque ad tempora Protestantium[6] :

---

[1] Sess. XXII, cap. 1. — [2] *De Euch.*, disp. 75, sect. 5.
[3] *De Euch.*, disp. 19, sect. 5, n. 65-67. — [4] *De Euch.*, Thes. 16.
[5] VASQUEZ, *in 3am partem*, D. 222, c. 7 et sq.
[6] Cf. CARD. BILLOT, *De Euch.*, p. 579, nota 1.

consecratio videlicet est formaliter sacrificium, quatenus separat mystice corpus a sanguine Christi ponendo seorsum sacramentum corporis et sacramentum sanguinis, et ita per sacramentalem separationem repræsentando vivide separationem realem olim in cruce effusione sanguinis peractam.

Hanc explicationem, quin tamen ullo modo ceteras damnemus, ut *probabiliorem* amplectimur : a) quia magis consentanea videtur verbis utriusque formæ, qualia in textu originali referuntur, et notioni transsubstantiationis antea traditæ (1071 C); b) quia reponit sacrificalem mactationem in *re sensibili* simul et *symbolicâ*, sicut convenit sacrificio externo quale est sacrificium missæ quod repræsentat et renovat sacrificium crucis; nam, ut recte ait *Card. Billot*[1], " si contingeret rem offerri, non in propriâ, sed in alienâ specie, tunc ad rationem sacrificii in quantum hujusmodi nihil aliud posset requiri, nisi ut res illa sub sacramentalibus symbolis in quodam externo habitu mortis præsens sisteretur ".

§ III. De effectibus sacrificii Missæ.

Dicemus : 1° *quinam* sint; 2° *quomodo* producantur : 3° quisnam sit *valor* sacrificii Missæ.

1° Quinam sint fructus sacrificii Missæ?

1108. Thesis : *Sacrificium Missæ non solum latreuticum est et eucharisticum, sed etiam impetratorium, et propitiatorium pro vivis ac defunctis*[2]. De fide est, ut constat ex *Trid.*[3] : " Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere : A. S. "

Probatur : A) *argum. generali* : a) sacrificium Missæ idem est substantialiter ac sacrificium crucis; atqui sacri-

[1] Op. cit., p. 538.

[2] Ex dictis in *Tr. de Verbo Incarn.*, n. 794, sacrificium est *latreuticum*, quatenus directe tendit ad agnoscendum supremum Dei dominium; *eucharisticum*, quia ad gratias Deo agendas pro præteritis beneficiis offertur; *impetratorium*, cùm ad nova beneficia obtinenda dirigatur; *propitiatorium*, quatenus pro peccatis remittendis aut solvendâ pœnâ peccato debitâ offertur.

[3] Sess. XXII, c. 3, Denz.-Bann., 950 (827).

ficium crucis quadruplicem effectum supra recensitum habuit;

b) sacrificium Missæ sacrificiis antiquæ legis successit, imo eis valde præstat; atqui præfata sacrificia hunc quadruplicem effectum obtinuerunt.

B) *Argumento speciali :* a) Quoad effectum *propitiatorium*. Christus, sacrificium cœnæ offerendo, expresse dixit : " Hic est sanguis meus... qui pro multis effundetur (in textu, græco ἐκχυνόμενον) in *remissionem peccatorum* "; atqui sacrificium Missæ idem est ac sacrificium cœnæ, juxta illud : " Hoc facite in meam commemorationem ".

b) Quoad effectum *impetratorium*, res constat ex liturgiis in quibus apparet Missam offerri pro omnibus beneficiis spiritualibus et temporalibus [1].

c) Quoad *utrumque :* Christus nequit in Eucharistiâ offerri quin, tantâ oblatione placatus, Deus moveatur ad pænitentiæ donum aliaque beneficia concedenda.

2° De modo quo hujusmodi effectus producuntur.

1109. *Prænotanda.* Missæ sacrificium suos effectus producere potest : a) *ex opere operato* seu ex dignitate rei oblatæ et principalis offerentis, vel *ex opere operantis Ecclesiæ*, nempe ex precibus universalis Ecclesiæ, vel *ex opere operantis* simpliciter, nempe ex merito sacerdotis aut fidelium; b) *infallibiliter*, si semper et in omni casu obtineatur effectus, vel *per modum impetrationis*, si effectus non obtineatur nisi sub quibusdam conditionibus quæ deficere possunt; c) *immediate* vel *mediate* prout effectus aliquis ipsâ oblatione præbetur vel mediante alio effectu. Porro

1110. A) *Certum est effectum latreuticum et eucharisticum ex opere operato, et quidem infallibiliter et immediate obtineri :* siquidem non potest Deus, per solam immolationem Christi in altari, non statim obtinere perfectissimam adorationem et eximias gratiarum actiones.

1111. B) *Peccata, sive mortalia, sive venialia, remittuntur quidem ex opere operato, sed mediate tantùm*, quatenùs sacrificium Missæ ex se " gratiam contritionis impetrat [2] " quâ mediante reatus culpæ deletur. " Hujus

[1] Cf. S. Cyril. Hieros., *Catech. myst.* 5, n. 8, Journel, 851.
[2] S. Thomas, *In IV Sent.*, dist. 12, q. 2, a. 2.

(enim) oblatione placatus, Dominus gratiam et donum pænitentiæ concedens, peccata etiam ingentia dimittit", ait *Trident.*[1] Illam tamen gratiam virtute sacrificii obtinet Eucharistia peccatoribus, "si eos dispositos inveniat[2]" et proinde non infallibiliter.

1112. C) *Pœna temporalis quæ post condonatam culpam luenda manet, per sacrificium Missæ ex opere operato, immediate et infallibiliter remittitur.* Etenim : a) ex *Trid.* Missa offertur "pro vivis atque defunctis, pro pænis et satisfactionibus". Sed pœnæ nequeunt remitti nisi *ex opere operato* defunctis qui jam sunt incapaces merendi; item vivis quos nulla ratio prohibet hìc defunctis saltem æquiparare; b) vivis ac defunctis pœna temporalis remittitur *immediate*, cùm per meram condonationem extrinsecam remittatur; c) remittitur *infallibiliter*, cùm nulla alia conditio prærequiratur præter remissionem culpæ; attamen non remittitur semper ex integro, sed juxta divinæ Providentiæ beneplacitum.

1113. D) *Bona spiritualia vel temporalia obtinentur quidem ex opere operato, sed per modum impetrationis, non autem infallibiliter.* Ita *communiter.*

a) Obtinentur *ex opere operato :* nam *Trid.* declarat Missam offerri non solum pro peccatis, pœnis et satisfactionibus, sed etiam pro "aliis necessitatibus". Revera Christus, seipsum offerendo, rogat Patrem ut, propter merita sua, gratiæ nobis tribuantur; porro ejus preces non possunt non exaudiri.

b) *Non autem infallibiliter :* nam, quamvis sacrificium Missæ ex se sit efficax, gratiæ de facto non recipiuntur nisi adsint requisitæ conditiones. 1) Ex parte objecti quod postulatur, requiritur ut expediat ad salutem et sit secundum Providentiæ consilia; 2) ex parte eorum pro quibus postulatur, quænam dispositiones requirantur, incertum est : "non absurde forsitan diceres requiri ut non sit homo actu obfirmatus in peccato, quinimo, ut desiderium habens excutiendi jugum peccati, propriæque infirmitatis conscius, fide respiciat in hoc sacrificium[3]".

---

[1] Sess. XXII, cap. 2, Denz.-Bann., 940, (817). — [2] S. Thomas, *ibid.*
[3] Card. Billot, *de Euch.*, p. 591.

1114. E) *Tandem omnes effectus supra descripti producuntur etiam ex opere operantis.* Ex precibus enim sacerdotis celebrantis astantiumque et imprimis totius Ecclesiæ superadditur efficacitas, et quidem eo major quo preces sunt ferventiores et orantes sanctiores.

3° De valore Missæ.

1115. A) *In se* spectatus, valor Missæ est infinitus pro dignitate infinitâ victimæ et principalis offerentis.

B) *In suâ applicatione,* sacrificium Missæ semper habet effectum finitum, non tantum pro exiguitate creaturæ etiam rationalis, sed et pro dispositionum nostrarum gradu et limitibus. Quod aliunde favet majori frequentationi sacrificii Missæ, et congruit ordini Providentiæ juxta quem gratiæ non omnes simul, sed successive distribuuntur.

1116. C) *Controvertitur* num sacrificium Missæ, pluribus a sacerdote applicatum, æqualiter singulis prosit ac si pro uno oblatum fuisset.

Hìc non agitur de fructu *generali*, cujus omnes fideles participes sunt, et qui certo non minuitur pro numero fidelium; nec de fructu *specialissimo* qui sacerdoti celebranti proprius est: sed de fructu *speciali* seu medio, quem sacerdos determinatis personis applicat.

Quibus prænotatis, alii *negant*, quia sacrificium, cùm sit finitum in suâ applicatione, inter plures divisum, minùs ipsis prodesse debet quàm si uni applicaretur.

Alii *affirmant*, quia sacrificium Missæ, utpote idem substantialiter ac sacrificium crucis, debet, sicut sacrificium crucis, tam prodesse unicuique ac si fuisset pro eo solo oblatum.

CAPUT V.

De Sacramento Pænitentiæ.

Post dicta de tribus sacramentis quæ ritum christianæ initiationis constituebant, de duobus aliis agendum est, Pænitentiâ et Extremâ Unctione, quæ *medicinalia* dicuntur, quatenus peccatoribus salutare præbent remedium.

1117. Pænitentia, prout sacramentum, a theologis definiri solet : *Sacramentum Novæ Legis a Christo institutum, quo, per juridicam sacerdotis absolutionem, homini contrito, confesso et satisfactionem promittenti, remittuntur peccata post baptismum commissa.*

Ad quod explicandum tria expendemus : 1° *potestatem clavium* Ecclesiæ concessam; 2° *actus pænitentis* ad exercitium hujus potestatis requisitos; 3° *naturam* sacramenti, prout ex his duobus inferri potest.

Sed pauca sunt præhabenda de Pænitentiâ ut *virtute.*

Prænotanda de pænitentiâ ut virtute.

1118. A) Notio actûs pænitentiæ. Sæpe in Scripturis commendatur *Pænitentia :* quâ voce ex contextu, significatur complexus actuum qui peccatum tùm in præterito, tùm in futuro respiciunt. Scilicet vir vere pænitens propria peccata commissa retractat ac detestatur, ad ea satisfactione expianda paratus est et insuper quælibet peccata in futurum devitare proponit. Tres igitur actus præcipuos complectitur : *contritionem* seu detestationem, *firmum propositum* et *satisfactionem.*

Insuper, ut sit *salutaris* seu ad Deo reconciliandam animam apta, pænitentia peccatum in ordine ad Deum respicere debet et ex supernaturali gratiâ motivoque retractare.

Hinc : **a)** *peccatum* est *objectum materiale* pænitentiæ, seu *id quod* contritione, firmo proposito et satisfactione reparatur; **b)** *objectum formale* seu motivum pænitentiæ est honestas ipsius reparationis; **c)** pænitentia *proprie dicta* respicit peccatum pænitentis *proprium :* id enim tantùm retractare possumus quod ipsi commisimus; **d)** pænitentia vera et salutaris non solùm est propositum novæ vitæ ut contendit *Lutherus* cum plerisque *Protestantibus*, sed etiam peccatorum commissorum detestatio.

1119. B) Notio virtutis Pænitentiæ. Hanc pænitentiam salutarem fovere possumus etiam postquam justificati sumus, et quidem ope virtutis per se infusæ quam simul cum gratiâ habituali accepimus.

Virtus pænitentiæ communiter definitur *virtus supernaturalis et moralis, peccatorem inclinans ad detestationem proprii peccati quatenus est offensa Dei, et ad firmum emendationis satisfactionisque propositum.*

1120. Pænitentia est *virtus specialis*. Id satis apparet ex eo quod inclinat ad actum speciali honestate præditum, " scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa : quod non pertinet ad rationem alterius virtutis[1] ".

Hæc virtus ad *justitiam commutativam* refertur, non autem tanquam pars subjectiva, sed ut *pars potentialis*; per eam siquidem peccator aliquo modo reparat injustitiam erga Deum commissam, non ad perfectam æqualitatem, sed meliori quo fieri potest modo.

Imo *actus* pænitentiæ ad ceteras virtutes referri potest in eo sensu quod aliquando *imperatur* sive a religione, sive a caritate, etc.

1121. C) De pænitentiæ necessitate. *Supposito peccato mortali, certum est actum pænitentiæ necessarium esse necessitate medii; communiter tenetur eumdem necessarium esse necessitate præcepti.*

Prob. a) *Quoad necessitatem medii.* Etenim : 1) *S. Script.* docet pænitentiam esse medium necessarium ad salutem : " Si autem impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis,... vitâ vivet et non morietur[2] "; " Si pænitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis[3] ".

2) Idem expresse declarat *Tridentinum* : " Fuit quidem pænitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinâssent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria...[4] "

3) *Ratio theol.* Sine pænitentiâ Deus peccata remittere nequit; ejus enim *sapientia* vetat ne peccatum foveatur in suam amicitiam recipiendo quem a se voluntarie et obstinate aversum cognoscit; *justitia* prohibet ne offensa remittatur sine aliquâ reparatione; *sanctitas* ne sibi uniat aliquid peccato pertinaciter sordescens.

1122. *Controvertitur* utrum ad peccati remissionem requiratur formalis actus pænitentiæ, an sufficiat virtualis, qualis continetur in actu caritatis perfectæ. *Scotistæ* tenent *virtualem* actum pænitentiæ sufficere; multi *Thomistæ* putant requiri actum *formalem; Suarez* autem distinguit, dicendo actum formalem *per se* requiri, quando quis de suis peccatis cogitat, sed *per accidens* remissionem peccati actu virtuali

---

[1] *Sum. theol.*, 3, q. 85, a. 2. — [2] *Ezech.*, XVIII, 21-25.
[3] *Luc.*, XIII, 5; cf. *Act.*, III, 19.
[4] Sess. XIV, c. 1, DENZ.-BANN., 894 (774).

pænitentiæ obtineri posse, quando videlicet quis, ex oblivione, de peccatis suis non cogitat; quam opinionem ut probabiliorem amplectimur.

b) *Quoad necessitatem præcepti* : 1) teste S. Matthæo[1], " cœpit Jesus prædicare et dicere : *Pænitentiam agite*"; 2) reverâ pænitentia est specialis virtus; ergo sub præcepto cadit; — quisque tenetur, vi justitiæ, reparare injuriam alteri illatam; — cuique præcipitur, vi caritatis erga seipsum, suam salutem per pænitentiam curare.

Art. I. De potestate clavium Ecclesiæ collatâ.

Duo expendemus : 1° *num* hæc potestas vere a Christo collata fuerit; 2° *quinam ministri* eam exercere valeant.

§ I. De ipsâ potestate clavium, quatenus vere fuit Ecclesiæ collata.

1123. Status quæstionis. 1° *Natura hujus potestatis declaratur.* Per potestatem clavium proprie intelligitur plenitudo potestatis Ecclesiæ a Christo concessæ ad regendos fideles in ordine ad vitam æternam. Quæ triplex est : potestas *leges ferendi*, — ad normam legum *judicandi*, — judicia *exsequendi* per *coactionem* seu *coercitionem*.

Ad *judicialem* potestatem pertinet potestas remittendi et retinendi peccata, quæ *in foro interno* exercetur. Ecclesia enim judicat tùm in foro externo, seu directe in commodum *societatis* fidelium, tùm in foro interno, seu directe in commodum *singulorum* fidelium.

1124. 2° *Errores.* a) Juxta *Lutherum*, Ecclesiæ inest potestas *declarandi tantum* peccatorum remissionem quæ solâ fide *efficitur*. Juxta *Calvinum*, Pænitentia non vere a Baptismo vel *Baptismi memoriâ* distinguitur, quâ renovatur peccati displicentia novæque vitæ propositum. *Anglicani* potestatis clavium admittunt *utilitatem*, non vero necessitatem. *Ritualistæ* agnoscunt Pænitentiam esse unum e minoribus sacramentis.

---

[1] *Matth.*, IV, 17.

b) Nostris diebus, americanus protestans *Lea*[1], cum *Liberalibus*, contendit potestatem remittendi peccata coram Deo minime fuisse agnitam primis Ecclesiæ sæculis.

1125. Thesis : *Christus Ecclesiæ contulit potestatem remittendi et retinendi omnia peccata post baptismum commissa, et quidem actu vere judiciali.*

De fide est ex sequentibus *Tridentini* canonibus[2] : 1. " Si quis dixerit, in Catholicâ Ecclesiâ Pænitentiam non esse vere et proprie sacramentum, pro fidelibus, *quoties* post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum; A. S. "

3. " Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris : " Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt ", non esse intelligenda *de potestate remittendi et retinendi peccata* in sacramento Pænitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; A. S. "

9. " Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse *actum judicialem*, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri confessionem pænitentis, ut sacerdos eum absolvere possit ; A. S. "

Concilium igitur docet potestatem remittendi et retinendi peccata fuisse Apostolis eorumque successoribus collatam; — eamque exerceri posse in catholicâ Ecclesiâ *quoties* fideles post baptismum *in peccata labuntur*, ideoque nullum peccatum irremissibile esse; — hanc autem potestatem non esse nudum ministerium declarandi remissa esse peccata, sed *actum vere judicialem* quo sacerdotes ipsi Deo reconciliant peccatores.

I. *Thesis Scripturâ probatur.*

1126. *Præmittimus :* **a)** Christum, dum in terris viveret, exercuisse potestatem remittendi peccata, v. g., in casu paralytici et mulieris peccatricis ; **b)** eumdem Apostolis contulisse omnem potestatem sibi a Patre commissam ad salutem animarum promovendam. Jamvero omnino improbabile est ab hâc generali missione seu delegatione exceptam fuisse potestatem remittendi peccata quæ imprimis obstant saluti.

---

[1] *A history of auricular confession.*
[2] Sess. XIV, can. 1, 3, 9, Denz.-Bann., 911 sq. (789 sq.)

1127. A) Quam potestatem Apostolis eorumque successoribus fuisse *promissam*, constat ex verbis Christi ad Petrum : " Et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam; et tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cælis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cælis[1] ". Item ex Christi verbis ad omnes Apostolos postea directis[2] : " Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cælo, et quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cælo ". His verbis : 1) Christus promittit soli Petro *claves regni cælorum*, seu supremam auctoritatem[3] in Ecclesiâ, ita ut omnia valeat peragere quæ requiruntur ad promovendam in finem suum Ecclesiam sive universe, sive in singulis fidelibus spectatam; 2) deinde, aliâ metaphorâ, Christus promittit Petro primùm ac deinde omnibus simul Apostolis quòd *quæcumque* alligaverint super terram erunt ligata et in cælo, et *quæcumque* solverint super terram erunt soluta et in cælo : quæ verba, utpote universalia, intelligi debent de auctoritate omnia peragendi necessaria ad salutem animarum procurandam.

Porro ad finem societatis ecclesiasticæ obtinendum, salutem scilicet animarum, requiritur auctoritas peccata remittendi, quæ sunt præcipuum, imò unicum gloriæ cælestis adeptioni obstaculum. Ergo Petrus, et sub Petro, ceteri Apostoli, inter alia munia, accipere debebant, vi promissionum Christi, potestatem vincula solvendi quæ fideles ab ingressu cæli prohibent, præsertim vero peccata.

Agitur in utroque textu de potestate in ipsam Ecclesiam exercendâ, non autem in eos qui foris sunt : " Ædificabo Ecclesiam et tibi dabo claves... " Pariter, quando agitur de potestate Apostolis collatâ, prius commemoratur Ecclesia : " Dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit... " Unde potestas hujusmodi haud improbabiliter distinguitur a potestate baptizandi, quæ exercetur in eos qui foris sunt, ut in Ecclesiam introducantur.

1128. B) Quam promiserat potestatem Christus *contulit;* siquidem a mortuis redivivus, stetit in medio disci-

---

[1] *Matth.*, XVI, 18-19.— [2] *Matth.*, XVIII, 18.
[3] Cf. *Isai.*, XXII, 22; *Apoc.*, I, 18; III, 7.

pulorum et dixit eis[1] : " Pax vobis... sicut *misit* me Pater, et ego *mitto* vos. Hæc cum dixisset, *insufflavit* et dixit eis : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, *et quorum retinueritis retenta sunt* ".

a) Potestas hìc concessa est potestas non tantùm declarandi peccata esse remissa, ut volunt *Protestantes*, sed *vere remittendi peccata*, ut e præcipuis verbis colligitur : 1) Christus declarat missionem Apostolis dandam similem esse missioni quam Ipse a Patre accepit; jamvero Christus non solum prædicaverat remissionem peccatorum, sed ea Ipse dimiserat, imo ad hoc venerat in mundum ut ea destrueret[2]. 2) Verbum *remiseritis* (gr. ἀφῆτε) est activum, et talem remissionem significat, quæ fiat per actionem positivam et efficacem, non per meram declarationem remissionis jam factæ; confirmatur ex aliâ voce *retinueritis* (κρατῆτε), quæ pariter actionem positivam denotat. 3) Aliunde in secundo inciso additur : " *remittuntur eis*, *retenta sunt* "; quod quidem, juxta ipsos Protestantes, idem sonat ac *vere remittuntur* vel *vere retenta sunt;* ergo, vi parallelismi, priora verba, *remiseritis*, *retinueritis*, eodem sensu intelligi debent.

b) Hanc potestatem attingere non tantum reatum pænæ, sed etiam *reatum culpæ*, constat ex eo quod Christus utitur verbis ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, quibus antea usus fuerat ad significandam peccatorum remissionem quoad culpam[3].

c) Hæc potestas *ad omnia peccata se extendit :* 1) constat ex eo quod nulla limitatio apponitur : "quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ", et græcus textus ἄν τινων ἀφῆτε clare designat *omnes* peccatores posse veniam consequi ; 2) confirmatur ex loco parallelo : " *Quæcumque* solveritis super terram, erunt soluta et in cælis ".

d) Eadem potestas exerceri debet *actu judiciali*, id est : 1) *causam instruendo :* duplex enim confertur potestas, peccata tam remittendi quam *retinendi;* jamvero hujusmodi potestas debet exerceri *prudenter*, videlicet præmit-

---

[1] *Joan.*, XX, 21-23.
[2] *Matth.*, IX, 2-8; *Luc*, V, 20; VII, 47; *Apoc.*, I, 5.
[3] *Marc.*, II, 17; *Matth.*, XVIII, 11; *Luc.*, XIX, 10; cf. *Rom.*, V, 10, 18, 19.

tendo juridicam materiæ investigationem. 2) *Sententiam ferendo :* causâ enim instructâ, sententia pronuntiari debet quâ peccata auctoritative remittantur vel retineantur, secundùm dispositiones pænitentis, conditiones præscribantur ad remissionem peccatorum adimplendæ, onera et satisfactiones imponantur pro peccatis commissis; ut ita exerceatur potestas ligandi æque ac solvendi.

Ex his igitur S. Joannis verbis, et ex modo quo communiter intellecta fuerunt jam a sæculo III[1], merito infertur Apostolis eorumque successoribus vere fuisse concessam potestatem remittendi, ritu judiciali, omnia peccata post baptismum commissa[2].

1129. C) *Confirmatur* ex ratione agendi Apostolorum. a) Videmus enim Apostolos exercuisse potestatem *ligandi* seu pænas imponendi ad correptionem et emendationem peccatorum, v. g., in casu incestuosi Corinthii[3]; b) ex quo infertur Apostolos etiam exercuisse potestatem *solvendi;* nam peccator traditur pœnis quibusdam temporalibus ut postea justificetur et ejus " spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi[4] "; et ita jam apparet inter pænam canonicam et remissionem peccati nexus, qui postea in disciplinâ pænitentiali manifesto exhibetur.

Notandum est insuper : a) Apostolis evidenter persuasum fuisse omnia peccata, etiam gravissima, ante judicium condignâ pænitentiâ remissibilia esse[5]; b) potestatem clavium apostolicis temporibus fuisse exercitam, non tamen eodem modo ac nunc exercetur : 1) videlicet *non frequenter*, quia *minora* seu venialia peccata tunc potestati clavium subjici non solebant, et aliunde *majora* rarius committebantur; 2) cum *quâdam severitate*, quatenus ardua pænitentia peccatoribus imponebatur antequam absolutio concederetur. Cùm enim Christus non determinâsset modum quo potestas clavium exerceretur, ad Ecclesiam spectabat, pro diversitate temporum, hunc definire ad majorem fidelium utilitatem.

---

[1] Cf. JOURNEL, n. 521 *Indicis theolog.; Syn. maj.*

[2] Merito itaque a *S. Officio* (dec. *Lamentabili*) reprobata est sequens Modernistarum propositio 47 : " Verba Domini *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata*, etc. minime referuntur ad sacramentum Pænitentiæ, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit ".

[3] *I Cor.*, V, 3, 5. Cf. *II Thess.*, III, 14-15; *Tit.*, III, 10.

[4] *I Cor.*, V, 5.

[5] *II Cor.*, XII, 20-21; *Apoc.*, II, 19-23. Exegesim textuum Scripturæ qui quamdam difficultatem facessunt invenies in *Syn. maj.*

II. *Thesis Traditione probatur.*

1130. 1° Contra quosdam rigoristas, Patres **secundi sæculi** docuerunt peccata, post baptismum commissa, per pænitentiam deleri posse : non diserte tamen, sed obiter et obscure, si res judicatur tantum ex documentis quæ supersunt. Ita *S. Ignatius martyr* docet quotquot *pænitentiâ* ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, *Dei esse* et *secundum Jesum Christum vivere*[1]; in *Doctrinâ duodecim Apostolorum* (Didache) confessio peccatorum seu *exomologesis* exhibetur ut medium quo peccata tolluntur[2]; *Hermas* in suo libro *Pastoris*, agnoscit post baptismum *pænitentiam* esse quâ omnia peccata, etiam apostasia et adulterium, remittuntur, hanc autem pænitentiam fieri duce et auspice Ecclesiâ, ac per eam vitam haberi. Quòd si Hermas aditum occluserit renovationi hujus pænitentiæ post nova peccata, in hoc a praxi Romanæ Ecclesiæ deviavit[3].

Ex his testimoniis satis apparet Ecclesiæ inesse potestatem pænitentiam imponendi et peccatores coram Deo reconciliandi remittendo omnia peccata.

1131. 2° Idem apertiùs evincitur ex testimoniis Patrum **tertii sæculi**. Etenim : **a**) *Tertullianus*, in tractatu *de Pænitentiâ* quem adhuc catholicus exaravit (an. 202-206), diserte commendat secundam pænitentiam, et eam expresse dicit constare tùm *confessione* quâ determinatur satisfactio, tùm *exomologesi* seu satisfactione quæ tunc valde rigorosa erat, ut ex ejus descriptione patet. Insuper, in eodem tractatu satis subaudit *sententiam absolutionis* quam sponte suâ exposcit judicium ibi fuse descriptum[4]. Præterea, nullibi in hoc tractatu dicit quibuscumque peccatis fuisse absolute denegatam reconciliationem, sed potius longanimem indulgentiam erga quoslibet pænitentes ostendit[5]. **b**) In tractatu *de Pudicitiâ* cujus auctor fuit jam factus *Montanista* (an. 217-222),

---

1 *Ad Philadelph.*, n. 3, JOURNEL, 56.
2 n. 14, JOURNEL, 8. Cfr. S. IRENÆUS, *Contra hæres.*, lib. I, cap. 13, n. 5-7, JOURNEL, 193.
3 Ita VACANDARD, *Revue du clergé français*, 1 oct. 1900, p. 257.
4 ADHÉMAR D'ALÈS, *La théologie de Tertullien*, p. 345, not. 3.
5 ADHÉMAR D'ALÈS, *L'Edit de Calliste*, 1914, p. 137-171.

quædam peccata exhibet ut *irremissibilia;* sed simul agnoscit, cum Montanistis, potestatem remittendi omnia peccata penes Ecclesiam esse, ejus vero potestatis exercitium non expedire contendit. Ergo hæc potestas absolvendi ab omnibus peccatis, post baptismum commissis, tam inconcussa existimabatur ut ab ipsis Montanistis agnosceretur.

Aliunde ex factis multis constat[1] nunquam in Ecclesiâ universali invaluisse usum absolutionem denegandi peccatis capitalibus : unde Tertullianus traditionem ecclesiasticam pervertebat. Præterea, nec Tertullianus, nec S. Hippolytus possunt haberi ut testes sufficientes ad statuendum, ante S. Callistum, Ecclesiam Romanam habuisse ut omnino irremissibilia tria peccata impudicitiæ, homicidii et idololatriæ.

1132. *Confirmatur* aliis testimoniis :

A) *Origenes* distincte agnoscit episcopis et sacerdotibus inesse potestatem dimittendi peccata, et quidem coram Deo : " Sed is in quem Jesus insufflavit, quemadmodum in apostolos... is dimittit quæ dimitteret Deus, et insanabilia peccata retinet "[2]. Etiam *graviora* peccata *semel* remitti possunt, *leviora* autem *semper :* " In gravioribus criminibus semel tantum pænitentiæ conceditur locus ; ista vero communia quæ frequenter incurrimus, semper pænitentiam accipiunt et sine intermissione redimuntur[3]". Si igitur alibi dicere videtur tria esse peccata irremissibilia, id verisimiliter intelligitur eo sensu quod *sine debitâ pœnitentiâ* condonari nequeunt[4].

B) Aliunde ex *libris liturgicis* et *canonicis* hujus temporis patet potestatem dimittendi peccata episcopis in ipsâ ordinatione fuisse concessam[5].

C) Occasione *lapsorum* seu eorum qui in apostasiam lapsi erant tempore Decianæ persecutionis (an. 250), Concilia et Patres potestatem clavium asseruerunt contra *Novatianos.*

Ita Concilium *Carthaginense* (an. 251) decrevit etiam peccatum apostasiæ posse remitti ; *S. Ambrosius* in lib. *de Pœnitentiâ* probat Christum Ecclesiæ contulisse potestatem omnia

---

[1] ADHÉMAR D'ALÈS, *ibid.*, p. 228-243.
[2] *De Oratione*, 28, *P. G.*, XI, 527.
[3] *In Levitic.*, XV, 2, *P. G.*, XII, 561.
[4] A. D'ALÈS, *op. cit.*, p. 283-295.
[5] Cf. F. CABROL et H. LECLERCQ, *Monumenta Ecclesiæ liturgica*, I, p. XXXI.

peccata dimittendi et quidem coram Deo, nulla autem peccata esse irremissibilia; *S. Pacianus*[1] probat peccata remitti ab Apostolis et eorum successoribus : " Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est : sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est "; deinde ostendit *omnia* peccata posse remitti : " *Quæcumque solveritis*, inquit; omnino nihil excipit. *Quæcumque*,... vel magna, vel modica ".

Multi alii Patres quarti sæculi hanc absolvendi potestatem tanquam veritatem inconcussam tradunt[2]. — Nec ulterius progredi necesse est, cùm, fatentibus adversariis, potestas clavium jam a sæculo quinto ab Ecclesiâ exercita fuerit.

1133. **Conclusio.** Ex factis et testimoniis allatis historice constat Protestantes errare dum affirmant Ecclesiam per priora sæcula peccatores non reconciliâsse nisi *in foro ecclesiastico*.

a) *Explicite* enim Patres quarti, imo et tertii sæculi, affirmant Ecclesiæ potestatem inesse dimittendi peccata, etiam gravia, coram Deo seu cum infusione gratiæ.

b) *Implicite* idem constat e modo quo *progressive nata est hæresis contraria :* primum *Tertullianus* cum *Montanistis*, non negat potestatem, sed solum opportunitatem eam exercendi; postea *Novatiani* hanc potestatem coarctant ad peccata quæ non sunt ad mortem; *Protestantes* sæc. XVI primi sunt qui clavium potestatem penitus rejecerint.

Nova igitur non est doctrina catholica, sed Protestantium affirmatio, antiquis Patribus penitus ignota.

§ II. De ministro potestatis clavium.

Ex dictis jam inferri potest non omnibus christianis competere potestatem clavium : cùm enim hæc ipsam conscientiam fidelium attingat, peccataque remittat etiam coram Deo, evidens est eam exerceri non posse nisi ab iis qui divinitus deputati sunt ad fideles sanctificandos. Ad eam exercendam duplex requiritur potestas, juxta *Tridentinum*[3], nempe potestas *ordinis* et *jurisdictionis*.

---

[1] *Epist. I et III ad Sympron.*, JOURNEL, 1244.
[2] Ita, inter alios, S. JOANNES CHRYSOST., *De Sacerdotio*, l. III, c. 5, *P. G.*, t. LXVII, 643; S. GREGOR. NAZ., *Orat. 39 in SS. Lumina*, n. 18-19, *P. G.*, t. XXXVI, 356-357; S. APHRAATES, Patrol. syriaca, ed. *Graffin*, 1894, t. I, pp. 313-360; S. EPHREM., *Opera*, Romæ, 1740, t. II, p. 440; S. HILARIUS, *Comment. in Matt.*, *P. L.*, t. IX, 1921, etc.
[3] Sess. XIV, cap. 7, DENZ.-BANN., 903 (782).

I. *De potestate ordinis ad remittenda peccata.*

1134. 1° Errores. a) *Montanistæ* potestatem clavium tribuebant solis pneumaticis seu spiritualibus, id est iis qui Spiritu sancto inspirabantur [1]; b) *Waldenses* et *Wicleffitæ* bonis sive laicis sive sacerdotibus eamdem concedebant.

1135. 2° Thesis. *Soli sacerdotes, id est episcopi et presbyteri, sunt ministri potestatis clavium, seu valide possunt a peccatis absolvere.*

De fide est ex *Tridentino* [2] : " Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum : " Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo "; et : " Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt " : quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem; A. S. "

A) *Scripturâ* probatur, nempe ex duobus textibus a *Tridentino* allegatis, quos supra (n. 1128) declaravimus.

Ex his enim constat potestatem, apostolis eorumque successoribus collatam, modo *judiciali* exercendam esse. Jamvero auctoritate judiciali non gaudent omnes fideles, sed solum ii qui Ecclesiæ præsunt. Et sane *Apostolis*, non vero indiscriminatim omnibus discipulis, Christus promisit et contulit clavium potestatem.

B) *Traditione.* *S. Ignatius* non promittit peccatoribus remissionem peccatorum nisi *redeant ad episcopum* [3]; *Tertullianus*, adhuc catholicus, exomologesim describens, dicit peccatores " *presbyteris advolvi* [4] "; *S. Cyprianus*, Tertulliani discipulus, peccatores ad pænitentiam hortatur, " dum satisfactio et remissio facta per *sacerdotes* apud

---

[1] Hunc errorem quasi renovarunt *Protestantes liberales* qui tenent primis Ecclesiæ sæculis potestatem clavium exercitam fuisse a *charismaticis*.
[2] Sess. XIV, can. 10, Denz.-Bann., 920 (798).
[3] *Ad Philadelph.*, 3, 2, Journel, 56.
[4] *De Pænit.*, n. 9, Journel, 315.

Dominum grata est[1]". Alii cum *S. Ambrosio* explicite dicunt *apostolis* et *sacerdotibus* inesse potestatem remittendi peccata[2].

Per quatuor priora sæcula, potestas clavium fere exclusive ab episcopis exercebatur; quarto autem sæculo, presbyteris quibusdam, nempe pænitentiariis, concessa est auctoritas confessiones audiendi et peccatores absolvendi; a quinto ad octavum sæculum hæc potestas ad plures alios presbyteros extensa est; et jam a sæc. VIII ad omnes sacerdotes[3].

II. *De potestate jurisdictionis.*

1136. 1° **Prænotanda.** A) *Notio jurisdictionis.* **a)** Jurisdictio ecclesiastica *in genere* definitur *potestas regendi subditos ad finem supernaturalem.* Triplex est : *legislativa*, ad leges ferendas, *judiciaria*, ad sententias auctoritative ferendas, et *coactiva*, ad pænas infligendas.

b) Jurisdictio, quæ ad *sacramentum Pænitentiæ* requiritur, est *judiciaria*, cùm hoc sacramentum sub formâ judiciali ministretur, et quidem *fori interni*, cùm directe et primario privatam cujuslibet fidelis utilitatem respiciat, imo et fori *pænitentialis*, ut sic distinguatur a jurisdictione fori interni *extra-pænitentialis*, quæ extra confessionem sacramentalem exerceri potest, v. g., dispensando in voto, tollendo censuram cum effectu in foro interno tantum.

c) Unde jurisdictio confessarii definiri potest *potestas supernaturalis, externo superioris actu collata, quâ sacerdos judicium exercere potest erga subditos in foro interno ac pænitentiali.* Confertur autem designando *subditos* in quos exerceri valeat potestas absolvendi, vel *locum* ubi legitime exerceatur.

B) *Erravit Synodus Pistoriensis* asserens non esse necessarium, sed tantùm conveniens, ad validitatem absolutionis, ut confessarius jurisdictione polleat[4].

1137. 2° **Thesis :** *Præter potestatem ordinis requiritur, ad validam absolutionem, potestas jurisdictionis, quæ non accipitur vi solius ordinationis, sed superiorum ecclesiasticorum concessione.*

---

[1] *De lapsis*, c. 28, JOURNEL. 553.
[2] *De Pænit.*, lib. I, c. 2, JOURNEL, 1297. — [3] TIXERONT, III, 253.
[4] DENZ., n. 1537 (1400).

A) *Prius*, videlicet *jurisdictionem ad validam absolutionem requiri*, a) docet *Tridentinum* [1], præludente *Decreto ad Armenos* [2] *:* " Minister hujus sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris "; id est jurisdictionem ordinariam aut delegatam ; b) confirmat *rat. theol.:* siquidem potestas remittendi vel retinendi peccata per modum *judicii* exercetur; atqui potestas judicialis valide exerceri nequit nisi in *subditum*, id est in eum qui judicis auctoritati seu jurisdictioni subjectus fuit a legitimo superiore.

B) *Posterius* autem, videlicet *hanc jurisdictionem non conferri vi solius ordinationis*, *sed superiorum concessione*, ex jam probatis sequitur. Nam *Tridentinum* (l. c.), declarando absolutionem sacerdotis jurisdictione carentis esse nullius valoris, supponit aliquem sacerdotem posse jurisdictione carere; atqui si jurisdictio vi solius ordinationis haberetur, amitti non posset.

1138. 3° **Corollaria.** A) *Jurisdictio variis modis limitari potest a superioribus*, *præsertim a R. Pontifice.* Qui enim jurisdictionem concedere possunt vel non, a fortiori possunt eam conferre modo plus minusve limitato, *quoad homines*, *quoad locum*, *quoad tempus*, *quoad peccata.* Ait enim *Tridentinum* [3] *:* " Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur ".

B) *Communiter* [4] *tenetur jurisdictionem requiri etiam ad absolutionem peccatorum venialium.* Hoc quidem negârunt multi veteres theologi, etiam primi nominis, ut *S. Thomas* et *Scotus* [5], quia venialia etiam aliis sacramentis, in quibus non requiritur jurisdictio, remitti valent. Sed *Innocentius XI* [6] injunxit episcopis non permittere " ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab episcopo aut Ordinario ". Et merito, cùm etiam venialia in sacramento Pænitentiæ remittantur per modum judicii.

---

[1] Sess. XIV, cap. 7, DENZ.-BANN., 903 (782).
[2] DENZ.-BANN., 699 (594).
[3] Sess. XIV, cap. 7, DENZ.-BANN., 903 (782).
[4] Dico *communiter*, quia pauci cum BALLERINI, *Opus Morale*, De Pænit., n. 555, contrarium tenent et decretum *Innocentii* intelligunt de liceitate, non autem de validitate absolutionis.
[5] S. THOMAS, in 4, dist. 18, q. 2, a. 3, sol. 1, ad 3; SCOTUS, in 4, dist. 18, q. 4, a. 2, sol. 3.
[6] Decreto *Cùm ad aures*, apud DENZ., n. 1150 (1086).

ART. II. DE PÆNITENTIS ACTIBUS.

Ut potestas clavium efficaciter exerceatur, requiruntur, ex parte pænitentis, tres actus : *confessio* peccatorum, *contritio* et *satisfactio*.

§ I. De confessione peccatorum.

1139. Prænotanda. A) *Notio.* Confessio sacramentalis est *accusatio propriorum peccatorum, post baptisma commissorum, legitimo sacerdoti facta, ad veniam per potestatem clavium consequendam.*

1140. B) *Errores de confessionis necessitate.* Hanc negârunt *Protestantes* eorumque præcursores : *Wicleffus*[1], *Lutherus*, qui tamen sibi consistens non fuit, asserens modo confessionem esse " cruentissimam carnificinam ", modo "afflictis conscientiis optimum remedium"; *Calvinus*, qui contendit auricularem confessionem ab *Innocentio III* in Conc. *Lateranensi* fuisse institutam; *moderni Protestantes*, etiam *Ritualistæ*, qui, licet ejus utilitatem agnoscant, tamen ejus necessitatem rejiciunt.

C) *Divisio.* Duplex erit thesis : prior de *ipsâ confessione*, posterior de *modo confitendi.*

1141. Thesis Ia : *Confessio sacramentalis omnium et singulorum peccatorum mortalium post baptisma commissorum, est jure divino necessaria.*

De fide est ex Tridentino[2] *:* " Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; A. S. — Si quis dixerit in sacramento Pænitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debitâ et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta... A. S. "

---

[1] DENZ.-BANN., n. 587 (493).
[2] Sess. XIV, can. 6 et 7, DENZ.-BANN., 916, 917 (794, 795).

1142. **Explicatur.** Diximus : a) *confessio sacramentalis*, abstrahendo a quæstione utrum *publica* sit an *privata* seu *auricularis :* utraque enim est sacramentalis; b) *jure divino necessaria*, et quidem *strictè*, sub pœnâ damnationis; hæc autem necessitas oritur ex præcepto *positivo*, ideoque quasdam patitur exceptiones; c) *peccata mortalia*, cùm venialia possint absque confessione remitti; d) *omnia* autem mortalia et *singula distinctè* accusari debent, in quantum fieri potest.

1143. **Probatur.** A) *Scripturâ.* a) Jàm enim animadvertimus ex textibus promissionis et institutionis potestatem clavium exerceri *per modum judicii* (n. 1128). Sed tale judicium proferri nequit sine præviâ confessione omnium mortalium; nam : 1) judicium æquum et sapiens ferri non potest nisi causâ cognitâ, et causa regulariter cognosci nequit absque pænitentis confessione, qui *solus* peccata sua *secreta* revelare potest, aut externorum peccatorum veram *malitiam*, qui ex interno actu voluntatis pendet. 2) Aliunde Christus contulit Apostolis et eorum successoribus potestatem remittendi vel retinendi *peccata* absolute et sine restrictione, quasi diceret : omnia et singula; sed ut prudenter remittantur vel retineantur peccata sigillatim sumpta, debent cognosci sigillatim et distinctè, et quidem per confessionem.

b) Nullum autem est aliud medium obtinendi remissionem peccatorum præter confessionem quâ peccata jurisdictioni pænitentiali subjiciuntur : etenim si Christus, sacrum tribunal instituendo, non præcepisset peccatoribus ad hoc recurrere, sacerdotum potestas illusoria esset; quis enim humili confessioni se submitteret, si aliud esset medium minus laboriosum?

B) *Traditione.* Praxis et obligatio confitendi peccata mortalia omni tempore in Ecclesiâ viguit : 1° quatuor prioribus sæculis *prævalet pænitentia publica*, cujus pars erat confessio peccatorum sive publica sive occulta; 2° a quinto ad duodecimum, pænitentia minus rigorosa evadit, et confessio *privata fit frequentior;* 3° a sæculo duodecimo *sola* remanet *privata* confessio et satisfactio. Duo priora stadia delineare sufficit.

a) *Per quatuor priora sæcula*, existentia confessionis sacramentalis constat : 1) ex ipsâ *pænitentiali disciplinâ*, cujus

opera necessario *supponunt aliquam peccatoris confessionem factam episcopo*, ut hic possit satisfactionis quantitatem et qualitatem determinare, et deinde prudenter absolutionem conferre.

2) *Testimoniis Patrum :* II° sæculo, *S. Irenæus*[1] de confessione loquitur tanquam *necessariâ* ad gratiam recuperandam; III° sæculo, *S. Cyprianus*[2] agit de confessione sacramentali factâ sacerdotibus, et in quâ manifestantur etiam interna peccata; item *Origenes*[3] et *S. Petrus Alexandrinus*[4]; IV° sæculo, *S. Ambrosius*[5] hortatur ad confessionem et repræsentat sacerdotes ut *judices; S. Pacianus*[6] confessionis, etiam occultorum peccatorum, necessitatem urget; item *Aphraates*, sapiens Persa dictus[7].

b) *Jam a sæculo V° usque ad XII*, mitigatur disciplina pænitentialis et frequentior fit confessio. *S. Innocentius I papa*[8] jubet dari " cum pænitentiâ extremam communionem " etiam iis qui postquam per totam vitam voluptatibus indulserunt, in extremo fine vitæ suæ reconciliationem exposcunt, ut " a perpetuo exitio vindicentur ". *S. Augustinus*[9] prædicat duplicem pænitentiam, unam strictiorem, alteram *mitiorem* pro peccatis occultis. Pariter *S. Leo*[10] peccatores hortatur, qui inter publicos pænitentes non recensentur, ut quotannis, præsertim ante Pascha, mitiorem pænitentiam peragant, in quâ supplicationibus sacerdotum juvabuntur. Quod et lucidius exponit *S. Cæsarius Arelatensis*[11]. In Ecclesiâ græcâ similis mitigatio invenitur. Ita *S. Chrysostomus*[12] peccatores benigne excipiebat, ita ut in synodo *ad Quercum*, ab episcopo Isaacio insimulatus fuerit " quod licentiam peccantibus præbeat, sic docens : si iterum peccasti, pæniteat iterum ; et quoties peccaveris, veni ad me, ego te sanabo ".

Ex hâc immutatione disciplinæ pænitentialis, inter IXum et XIIum sæculum, orta sunt quædam dubia in mente fidelium, saltem in quibusdam regionibus, circa necessitatem confessionis sacerdotibus factam : cùm enim hæc esset veluti præ-

---

[1] *Adv. hæres.*, I, 13, JOURNEL, 193.
[2] *De lapsis*, c. 28, 29, JOURNEL, 553.
[3] *Homil. in Levitic.*, II, 4, JOURNEL, 493; *in Ps. XXXVII*, n. 6, KIRCH, 216.
[4] Apud MAI, *Spicileg. roman.*, t. VII, p. 465.
[5] *De pænit.*, I, 3, JOURNEL, 1294. — [6] JOURNEL, 1244.
[7] *Demonstratio VII*, n, 3-4, JOURNEL, 685. — [8] DENZ., n. 95.
[9] *Sermo* LXXXII, 11, *P. L.*, XXXVIII, 511; cf. *De fide et operibus*, 48; *Enchiridion*, 80. Cf. JOURNEL, 1434, 1435.
[10] *Epist.* CLXVII, inquisit. 19, *P. L.*, LIV, 1209; *Epist.* CVIII, 2, *P. L.*, LIV, 1011; *Sermo* XLIII, 2, 3; XLIV, 1; XLIX, 1, 2; L, 1, 2; *P. L.*, LIV, 282, 285, 301, 305 sq. Cf. DENZ.-BANN., 145.
[11] *Sermo* CCLXI, *P. L.*, XXXIX, 2227.
[12] LABBÆUS, *Concilia*, t. II, p, 1328.

paratio ad opera satisfactoria, quibusdam videbatur ejus obligationem cessare jam abolitâ publicâ pænitentiâ. Et ita explicatur textus quidam Gratiani frequenter allatus [1]. His paucorum dubiis non obstantibus, necessitatem confessionis sacerdotibus factæ Ecclesia prædicare non desiit : 1) statuendo, jàm a V° sæc., sacram communionem certis temporibus recipiendam esse, et aliunde peccatoribus obligationem incumbere *peccata confitendi ante communionem;* 2) *libros pœnitentiales* edendo, in quibus exponebatur quænam pœnæ diversis peccatis responderent, et tradebantur formulæ ad interrogandos pænitentes; 3) *pœnas canonicas* ferendo contra eos qui in articulo mortis peccata confiteri renuebant; 4) *tempora definiendo* pro confessione faciendâ [2].

1144. **Conclusio.** Ecclesia igitur *totâ suâ agendi ratione* profitetur, a primis sæculis, confessionem sacramentalem esse medium divinitus institutum, et quidem necessarium, iis omnibus qui post baptismum graviter peccaverunt. Id apparet : **a**) primum *indirecte* ex eo quod confessio habetur ut conditio prævia ad publicam satisfactionem et absolutionem peccatorum necessaria; **b**) postea magis *directe* quando, mitigatâ pænitentiali disciplinâ, Ecclesia confessionem habet tanquam conditionem necessariam ad privatam pænitentiam et absolutionem.

1145. **Thesis IIa :** *Confessio secreta seu auricularis, quæ hodie sola prævalet, etiam ab initio in usu fuit.* Certum est ex *Trident.* supra, n. 1141.

Ad thesim probandam, *methodo ascendente* utemur, statuendo nempe rem jam a sæculo quinto esse omnino certam, et ab hoc sæculo ad tempora apostolica regrediendo.

a) *Sæculo quinto* privatam confessionem in usu fuisse certissime constat e testimonio *S. Leonis Magni.* Audiens siquidem Pontifex nonnullos sacerdotes publice legisse peccata pænitentium libellis scripta, hanc praxim condemnat tanquam *apostolicæ regulæ* contrariam; "cùm reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicare *confessione secretâ*" [3].

---

[1] Vide *Syn. maj.*
[2] Ita egerunt Conc. *Strigonense* (Gran), an. 1114, *Parisiense VI*, quæ viam paraverunt *C. Lateranensi* IV (1215)
[3] *Epist. 168* ad Episcopos Campaniæ, *P. L.*, LIV, 1211, Denz.-Bann., 145.

b) *Quarto sæculo* viguisse secretam confessionem testantur inter alios *S. Aphraates* qui, sacerdotes alloquens, eis præcipit ne aliis manifestent peccata in confessione revelata[1]; *S. Ambrosius*, de quo scribit Paulinus diaconus[2]: "Causas autem criminum quas illi confitebantur, *nulli* nisi Domino soli, apud quem intercedebat, *loquebatur*".

Idem confirmatur institutione *pœnitentiariorum*, quorum munus erat *privatas* confessiones audire.

c) Sæculo tertio, idem constat ex variis testimoniis. Ita *Origenes* testatur suo tempore *publicam* et *privatam* confessionem fuisse in usu[3].

Pariter *S. Cyprianus* supponit secretam esse confessionem, dum loquitur de iis qui "quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel *cogitaverunt*, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesim conscientiæ faciunt[4]".

d) Sæculo *secundo*, non invenimus quidem explicitum testimonium; sed cùm jam tertio sæculo privata confessio in usu esset apud Græcos et Latinos, nec ullum hâc de re inveniatur alicujus mutationis vestigium, merito infertur eam usque ad apostolica tempora ascendere, prout reapse docet *S. Leo*, textu supra citato.

1146. Conclusio. a) Privata igitur confessio ab initio in usu fuit, etsi non semper omninò secreta, cùm peccata aliquando indirecte manifestarentur publicæ pænitentiæ impositione. Quâ manifestatione apud aliquos fovebatur quidem christiana humilitas et solidaritas, sed etiam in aliis excitabatur verecundia quâ a frequentatione sacramenti deterrebantur.

b) Unde Ecclesia paulatim publicam confessionem posteaque publicam pænitentiam abolevit.

1147. Scholion. *Confessionis utilitas ratione ostenditur :*

A) *Ex parte Dei*, cui congrua satisfactio sic exhibetur : omni enim peccato inest *inobedientia* et *aliqualis superbia* quæ apte compensantur per humilem confessionem et obedientiam erga confessarium.

B) *Ex parte hominis*, qui a) ex confessione haurit *securitatem* et pacem, (et quidem eo majorem quo accuratius confessionem peregit et contritionem concepit) : nam absolutio

---

[1] *Demonst. VII*, n. 3-4, *Patrol. Syr.*, I, 318-319, JOURNEL, 685.
[2] In hujus Sancti *Vitâ*, *P. L.*, XIV, 40.
[3] *Homil. II* in Ps. 37, n. 6, *P. G.*, XII, 1386, KIRCH, 216.
[4] *De lapsis*, 28, *P. L.*, IV, 488; JOURNEL, 553.

sacramentalis est condonationis divinæ pignus authenticum; b) confessione *a peccatis deterretur* et abducitur : siquidem conscientiam scrutando, occasiones peccandi videt et fugit, media ad tentationes superandas discit; præterea obligatio omnia, etiam secretissima, aperiendi eum vigilantiorem efficit; c) *ad virtutum praxim* maxime incitatur et roboratur : siquidem in confessione sacramentali invenimus *amicum* fidelissimum, cui delicta, infirmitates et vulnera cordis aperire possumus; *ducem* spiritualem qui vias Domini nos edocet, non generali modo, ut fit in prædicatione, sed speciali, nostris infirmitatibus accommodato[1]; *adjutorem*, qui zelo Dei flagrans, nos impellit ad vitia expellenda virtutesque colendas.

C) *Ex parte societatis :* prudens enim confessarius legum humanarum simul ac divinarum observantiam urget, societatem domesticam, quæ societatis civilis est fundamentum, recte ordinat, lites et dissidia componit, inimicos reconciliat, bonorum ablatorum restitutionem procurat, scandala prævenit vel reparat; imo confessio hanc æqualitatem, de quâ nostra ætas gloriatur, maxime promovet, cùm lex confitendi omnes afficiat.

§ II. De contritione.

Duo præsertim explicantur : 1° *natura* et *necessitas* contritionis; 2° ejus *efficacia* ad remittenda peccata cum vel sine reali susceptione sacramenti Pænitentiæ.

I. *Natura et necessitas contritionis.*

1148. 1° Natura. Contritio, cujus natura jam innuitur suis nominibus *(contritio, cordis compunctio, cordis scissio)* a *Tridentino* definitur[2] : “ *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero* ”.

Dicitur : a) *animi dolor :* cùm enim peccatum sit summum malum Bonitati divinæ renitens, peccator sincere ad Deum revertens, de delictis a se commissis non potest non tristari; b) *detestatio*, id est odium peccati, procedens ex cognitione ejus malitiæ malorumque effectuum, conjunctum cum retractatione pravæ voluntatis, ita ut peccator sincere dicat : Si res non esset peracta, non facerem; vellem non peccâsse; c) *cum proposito non peccandi de cetero :* nemo enim vere peccata commissa detestatur quin eo ipso velit hæc peccata in futurum vitare.

---

[1] *Act.*, IX, 7. — [2] Sess. XIV, cap. 4, DENZ.-BANN., 897 (777).

1149. 2° **Thesis** : *Vera contritio, qualis modo definita est*, **necessaria** *est ad peccatorum veniam consequendam, sive intra, sive extra sacramentum.* Certum est

A) *Scripturâ.* Id constat ex textibus supra allatis (n. 1121), qui respiciunt tempora ante Christum elapsa. Pænitentia enim, quæ ibi requiritur, est conversio ad Deum, aversio a viâ iniquitatis, immutatio cordis et vitæ, cor contritum et humiliatum. Quæ quidem omnia important animi dolorem ac detestationem de peccato cum proposito emendationis.

Etiam post Christi adventum et institutionem sacramentorum, contritio manet necessaria; nam quando Judæi aut Gentiles ad christianam fidem convertuntur, prima dispositio ab eis requisita post fidem, est pænitentia seu contritio : " Pænitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum... Pænitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra... [1] ".

B) *Traditione.* Tota *pænitentialis disciplina* eo fine instituta fuerat ut, frequenti recogitatione peccatorum et laboriosâ eorum expiatione, necnon Ecclesiæ precibus, in pænitentibus animi dolor ac detestatio peccati necnon vitæ emendandæ desiderium vivide excitarentur.

Dicit enim *S. Justinus* [2]: " Quomodo impuri..., *nisi lamententur et plangant*, spem habere possint non imputaturum eis Dominum peccatum ". Pariter *S. Cyprianus* veniam pænitentibus promittit, " actâ pænitentiâ et professâ frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac *vere pænitentis animi signa prodiderint* [3] ".

II. *Efficacia contritionis cum vel sine absolutione ad remittenda peccata.*

1150. Prænotanda. 1° *Historicus conspectus.* Ex dictis constat christianum, culpæ mortalis reum, non posse justificari nisi contritionem habeat et se potestati clavium subjiciat. Sed, jam a sæc. V°, quæstio agitata

---

[1] *Act.*, II, 38; III, 19; cfr. VIII, 22; XI, 18.
[2] *Dial. cum Tryph.*, n. 141, *P. G.*, VI, 798-799. Cf. JOURNEL, 146.
[3] *Ep. XXXI*, *P. L.*, IV, 315. Cfr. S. AMBROSIUS, *De Pænitent.*, l. II, c. 10, *P. L.*, XVI, 519; S. CHRYSOSTOMUS, *De Compunctione.*

est, quænam sint partes *contritionis* et *absolutionis* in remissione peccatorum.

S. Augustinus[1] asserit contritionis simul et absolutionis efficaciam, sed utriusque partes parum explicat. Hanc autem explicationem *Scholastici* paulatim tradunt.

a) *Hugo a S. Victore*[2] dixit, et quidem bene, contritione non remitti peccata nisi votum accedat absolutionem suscipiendi; adjecit verò absolutione concedi pœnæ æternæ remissionem : in quo supponit minus recte peccatum posse remitti quin remittatur pœna æterna.

b) *Petrus Lombardus*[3] docuit quidem contritione perfectâ remitti tum peccatum, tum peccati pœnam, sed perperam adjecit absolutione *authentice ostendi* peccata dimissa esse, ita quasi præludens errori Protestantium.

c) *S. Thomas* distinctius exponit discrimen inter contritionem caritate perfectam et attritionem, atque hanc sufficere ad remissionem peccatorum asserit, accedente tamen sacerdotis absolutione[4]. Addit tamen (quod hodie rejicitur) attritionem non sufficere *ex se*, sed ratione *bonæ fidei*. Ceteroquin docet absolutione augeri gratiam, si hæc jam habetur.

d) *Scotus* feliciùs adhuc docuit attritionem, quæ ex metu inferni concipitur, sufficere ad remissionem peccati, accedente absolutione, dummodo pænitens actu peccato non adhæreat[5].

1151. 2° *Doctrina hodie communiter recepta.* Duplex distinguitur contritio : a) *perfecta* quæ perficitur caritate *proprie dictâ* seu *theologicâ*, et quidem sive extrinsece quatenus eam concomitatur actus caritatis formaliter conceptus, sive intrinsece quatenus ex motivo ipso caritatis concipitur; b) *imperfecta* quæ nominatur attritio et concipitur ex motivo supernaturali minus perfecto, v. g., ex turpitudine peccati vel pœnarum metu.

De quibus tria probabimus : 1° *contritionem perfectam* absque reali susceptione sacramenti peccatorem justificare; 2° *attritionem* sufficere *cum absolutione* ad justifica-

---

[1] *Sermo* 67, *P. L.*, XXXVIII, 434.
[2] *De Sacramentis*, l. II, p. XIV, c. 8, *P. L.*, CLXXVI, 564-570.
[3] *Lib. IV Sent.*, dist. XVIII, *P. L.*, CXCII, 885-889.
[4] *In IV Sent.*, dist. 22, q. 2, a. 1; cf. *Supplementum* Sum. theol., q. 10, a. 1; q. 18, a. 1.
[5] *In IV Sent.*, dist. 14, q. 4, n. 7.

tionem; 3° *attritionem* proinde esse *vere utilem* non autem damnandam hypocrisim.

1152. **Thesis I[a]** : *Contritio perfecta peccata gravia remittit, absque sacramenti Pœnitentiœ reali susceptione, non tamen sine ejus voto. Certum est*

A) *Trident.*[1] : " Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate *perfectam* esse contingat, *hominemque Deo reconciliare;*... ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, *sine sacramenti voto* quod in illâ includitur, non esse ascribendam ".

B) *Script.* a) In *Vet. Test.* legimus : " Ego (scilicet Deus) diligentes me diligo[2] "; id est, diligit Deus diligentes se, et consequenter perfecte contritos, qui ex dictis, Deum diligunt amore caritatis; quos autem diligit Deus, gratiâ sanctificante ornat et a peccatis liberat. Et sane, sub veteri Lege adulti delictorum remissionem obtinere poterant sine sacramento Pænitentiæ. Atqui si id obtinere poterant, certe per actum nobilissimum, qualis est pænitentia caritate perfecta.

b) Nec res aliter se habet in *N. Lege*, post institutum Pænitentiæ sacramentum; Christus enim, sine ullâ restrictione, discipulis dixit : " Si quis diligit me, sermonem meum servabit : et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus[3] "; ex quo clare colligitur eum qui diligit Christum seu est perfecte contritus, statim frui divinâ inhabitatione, quæ sine gratiâ habituali non habetur.

C) *Ratione convenientiœ :* contritio enim dispositio est perfectissima quæ a peccatoribus haberi possit, et cum amorem Dei importet, ad divinam amicitiam optime eos disponit.

1153. **Explicatur thesis.** Diximus *non sine sacramenti voto*, quia, cùm sacramentalis confessio sit in N. Lege necessaria, peccator non potest vere esse contritus, quin velit sincere delicta sua clavium potestati tempore opportuno subjicere. Sufficit tamen votum *implici-*

---

[1] Sess. XIV, cap. 4, Denz.-Bann., 898 (778). — [2] *Prov.*, VIII, 17.
[3] *Joan.*, XIV, 23; cf. *Joan.*, XIV, 21; *I Joan.*, IV, 16; *Luc.*, VII, 47.

tum, quale invenitur in voluntate omnia adimplendi quæ ad salutem necessaria sunt.

Absolutio autem sacerdotis, nedum sit inutilis, **a**) producit gratiam ex opere operato quâ justitia peccatoris jàm justificati augetur, **b**) securitatis et pacis dat incrementum, **c**) pœnam temporalem peccato remisso debitam magis ac magis minuit, **d**) contra relapsum in peccata voluntatem roborat.

1154. **Disputatur** : A) utrum necesse sit contritionem procedere ex motivo infinitæ bonitatis, *quatenus est aggregatio omnium perfectionum*, an sufficiat ut eliciatur ex motivo *cujuscumque attributi divini* offensi, puta misericordiæ, sapientiæ. Judicio nostro, quæstio est magis speculativa quam practica; nam ex se omnia divina attributa cum ejus infinitâ bonitate connectuntur, et aliunde qui peccata detestatur utpote unum ex divinis attributis lædens, alia attributa non excludit, proindeque contritionem vere perfectam habet.

B) Num alia motiva, præter caritatem, sufficiant ad contritionem perfectam immediate peccati remissivam. *Scotistæ* dicunt motivum contritionis perfectæ esse omne motivum quod spectat ad Deum, v. g , quod desumitur ex virtutibus pænitentiæ, religionis aut obedientiæ : his enim virtutibus peccatum detestamur tanquam offensam Dei, ejus juribus et voluntati oppositam. Cui opinioni accedunt nonnulli hodierni auctores, *Hurter*, *Palmieri*, *Egger*, juxta quos amor *spei* et *gratitudinis* ad perfectam contritionem sufficere potest. Revera hic amor : **a**) ut nobilissimus a sacrâ Scripturâ commendatur; **b**) est valde perfectus, et in gloriam Dei maxime cedit.

Unde censemus hanc opinionem esse misericordiæ divinæ valde consentaneam; eâque admissâ, multo melius intelligi quomodo Judæi justificari potuerint absque sacramento, pariter quomodo Acatholici, qui in bonâ fide versantur, veniam peccatorum suorum obtinere valeant. Hæc tamen opinio non est communis, et in praxi conandum est ex amore spei et gratitudinis ad amorem caritatis ascendere.

1155. **Thesis IIa** : *Ad remissionem peccatorum consequendam vi sacramenti Pœnitentiæ non requiritur contritio perfecta, sed sufficit attritio.* Certum est contra quosdam antiquiores theologos (supra, n. 1150).

1° **Declaratur.** Contritio imperfecta *attritio* dicitur; nam, ut ait *S. Thomas*[1], in corporalibus attrita dicuntur

[1] S. Thom., *Supplementum*, q. 1, a. 1.

quæ aliquo modo confracta sunt, sed non adhuc perfecte comminuta, ideoque attritio, in spiritualibus, significat quamdam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam. — Definiri potest *dolor et detestatio peccati procedens ex motivo supernaturali ad perfectam contritionem non sufficiente.*

Juxta *Tridentinum*[1], attritio supernaturalis ex duplici præsertim motivo concipi potest, " vel ex *turpidinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu* "; gehennæ autem metus involvit metum amittendi æternam beatitudinem, ut alibi[2] docet idem Concilium. Consideratio motivi supernaturalis esse debet, innixa videlicet rationibus *fide* cognitis, v. g., ex eo quod peccatum mortale sit injustitia contra Deum, aliquid viro christiano indignum, inurens animæ maculam ex privatione gratiæ habitualis, etc. — Metus gehennæ vel pænarum supernaturalium, est motivum minus quidem nobile, bonum tamen et utile. Duplex enim Dei timor distinguitur : timor *filialis*, seu *castus*, quo quis ex amore et reverentiâ Deum offendere timet; *servilis*, quo timetur Deus propter pænas quas minatur. Hic autem est *simpliciter servilis*, si quis non solum ab opere malo abstinet sed etiam affectum ad peccatum deponit; vel *serviliter servilis*, quando quis retinet peccandi affectum. Jamvero timor *filialis* melior est, timor autem *simpliciter servilis* bonus, sed *serviliter servilis* est malus.

1156. 2° **Probatur.** A) Constat a) *Tridentini* textu quo declaratur duplicem esse contritionem : *perfectam*, quæ peccatorem Deo reconciliat priusquam sacramentum actu suscipiatur; *imperfectam* seu attritionem, quæ " eum ad Dei gratiam in sacramento pænitentiæ impetrandam disponit ", et quidem *proxime*, ut apparet ex contextu[3]; b) alio textu in quo statuitur per sacramentum Pænitentiæ peccata *vere remitti*[4], et simul damnatione hujusce propositionis *Baianæ* : " Peccator pænitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo[5] ". Nam si contritio perfecta ad absolutionem prærequireretur, peccata non vere remitterentur per sacramentum Pænitentiæ, nec unquàm peccatores vivificarentur sacerdotis ministerio, cum jam contritione justificati fuissent.

---

[1] Sess. XIV, cap. 4. — [2] Ibid., can. 5. — [3] Cf. *Syn. maj.*
[4] Sess. XIV, can. 3, Denz.-Bann., 913 (791).
[5] Denz.-Bann., 1058 (938).

B) Præterea, praxis, antiqua simul et universalis, *sollicite* absolvendi moribundos, vix explicatur quin admittatur attritionem non sufficere solam, sed sufficere[1] cum absolutione.

1157. **Corollarium.** *Pœnitens, recipiendo sacramentum, fit ex attrito contritus*, non quidem eo sensu quod attritio fieri possit contritio, sed a) quia attritio simul cum sacramento æquivalet contritioni quoad effectum productum, nempe peccati remissionem; b) quia attritus absolutionem recipiendo, simul gratiam habitualem et virtutem caritatis accipit, quâ fit contritus in *habitu*, proxime potens actum contritionis perfectæ elicere.

1158. **Thesis III**[a] : *Attritio concepta ex fœditate peccati, amissione æternæ beatitudinis et æternæ damnationis incursu, est verus et utilis dolor ad gratiam præparans.* De fide est ex *Tridentino* contra Lutheranos : " Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem... A. S.[2] "

Prob. A) *Script.* Attritio quæ concipitur ex timore bono, bona est et honesta. Sed timor servilis est bonus cùm in sacris litteris commendetur et præcipiatur : " Sanctum et terribile nomen ejus : initium sapientiæ timor Domini[3] "; " Timor Domini expellit peccatum : nam qui sine timore est, non poterit justificari[4] ".

Unde *S. Chrysostomus* ait : " Nisi bonum esset timor, non multos impendisset Christus sermones et longos de pænâ et supplicio illic futuris loquens[5] ".

B) *Rat. theol.* Qui enim peccatum detestatur et vitat ad fugiendam pœnam, a) non eo ipso *excludit* altius moti-

[1] De controversiâ quoad necessitatem alicujus amoris cum attritione, cfr. *Brevior synopsis moralis*, n. 975.
[2] Sess. XIV, can. 5., Denz.-Bann., 915 (793). — [3] *Ps. CX*, 10.
[4] *Eccli.*, I, 27. Cf. *Matth.*, X, 28; *Luc.*, XII, 4.
[5] *Homil. XV* ad pop. Ant., n. 2, *P. G.*, XLIX, 156.

vum, sed tantum ab illo *abstrahit;* b) imo non est necessario ita dispositus ut fugiat ac detestetur peccatum *unice* propter pœnam avertendam; sed potest, ad vitandam pœnam, peccatum ipsum detestari. Porro de tali attritione agitur in thesi nostrâ.

§ III. De satisfactione.

1159. Notio. Satisfactio, quatenus est pars sacramenti, definitur : *voluntaria toleratio pœnæ a confessario impositæ, ad compensandam injuriam Deo illatam, redimendamque pœnam temporalem, etiam post remissum peccatum ordinarie debitam.*

1160. **Errores.** A) *Protestantes* dicunt peccatum a Deo non posse condonari quin simul pœnæ peccato debitæ plena sit remissio. Quod probare conantur : a) ex infinitâ satisfactione Christi; b) ex notione quam sibi effinxerunt justificationis, ad quam, inquiunt, sola fides *plene* sufficit.

B) Ex adverso *Jansenistæ* contendebant pænitentes non debere absolvi nisi prius peractâ laboriosâ diuturnâque pænitentiâ ipsis injunctâ.

Contra hunc duplicem errorem duplex erit thesis.

1161. Thesis I[a] : *Pœna peccato debita non semper tota simul remittitur a Deo, sed, sublatâ per absolutionem sacerdotis culpâ pœnâque æternâ, plerumque luenda manet pœna temporalis.* De fide est ex *Trident.*[1] : " Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpâ remitti semper a Deo, satisfactionemque pænitentium non esse aliam quam fidem, quâ apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, A. S. "

1° *Script.* Tum *factis*, tum *dictis* constat non semper pœnam cum culpâ condonari.

A) *Factis ;* videmus Adamum in statum gratiæ restitutum, pœnas temporales luere[2]; Moysen et Aaron, postquam veniam peccati incredulitatis obtinuerunt, a terrâ promissâ in pœnam peccati prohiberi[3]; David, in pœnam peccati etiam remissi, morte filii affligi[4]. Quæ quidem pœnæ non solum in emendationem, ut Protestantes

[1] Sess. XIV, c. 12, DENZ.-BANN., 922 (800)
[2] *Sap.*, X, 1-2; *Genes.*, III, 17-19.
[3] *Num.*, XX, 12. — [4] *II Reg.*, XII, 13-14.

volunt, sed etiam in *castigationem* peccati inflictæ sunt, ut ex contextu patet, et ex eo quod non solum adulti sed etiam infantes in pœnam peccati moriuntur.

B) *Verbis* : "Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro, *in jejunio, et in fletu et in planctu*[1]"; "Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum[2]"; "Facite ergo fructus dignos pænitentiæ[3]". Huc etiam pertinent textus quibus demonstratur nos salvari non posse, nisi crucem nostram tollamus, cum Christo patiamur, et in carne nostrâ adimpleamus ea quæ desunt passionum Christi; ex quibus colligitur Dominum non ita pro nobis satisfecisse, ut ab obligatione satisfaciendi liberemur, sed ut cum eo magis efficaciter peccata expiare valeamus.

2° *Tradit.* Patres ore unanimi talis pænitentiæ necessitatem docuisse Protestantes ipsi fateri coacti sunt; ita *Chemnitius*[4] ait : "Nec vero nescius sum veteres aliquando nimis largiter et verbis nimium magnificis disciplinam canonicam commendare, ut quod *Tertullianus* dicit satisfactionibus illis peccata expiari, *Cyprianus* illis dicit peccata redimi, ablui, sanari et judicem placari; *Ambrosius*, pœnas gehennæ illis compensari; *Augustinus*, Deum illis de peccatis præteritis propitiari".

3° *Ratione convenientiæ.* a) *Ex parte Dei :* decet quidem Deum, ut *legislatorem* et *rectorem*, delicta non remittere absque pœnâ temporali, tum ut in futurum leges a pænitente melius serventur, tum ut alii a malo deterreantur et sic bonum societatis promoveatur, tum denique ut jura non solum misericordiæ sed etiam justitiæ, quoad fieri potest, salventur.

b) *Ex parte pœnitentis :* nam, ut ait *Tridentinum*[5], "procul dubio magnopere a peccato revocant, et quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pænitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt".

1162. Corollarium. Ea opera, omnia et sola, possunt esse satisfactoria quæ sunt : a) *bona* ut offerri queant in honorem Dei; b) *pœnalia :* 1) ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur et sic compensetur id quod peccator, quantum in ipso est, Deo subtraxit, ejus majestatem offendendo; 2) ut a relapsu præ-

---

[1] *Joel*, II, 10. — [2] *Dan.*, IV, 24. — [3] *Luc.*, III, 8.
[4] *Exam. Concil. Trident.*, p. 4.
[5] Sess. XIV, cap. 8, DENZ.-BANN., 904 (783).

servent : non enim facile homo ad peccata redit ex quibus pœnam expertus est.

Notetur vix esse, in præsenti statu naturæ lapsæ, aliquod opus supernaturaliter bonum quod non sit simul arduum et pœnale[1].

1163. **Thesis II**[a] : *Pænitentes, qui votum satisfaciendi habent, absolvi possunt antequam sacramentalem satisfactionem impleverint.* Certum est contra *Jansenistas*.

A) *Ex praxi Ecclesiæ :* Constat enim jam primævis sæculis absolutionem datam fuisse ante satisfactionem impletam : a) in periculo mortis[2]; b) urgente persecutione[3]; c) quando periculum erat ne, dilatâ absolutione, pænitentes ad hæreticos transirent[4]; d) imo, ad arbitrium Episcopi[5].

Certum est insuper, sæculis subsequentibus et quidem longe ante Jansenianam hæresim, viguisse in Ecclesiâ praxim absolvendi pænitentes, satisfactione nondum completâ. An. 1479, a *Sixto IV* damnata fuerat ut scandalosa et hæretica hæc propositio Petri Oxomensis : " Non sunt absolvendi pænitentes, nisi peractâ prius pænitentiâ eis injunctâ[6] ". Tandem ab *Alexandro VIII*, 7 dec. 1690, reprobata fuit hæc Jansenistarum propositio : " Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, naturâ rei id ipsum quodammodo dictante[7] ".

B) *Rat. conv.* Deus perfecte contritis statim peccata remittit, etiam nondùm satisfactione plene solutâ, ut constat exemplo *David* et testimonio *Ezechielis*[8]. Sed decet Ecclesiam erga pænitentes Deum imitari.

Articulus III. De ipso sacramento.

§ I. De ejus existentiâ.

1164. **Thesis** : *Ritus quo potestas peccata dimittendi exercetur, est verum N. Legis sacramentum, a Baptismo distinctum.* De fide est ex *Trident.*[9] : " Si quis dixerit

---

[1] Vide *Brev. synops. mor.*, n. 1037.
[2] S. Innocentius I, *Epist. ad Decentium*, c. 7, *P. L.*, XX, 559.
[3] S. Cyprianus, *Ep. 54 ad Cornelium*, n. 2, *P. L.*, III, 728.
[4] S. Cyprianus, *Ep. 52 ad Antonianum*, n. 15, *P. L.*, III, 781.
[5] *Concil. Ancyr.* (an. 314), can. 5.
[6] Denz., 728 (614). — [7] Denz., 1306 (1173). — [8] XXXIII, 12.
[9] Sess. XIV, can. 1-2, Denz.-Bann., 911, 912 (789, 790).

in Catholicâ Ecclesiâ Pænitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; A. S." — "Si quis sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pænitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint... A. S." — Thesis breviter probatur, quia, per modum corollarii, infertur ex dictis circa potestatem clavium.

1° *Script.* Ritus enim quo peccata remittuntur nobis exhibetur : a) ut *signum sensibile*, a Baptismo distinctum; nam, 1) ex textu S. Joannis, peccata remittuntur actu judiciali importante peccatorum manifestationem et judicis sententiam, quibus significatur congruenter liberatio a peccato; 2) Pænitentia sub *formâ judicii* confertur dum Baptismus *ablutione* conficitur;

b) *gratiæ productivum :* 1) peccata enim gravia per hunc ritum vere remittuntur (n. 1125) : quod fieri nequit sine infusione gratiæ sanctificantis; 2) hæc autem differt a gratiâ baptismatis, cùm sit proprie *remissiva* peccati ac possit *pluries* concedi, dum gratia in baptismo collata est *regenerativa* ac *semel* tantum confertur;

c) *A Christo permanenter institutum*, quod constat : 1) ex generali principio, a Protestantibus concesso, omnes nempe prærogativas Ecclesiæ quibusvis temporibus æqualiter convenientes et necessarias, Apostolis fuisse concessas non pro ipsis tantum, sed etiam pro successoribus; 2) historiâ, quæ ostendit hanc facultatem ab Ecclesiâ fuisse perpetuo vindicatam et exercitam.

2° *Traditione :* Patres enim, ut *S. Ambrosius* [1], *S. Hieronymus* [2], *S. Augustinus* [3], sæpe Baptismo Pænitentiam æquiparant quoad peccatorum remissionem et infusionem gratiæ.

3° *Rat. convenientiæ :* Decebat enim divinam misericordiam sacramentum instituere in remedium non tantum peccati originalis, sed etiam actualis post Baptismum commissi : homo enim, etiam regeneratus, multis tentationibus obnoxius remanet et facile labitur.

---

[1] *De Pænit.*, *P. L.*, XVI, p. 465-524, JOURNEL, 1295.
[2] *Dialog. 2 adv. Pelag.*, n. 33, *P. L.*, XXIII, 427.
[3] *De conjug. adult.*, lib. II, c. 16, *P. L.*, XL, 482, JOURNEL, 1864.

§ II. De elementis constitutivis hujus sacramenti.

I. *De materiâ.*

1165. 1° Materia Pænitentiæ *remota*, seu *circa quam* versatur sacramentum, sunt *omnia peccata post baptismum commissa.* Mortalia nondum accusata et absoluta sunt materia *necessaria*, seu necessario subjicienda clavibus Ecclesiæ; venialia vero et mortalia jam remissa, sunt materia *sufficiens et libera*, id est quæ potest, sed non necessario debet clavium potestati subjici.

1166. 2° De *materiâ proximâ* hujus sacramenti disputant theologi.

A) Nonnulli antiquiores, ut *Gulielmus Antissiodor.* et *Alexander Alens.* putârunt materiam proximam sitam esse in *impositione manûs* a sacerdote factâ, dum pænitentem absolvit. Sed hæc opinio communiter a theologis rejicitur.

B) *Scotistæ,* quibus assentiunt *Ballerini* et *Berardi*, dicunt totam essentiam sacramenti consistere in *absolutione* quæ, quatenus est cæremonia externa, est materia, quoad autem significationem, est forma. a) Juxta *Scotum* veteresque ejus discipulos, tres actus pænitentis sunt non solùm *dispositiones* ad validam et fructuosam sacramenti receptionem, sed etiam *conditiones* sine quibus præcedentibus non potest minister sufficienter cognoscere causam et sententiam ferre; quapropter concludunt exteriorem harum dispositionum manifestationem esse de necessitate sacramenti. b) Juxta *recentiores* Scotistas, hujusmodi actus sunt tantum *dispositiones* quas necesse non est ad validitatem manifestare.

Suam autem theoriam inferunt Scotistæ : 1) ex textu in quo *Tridentinum* actus pænitentis vocat *quasi* materiam et dicit eos requiri non ad *essentiam*, sed ad *integritatem* sacramenti; 2) ex eo quod, juxta eos, sola absolutio sacerdotis significat et ideo producit gratiam; 3) ex praxi Ecclesiæ absolutionem dandi iis etiam qui nullum *exterius* edunt signum contritionis.

1167. Thesis : *Tres pænitentis actus, contritio, confessio et satisfactio, sunt materia proxima sacramenti Pænitentiæ.* Ita communius.

Prob. A) Ex *Concil.* : a) *Florentino* quod in *Decreto ad Armenos*, post declaratam necessitatem materiæ et formæ in quolibet sacramento, hæc addit : " Quartum

sacramentum est Pænitentiæ, cujus *quasi materia* sunt *actus pœnitentis*"; b) *Tridentino*[1] : "Sunt autem *quasi materia* hujus sacramenti ipsius *pœnitentis actus*, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in pænitente ad integritatem sacramenti, àd plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hâc ratione Pænitentiæ partes dicuntur". Unde sic : duo præfata Concilia quæ materiam et formam ceterorum sacramentorum distincte commemoraverunt, nullam aliam materiam Pænitentiæ designârunt nisi tres actus pænitentis; ergo illi actus sunt materia proxima hujus sacramenti. "Neque vero hi actus *quasi materia* a S. Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materiæ non sint, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, et chrismā in Confirmatione[2]".

B) *Ex naturâ sacramenti Pœnitentiœ.* Christus hoc sacramentum instituit per modum judicii. Judicium autem, prævie ad sententiam judicis, essentialiter importat materiam de quâ judicetur. Sed materia judicii, quod in hoc sacramento est judicium tum misericordiæ, tum reparationis et expiationis pro peccatis commissis, apte tribus pænitentis actibus constat, videlicet humili peccatorum *confessione*, quam sincera *contritio* comitatur et *satisfactio* sequitur; ergo hujusmodi actus sunt vere materia proxima sacramenti. Aliunde contra secundam rationem Scotistarum advertendum est in hoc sacramento sicut in ceteris, formam esse principalem causam gratiæ, sed non unicam : materia enim vi formæ ipsa est efficax.

Fatemur tamen Scotistarum opinionem probabilitate non omninò carere, et proinde in casu extremæ necessitatis, etiamsi externa contritionis signa desint, pænitentem sub conditione esse absolvendum. Raro autem potest æstimari quod hæc signa desint : possunt enim esse quin advertantur.

II. *De formâ.*

1168. *Tridentinum*[3] docet "sacramenti Pænitentiæ formam, in quâ præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri

[1] *Trident.*, sess. XIV, cap. 3; cfr. can. 4, DENZ.-BANN., 896 (776), 914 (792).
[2] *Catech. C. Trident.*, de Pænit., n. 12.
[3] *Trident.*, sess. XIV, cap. 3, DENZ.-BANN., 896 (776).

verbis positam esse : *ego te absolvo*, etc.; quibus quidem de Ecclesiæ S. more preces quædam laudabiliter adjunguntur... "

Hæc est quidem forma hodie in Ecclesiâ occidentali adhibita; cum vero antiquitus aliæ formæ usurpatæ fuerint, abs re non erit has breviter describere.

1169. 1° **Facta exponuntur.** A) In utrâque Ecclesiâ, per decem priora sæcula, formæ absolutionis adhibitæ fuerunt *deprecativæ*, nempe : " Deus, ei condona, eum absolve, etc."; non autem indicativæ : " Ego te absolvo, tibi condono, etc."

Quod constat : **a**) ex testimonio Patrum, qui, cum S. Leone, dicunt in sacramento pænitentiæ indulgentiam Dei *supplicationibus sacerdotum* obtineri [1]; **b**) sed præsertim ex *Sacramentariis* et *Pænitentialibus*, v. g., e Sacramentario *Gelasiano* [2] et Pænitentiali *Halitgari* [3], ubi nonnisi deprecativæ formulæ inveniuntur. Attamen, sæculis octavo et nono, inveniuntur etiam formulæ *imperativæ* deprecativis conjunctæ, v. g. : " Sis namque absolutus a Deo Patre et Filio et sancto Spiritu, ab omnibus tuis peccatis [4] ".

B) A sæculo *undecimo*, in Ecclesiâ *latinâ* incipit *transitus* a formulis deprecativis ad indicativas, ambæque simul in iisdem documentis inveniuntur. Ita, in Ordine Ecclesiæ Remensis, sæc. XII, absolutionis forma legitur simul deprecativa et indicativa [5]. — Paulo post autem forma *indicativa* communiter in Ecclesiâ Latinâ recepta fuit; attamen, antequam pronuntietur, recitantur preces " *Misereatur*, *Indulgentiam*, Dominus noster Jesus Christus *te absolvat* ", quæ sunt veluti vestigium antiquæ disciplinæ.

C) In ecclesiâ *orientali*, post sæculum XIII, forma mansit deprecativa, imo et hodie apud quosdam manet.

1170. 2° **Conclusiones ex factis deducendæ.** A) Cum *Hurter* (n. 626), indubitanter tenemus formam deprecativam validam fuisse, ubicumque modo generali prævaluit; non enim censemus absolutiones datas per multa sæcula, invalidas fuisse. Aliunde forma deprecativa, cum intentione absolvendi, et attentis circumstantiis, ostendit sacerdotem esse Dei ministrum et nonnisi aucto-

---

[1] Ep. 108 ad Theodor., *P. L.*, t. LIV, p. 1011, DENZ.-BANN., 146.
[2] Ap. *Migne*, *P. L.*, t. LXXIV, p. 1097.
[3] *P. L.*, t. CV, pp. 697, 704.
[4] Ita in Pænitentiali *Egberti*, archiep. Eboracensis (an. circiter 732), ap. *Morinum*, *De pænitent.*, Appendix, p. 19.
[5] Ap. *Morinum*, op. cit., p. 48; cfr. p. 71.

ritate ejus absolvere, non autem impedit quin sacerdos sit judex vereque ministerialiter absolvat.

B) Quidquid est, cùm jam a pluribus sæculis Ecclesia *occidentalis* indicativæ formæ usum præscripserit, merito de valore formæ deprecativæ in Ecclesiâ *latinâ* dubitaretur.

§ III. De effectibus sacramenti Pænitentiæ.

1171. Sacramentum Pænitentiæ producere gratiam *ex opere operato* satis constat ex *Tr. de Sacramentis.*

A) Quando pænitens in *peccato mortali* versatur : a) gratia huic sacramento propria est gratia *peccati remissiva*, quæ appellatur gratia *resurrectionis* quâ spiritualiter mortui vitam gratiæ recuperant; *sanationis*, quâ eorum vulnera, ipsis cooperantibus, curantur; *reconciliationis*, quâ, reparatâ injuriâ Deo irrogatâ, in divinam amicitiam recipiuntur. b) Huic annectitur jus ad *gratias actuales* tempore opportuno recipiendas, quibus pro præteritis peccatis pænitens satisfacere valeat, futuraque in posterum vitare. c) Remittitur *pœna* æterna et minuitur pœna temporalis. peccato debita. d) *Merita* per peccatum mortificata *reviviscunt.*

B) Quando pænitens jam in *statu gratiæ* est, accipit : a) *augmentum* gratiæ habitualis cum jure ad gratias actuales contra peccatum; b) *venialium* quæ cum contritione confessus est *remissionem;* c) partialem saltem *pœnæ temporalis condonationem.*

Cùm plura ex his jam declarata fuerint, satis erit breviter exponere : 1° *remissionem omnium mortalium ;* 2° *remissionem pœnæ* peccato debitæ; 3° *reviviscentiam meritorum.*

I. *De remissione peccatorum mortalium.*

1172. Jam supra probavimus (n. 1125) per sacramentum Pænitentiæ condonari omnia peccata post Baptismum commissa, nec ullum peccatum esse irremissibile. Duo nunc addere juvat :

1° *Non potest unum mortale remitti sine alio.* Etenim : a) peccatum non tollitur nisi per infusionem gratiæ habitualis; atqui quodlibet peccatum mortale directe gratiæ

habituali contrariatur eamque excludit; ergo unum lethale peccatum non potest sine alio remitti; **b**) peccatum non potest remitti sine verâ pænitentiâ, ad quam pertinet peccatum detestari quatenus est offensa Dei; atqui omnia peccata vere Deum offendunt; ergo non potest quis vere de uno peccato pænitens esse quin de omnibus aliis doleat, saltem *virtualiter*, imo *formaliter*, si de eis actu cogitat[1].

1173. 2° *Sacramentum pœnitentiæ*, sicut cetera sacramenta, *suos effectus producit ex opere operato*, proindeque non solum declarat peccata esse remissa, sed hanc remissionem *vere causat*, ut definivit *Tridentinum* contra Protestantes : " Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tamen credat se esse absolutum... A. S.[2] "

II. *De remissione pœnæ peccato debitæ.*

1174. **A**) *Sacramentum pœnitentiæ semper remittit pœnam æternam cum culpâ.* **a**) Docet enim *Tridentinum*[3] pænitentem post receptam absolutionem teneri satisfacere, " *non quidem pro pœnâ æternâ*, quæ vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpâ remittitur; sed pro pœnâ temporali ". **b**) Remissio enim peccati mortalis fit per infusionem gratiæ habitualis; atqui gratia habitualis nos facit Dei filios adoptivos cum jure ad æternam beatitudinem; ergo pœnam æternam excludit.

1175. **B**) *Sacramentum Pœnitentiæ minuit etiam pœnam temporalem peccato debitam;* nam, juxta *Tridentinum*[4], satisfactio una est ex tribus partibus quæ ad plenam remissionem peccatorum concurrunt; atqui satisfactio non concurrit directe ad remissionem culpæ, cùm hæc remittatur ante satisfactionem peractam; ergo concurrit ad remissionem pœnæ.

C) Sacramentum Pænitentiæ *non semper tollit totam pœnam temporalem*, ut jam probavimus n. 1161, sed

---

[1] S. THOM., 3, q. 86, a. 3.
[2] *Trident.*, sess. XIV, can. 9, DENZ.-BANN., 919 (797).
[3] *Trident.*, sess. VI, cap. 14, DENZ.-BANN., 807 (690).
[4] Sess. XIV, cap. 3, DENZ.-BANN., 896 (776).

quandoque id præstat, si videlicet contritio sit *intensissima*.

III. *De meritorum reviviscentiâ.*

1176. Status quæstionis. Ad intelligentiam quæstionis præsentis pauca sunt prænotanda de variis operibus in ordine ad meritum.

a) *Viva* dicuntur opera quæ in statu gratiæ fiunt, excitante et adjuvante gratiâ actuali, tum quia sunt a principio spirituali vivente, tum quia vitam æternam merentur. b) *Mortua* vero ea sunt quæ, licet bona et supernaturalia, fiunt in statu peccati, nec proinde meritoria sunt vitæ æternæ. c) *Mortifera* vocantur quæ hominem vitâ gratiæ privant, ut peccata mortalia. d) *Mortificata* autem dicuntur ea opera quæ, in statu gratiæ facta, per subsequens mortale peccatum impediuntur a suo effectu, quatenus hominem ad vitam æternam ducere non amplius valent. Jamvero quæstio est num merita sic *mortificata* reviviscant.

1177. Thesis : *Remisso per pœnitentiam peccato, opera prius in caritate facta, et per subsequens peccatum mortificata, reviviscunt.* Ita communiter.

a) *Patres* duobus Scripturæ textibus utuntur ad proponendam suam de reviviscentiâ doctrinam. 1) " Non enim injustus est Deus ut *obliviscatur operis vestri et dilectionis*, quam ostendistis [1] "; atqui, ut arguunt Patres et Theologi, post *S. Epiphanium*[2], hìc agitur de operibus in gratiâ factis et mortificatis; nam Apostolus Hebræos alloquitur, quorum nonnulli in peccatum lapsi fuerant; ergo Deus non obliviscitur bonorum operum eorum qui pænitentiam agunt, sed ea remunerat. 2) " Tanta passi estis sine causâ, si tamen sine causâ [3] "; quæ verba sic commentatur *S. Hieronymus* : " Quicumque ob Christi fidem laboravit et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causâ passus fuisse dicitur dum peccat, sic rursum non perdit ea, si ad pristinam fidem revertatur [4] ".

b) *Tridentinum* declarat bona opera justi " vere mereri augmentum gratiæ et vitæ æternæ consecutionem, *si tamen in gratiâ decesserit* [5] "; porro ibi non exigitur ut a

---

[1] *Hebr.*, VI, 10. — [2] *Hæres.*, 59, n. 2; *P. G.*, XLI, 1019.
[3] *Galat.*, III, 4.
[4] *Comment. ad Gal.*, l. I, c. 3; *P. L.*, t. XXVI, p. 350.
[5] *Trident.*, sess. VI, can. 32, DENZ.-BANN., 842 (724).

primâ justificatione quis usque ad mortem sine interruptione perseveret, sed solum ut *in gratiâ decedat;* ergo si quis mortaliter peccaverit et postea ipsum pæniteat, ejus merita reviviscunt.

c) *Ratione* suadetur. 1) Opera in caritate facta *de se* in acceptatione divinâ manent, et ideo dumtaxat mortificari dicuntur quatenus mortaliter peccans indignus est vitâ æternâ; atqui tale impedimentum per pænitentiam tollitur[1]. 2) Si merita prius comparata non restituerentur, Deus peccatum remissum pœnâ æternâ puniret, privando aliquem justum gradu gloriæ iis meritis respondente.

1178. De modo autem et gradu quo merita reviviscunt disputatur inter theologos, et nil certi definiri potest :

a) Prima opinio tenet, cum *Bannez* (2. 2., q. 24, a. 6), opera mortificata reviviscere solum eo sensu quod gloria dabitur *duplici titulo*, videlicet tum propter merita præcedentia, tum propter nova ab ultimâ justificatione comparata, non tamen major quam hisce debetur. Quæ tamen opinio merito rejicitur, cùm ipsam reviviscentiam negare videatur.

b) Secunda opinio docet omnia opera mortificata restitui quidem statim post pænitentiam, quoad *meritum vitæ æternæ*, non autem quoad *gratiam habitualem* antea habitam quæ non restituetur nisi mortis tempore aut primo glorificationis instanti. Ratio est quia gratia in justificatione non datur nisi secundum præsentem cujusque dispositionem. Ita *Scotus* et *Salmanticenses*.

c) Juxta *tertiam* opinionem, quam propugnant *Dom. Sotus* et *Ledesma*, merita ita reviviscunt secundum præsentis dispositionis gradum, ut si quis actum contritionis eliciat ut quinque, decem gradus gratiæ recipiat, quinque ratione præcedentium meritorum, et quinque ratione actualis dispositionis.

d) *Suarez*[2] autem, cum multis modernis, tenet omnia merita antea comparata statim peccatori pænitenti restitui sive quoad jus ad gloriam, sive quoad gratiam. Nam hujusmodi merita, ex dictis, semper in acceptatione Dei manent, et a suo effectu nonnisi per peccatum mortale impediuntur; ergo, remisso peccato, merita præterita statim omnem suum consequuntur effectum. Hanc opinionem ut benignitati divinæ magis consentaneam libenter amplectimur.

---

[1] S. THOM., 3, q. 89, a. 5.
[2] *Opusc. V, de meritis mortificatis*, disp. II.

Appendix de Indulgentiis.

Cùm indulgentiæ sint unum e mediis quibus satisfieri possit pro pœnâ peccatis debitâ, de potestate eas concedendi pauca disseremus [1].

1179. Notio. Indulgentia definitur : *remissio pœnæ temporalis peccato debitæ, coram Deo valida, per applicationem thesauri Ecclesiæ, a Superiore legitimo extra sacramentum facta.*

Non est igitur culpæ sive præteritæ sive futuræ remissio, ut falso asserunt Protestantes, sed tantum condonatio alicujus pœnæ temporalis : si *tota* pœna, quæ luenda manet, remittitur, indulgentia dicitur *plenaria ;* si *pars* tantum, *partialis* vocatur. Quando conceduntur indulgentiæ quadraginta vel centum dierum, non significatur totidem Purgatorii dies tolli, sed tantum debitæ pœnæ condonari, quantum remissum fuisset per quadraginta vel centum dies pænitentiæ canonicæ, qualis primis Ecclesiæ sæculis vigebat. Mensura igitur remissionis nobis ignota manet, et maxime pendet a fervore quo conditiones ad lucrandas indulgentias necessariæ implentur.

Hæc autem condonatio fit eo sensu quod Ecclesia ex superabundantibus Christi Sanctorumque satisfactionibus aliquid depromit, quod Deo offert ad solvenda nostra debita, vi nempe supremæ jurisdictionis sibi a Christo concessæ. Hinc ii solum hanc auctoritatem exercere valent quibus id a jure concessum est, videlicet, præter R. Pontificem, Cardinales, Metropolitæ in suâ provinciâ, Episcopi residentiales, Episcopus consecrator ecclesiæ (*Codex*, can. 239, 274, 349, 912, 1166.

Errores. Potestatem indulgentias concedendi negârunt *Waldenses*, *Wiclefistæ* et *Protestantes*, contendentes eam esse inutilem et perniciosam, licentiæ peccandi faventem.

1180. Thesis : *Ecclesia potestate gaudet indulgentias concedendi, quarum usus christiano populo maxime salutaris est.* De fide est ex *Tridentino* [2] : " Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi traditâ, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit : Sacrosancta Synodus indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem et S. Conciliorum auctoritate probatum, in

[1] Ceteras quæstiones expositas vide in *Syn. Brev. morali*, n. 1208 sq.

[2] Decret. de Indulgentiis, DENZ.-BANN., 989 (862).

Ecclesiâ retinendum esse docet et præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesiâ potestatem esse negant ".

1° Potestas indulgentias concedendi e tribus dogmatibus fluit, per modum corollarii, nempe, ex *superabundantiâ satisfactionum* Christi, e *potestate clavium*, et ex *sanctorum communione.*

A) *Christi satisfactiones*, utpote infiniti valoris, *superabundantes fuisse*, jam probavimus in *Tr. de Verbo Incarnato*, n. 786 sq. Præterea, juxta communem doctrinam quam confirmârunt S. Pontifices[1], nonnulli inter Sanctos plura opera satisfactoria peregerunt quam ad satisfaciendum pro propriis peccatis necessaria erant : sic B. Virgo, quæ nunquam, ne venialiter quidem, peccavit, et aliunde multa patienter perpessa est. Ex omnibus his operibus satisfactoriis, in unione cum Christo peractis, ortus est veluti immensus satisfactionum thesaurus.

B) Aliunde potestas clavium, cujus existentiam probavimus, n. 1127, in suâ amplitudine complectitur facultatem non solum culpam, sed etiam *pœnam peccato annexam remittendi*, pænitentibus videlicet applicando quasdam e satisfactionibus Christi aut sanctorum, e supradicto thesauro depromptas.

C) Tandem ratio adest cur satisfactiones Christi et Sanctorum pænitentibus applicentur, nempe *communio sanctorum*, quæ in eo consistit quod omnes fideles, sub Christo capite (supra, n. 798) unum corpus efformant, ita ut omnia justorum bona opera sint aliquo modo singulorum propria et in eorum utilitatem cedere possint[2]. Nil igitur prohibet quin satisfactiones superabundantes Christi et Sanctorum, accedente Dei auctoritate per Ecclesiam, aliis communicentur ut sua debita spiritualia solvere possint.

2° Thesis probatur ex *historiâ indulgentiarum*, in quâ tria stadia distinguuntur :

A) In primâ epochâ, nempe a II° ad IV^{um} sæc., indulgentiarum concessio apparet sub formâ *mitigationis pœnitentiæ*

---

[1] Inter quos CLEMENS VI, Extravag. *Unigenitus*, DENZ.-BANN., 550-552.
[2] Quod confirmat S. PAULUS, *I Cor.*, XII, 12-26.

publicæ. Aliquando enim aliquid de pænitentiâ canonicâ, auctoritate Ecclesiæ impositâ, remittebatur, præsertim *intuitu intercessionis martyrum*, aut in gratiam eorum qui *ferventem vitam* agebant, vel quoad *moribundos*, quo citius hi cælum ingredi possent : in his casibus condonabatur pars pænitentiæ canonicæ ideoque satisfactionis peccato debitæ.

B) In secundâ periodo, a VII° ad XI^um^ sæc., conceduntur indulgentiæ quatenus pænitentia canonica *commutatur* in alia opera mitiora, v. g., in visitationes basilicarum, pias peregrinationes aliave opera quæ censebantur æquivalentia.

C) In tertiâ ætate, a sæc. XI°, jam conceduntur *indulgentiæ proprie dictæ*, seu remissio totalis aut partialis pœnæ peccato debitæ, positis tamen quibusdam operibus a superiore ecclesiastico determinatis; quod factum est præcipue ad promovendas *expeditiones in Terram sanctam*, aut ad debellandos *Albigenses* aliosve hæreticos. — Initio sæc. XIV^i^, jubilæum institutum est cum plenariâ indulgentiâ; mox statutum est ut jubilæum celebraretur quolibet quinquagesimo anno, posteaque quolibet vigesimo quinto anno. — Tandem jubilæa *extraordinaria* concessa fuere, et deinde indulgentiæ plenariæ aut partiales, etiam extra jubilæum.

Antiquissima igitur est hujusmodi praxis, si in suis essentialibus spectatur. Aliunde *salutaris* est, cùm peccatores ad pænitentiam, contritionem atque bona opera alliciat spe uberiorem condonationem pœnæ consequendi. Abusus quidem possunt aliquando irrepere; sed *Tridentinum* stricte prohibuit quidquid superstitioni aut socordiæ favere potest. Ergo legitimus indulgentiarum usus omnino retineri debet.

CAPUT VI.

De Extremâ Unctione[1].

Cùm Extrema Unctio sit Pænitentiæ complementum, dicemus; 1° de ejus *institutione;* 2° de *materiâ et formâ;* 3° de *effectibus;* 4° de *ministro*[2].

---

[1] Præter auctores in *Syn. maj.* allegatos, cfr. C. RUCH, in *Dict. de Théol.* (*Mangenot*), V, 1897-1985; KERN, *De sacram. Extr. Unctionis*, 1907.

[2] Alias quæstiones solutas vide in *Brev. syn. mor.*, n. 1256-1272.

Art. I. Divina institutio

1181. Definitio. Extrema Unctio, quæ vocatur adhuc *unctio infirmorum*, definitur : *Sacramentum N. L. quo per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis, christiano periculose ægrotanti confertur animæ sanitas, atque etiam corporis, si animæ saluti expediat.*

Verba *per unctionem*, etc., designant *materiam* remotam, scil. oleum, et proximam, unctionem, et insuper *formam*, videlicet orationem sacerdotis; verba subsequentia *christiano*, etc., *subjectum* designant; et ultima verba *effectum* principalem exprimunt, sanitatem animæ, et secundarium, seu sanitatem corporis.

Errores. Hodie *Protestantes* omnes, Ritualistis exceptis, post *Waldenses*, *Wiclefistas*, *Hussitas*, *Lutherum* et *Calvinum*, negant hanc unctionem esse sacramentum, contenduntque verba S. Jacobi intelligenda esse de dono sanandi morbos corporales, quod primo sæculo pluribus conferebatur.

1182. Thesis : *Unctio est verum et proprie dictum sacramentum N. L., a Christo institutum, et a S. Jacobo promulgatum.* De fide est ex *Trident.*[1] " Si quis dixerit E. Unctionem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum : A. S. "

Prob. A) *Script.* " Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, remittentur ei [2] ". Notamus *infirmatur*, ἀσθενεῖ, de gravi morbo afflictis prædicari, quod confirmatur ex verbo κάμνοντα (*infirmum*) quod significat periculose decumbentem; vox *presbyteros* designat sacerdotes rite ordinatos, ut ex locis parallelis liquet[3]; *oratio fidei* non orationem infirmi significat, ut volunt quidam Protestantes, sed orationem presbyterorum.

---

[1] Sess. XIV, can. 1, Denz.-Bann., 926 (804). — [2] *Jac.*, V, 14-15.
[3] *Act.*, XIV, 22; XV, 2; *I Tim.*, IV. 14; V, 17, 19.

In unctione a S. Jacobo descriptâ tria inveniuntur ad sacramentum requisita : a) *signum sensibile*, oratio et unctio "*orent* super eum, *ungentes* eum *oleo*"; b) *gratiæ productivum;* verba quidem : "*oratio fidei salvabit infirmum*" intelligi possunt de sanitate corporis, sed sequentia de gratiæ collatione interpretari debemus : vox enim *alleviabit*, ἐγερεῖ, sæpe de erectione animi intelligitur[1], et cùm S. Jacobus jam de sanitate corporis locutus fuerit, vox "alleviabit" significat dari infirmo vires ad erigendum ejus animum contra tentationes, doloresque patienter tolerandos; quod fieri nequit sine gratiâ; aliunde ultima verba "*si in peccatis sit, remittentur ei*" omnem æquivocationem tollunt, cùm peccata sine infusione gratiæ remitti nequeant. — Nec dici potest hìc agi de dono curandi morbos; tunc enim non presbyteri vocandi essent, sed qui donum curationum habebant; nec deberet præscribi certa materia, quia hoc relinquebatur divinæ inspirationi quæ modo hanc, modo illam suggerebat materiam; nec addendum fuisset : "*si in peccatis sit*" etc., nam qui donum miraculorum exercebant nullo modo peccata remittebant per exercitium hujus potestatis; — c) *permanenter a Christo institutum;* solum enim Deus signo sensibili gratiam alligare potest; ceterùm S. Jacobus de eo loquitur tanquam re jam notâ, unde haud improbabiliter dici potest unctionem super ægros quam recenset *S. Marcus*[2] fuisse veluti præludium hujus sacramenti et occasionem quâ Christus usus est ad mentem suam de eo exponendam[3]. Permanentia autem hujus ritûs infertur ex eo quod verba S. Jacobi sunt generalia et naturaliter ad omnia tempora sese extendunt, et insuper Traditione probatur.

1183. B) *Tradit.* a) Per quatuor priora sæcula, nonnisi obiter Patres de hoc sacramento loquuntur : 1) non enim necessarium, sed solum *utile* erat ad salutem, 2) nec accipiebatur nisi ab *ægrotis* qui *peccati conscii* erant, 3) et, quia complementum erat Pænitentiæ, implicite forsan comprehenditur sub genericâ formulâ "*in pænitentiâ* mortui sunt." Inter Patres, qui unctionem a S. Jacobo descriptam commemorant ut peccatorum remissivam, ideoque sacramentalem, recensetur præcipue *S. Chrysostomus*[4]. Inter monumenta liturgica, *Euchologion*

---

[1] *Rom.*, XIII, 11; *Ephes.*, V, 14 in textu græco. — [2] *Marc.*, VI, 13.
[3] Reverâ *Tridentinum* declarat (cap. I) hoc sacramentum fuisse a Christo institutum, apud Marcum *insinuatum* et per Jacobum *promulgatum.*
[4] *De sacerdotio*, III, *P. G.*, XLVIII, 644. Cfr. C. RUCH, l. c. 1913-1941.

S. Serapionis (IV sæc.) orationem continet ad benedicendum *oleum infirmorum*, quo non tantum curantur corporis infirmitates, sed etiam confertur *bona gratia*, *remissio peccatorum*, *animæ sanitas et integritas*[1]. Quod quidem supponit Extremam Unctionem, de quâ certo agitur in hoc textu, jam fuisse in usu ante sæc. quartum, cùm preces liturgicæ conscribi non soleant nisi aliquo tempore postquam ritus adhibitus fuerit.

b) Sæculo V, celebre est *Innocentii I* testimonium, in quo, post relata S. Jacobi verba, ait : " quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis ungi possunt "; postea addit istam unctionem esse " *genus sacramenti*[2] ". Insuper in monumentis liturgicis, v. g., in *libro Ordinum* qui ad liturgiam mozarabicam spectat, invenitur *ordo ad visitandum et ungendum infirmum*, secundum quem sacerdos infirmum oleo benedicto ungit in nomine Domini non solum ad expellendum morbum, sed etiam ad exoptatam omnium peccatorum remissionem.

c) Ex consensu utriusque Ecclesiæ, latinæ et græcæ, etiam schismaticæ, et sectarum orientalium [3], quem admittere coguntur hodierni Protestantes, inferri potest antiquissimam esse administrationem hujus sacramenti.

C) *Rat. theol.* Christus instituit sacramenta ut fidelibus subveniret in præcipuis vitæ circumstantiis, præcipuisque difficultatibus; atqui in mortis articulo speciales adsunt difficultates, imprimis anxietates propter peccata præterita, pugnæ acriores contra tentationes diaboli, timor judicii.

Art. II. De materia et forma Extremæ Unctionis.

I. *De materiâ.*

1184. 1° **De materiâ remotâ.** A) *Materia remota est oleum olivarum.* Certum est : a) *Script.*, ubi dicitur :

---

[1] Journel, n. 1241. — [2] *Ep. ad Decentium.*
[2] Probationes hujus consensûs vide in opere *Perpétuité de la foi*, ed. *Migne*, t. III, 915 sq.

" Ungentes eum *oleo*"; b) *Florent.*: " Quintum sacramentum est Ex. Unctio, cujus materia est *oleum olivæ*[1] ".

c) Hæc materia est omnino *conveniens*, quia optime significat *effectum* hujus sacramenti, et ejus *modum operandi;* 1) sicut oleum mitigat dolores corporis, sanitatem restituit, hilaritatem affert, et lumini pabulum præbet, ita Ex. Unctio animæ tristitiam et dolores mitigat, spiritualem sanitatem restituit, gaudium spirituale affert, et spem nostram nutrit ; 2) pariter sicut oleum in suo modo operandi est simul lenitivum et penetrativum, ita Ex. Unctio modo suavi animæ dolores lenit, et usque ad ima nostri cordis penetrat, ad ejus angores morbosque curandos[2].

B) Hoc oleum debet esse "*ab Episcopo benedictum*[3]", non solum ex necessitate præcepti, sed etiam ad validitatem, ut constat ex decreto *S. Officii* (1842). Attamen simplex sacerdos a S. Pontifice delegari posset ad oleum benedicendum, ut constat ex usu Ecclesiæ græcæ, in quâ presbyteri, probante R. Pontifice, extremam unctionem conferunt cum oleo a se benedicto.

1185. 2° De materiâ proximâ. A) *Materia proxima est unctio olei ab Episcopo benedicti.* Certum est.

Ex *Codice*, c. 947, sex sunt unctiones faciendæ, saltem regulariter, nempe in *quinque sensibus*, et insuper in *pedibus;* quæ ultima unctio ex quâlibet rationabili causâ omitti potest.

B) Olim controvertebatur utrum ad validitatem requirerentur unctiones quinque sensuum, an sufficeret unica unctio. Hodie certum est unicam sufficere unctionem, tum ex decreto *S. Officii* a *Pio X*, 26 april. 1906, approbato, declarante in casu veræ necessitatis sufficere formam : " Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen[4] "; tum ex *Codice* declarante, c. 947, in casu necessitatis unicam sufficere unctionem in uno sensu seu rectius in fronte; quod enim requiritur ad validitatem semper requiritur etiam in casu necessitatis.

---

[1] Denz.-Bann., 700 (595). — [2] S. Th., *Suppl.*, q. 29, a. 2.
[3] *Concil. Flor.*, Denz.-Bann., 700 (595). — [4] Denz.-Bann., 1996.

II. *De formâ.*

1186. 1° Forma rubricalis apud *Latinos* est : " Per istam Sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum (auditum, odoratum etc.) deliquisti. Amen. " Quæ forma ad singulas unctiones repeti debet. Apud *Græcos :* " Pater sancte, animarum et corporum medice, sana servum tuum hunc ab illâ, quæ detinet illum, corporis et animæ infirmitate ".

2° Forma deprecatoria esse debet, juxta *Rit. Rom.*, et non simpliciter indicativa, saltem ex præcepto.

1187. 3° *Controvertitur* autem num hoc sit etiam necessarium ad validitatem : A) Quidam valde probabiliter negant, quia in nonnullis antiquis Ritualibus forma est indicativa.

B) Alii affirmant : a) ex verbis *S. Jacobi* dicentis : " Et orent super eum... et oratio fidei salvabit infirmum ". b) Ex *praxi* utriusque Ecclesiæ, Græcæ et Latinæ, in Ritualibus et conciliis consignatæ [1]. c) *Rat. conv.* Nam : 1) hoc sacramentum ordinatur ad obtinendum per modum *indulgentiæ* quod in sacramento Pænitentiæ obtineri non potuit per modum justitiæ; decet igitur ut sub formâ deprecativâ postuletur; 2) hoc sacramentum ordinatur ad sanitatem restituendam ægrotis; atqui sanitas, utpote bonum temporale, non absolute, sed modo deprecatorio postulanda est [2].

1188. 4° Verba, quæ communiter ut essentialia requiruntur, sunt : *per istam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.* Ex recenti decreto *S. Officii*, 26 april. 1906, ad validitatem non videtur necessaria mentio cujuslibet sensûs; hæc tamen, extra necessitatis casum, requiritur de præcepto gravi.

Art. III. De effectibus Ex. Unctionis.

1189. Tres sunt hujus sacramenti effectus : 1° *Gratia confortans* animam contra difficultates articulo mortis

---

[1] De quo tamen recte Bened. XIV, *De Synodo*, l. VIII, c. 2, n. 2 : " At nescimus quo pacto possit deprecatio inveniri in aliis formis, ex plurimis antiquis Ritualibus a Menardo et Martene productis, in quibus solum adhibetur verbum *ungo*, absque alio addimento e quo deprecatio colligi aut fingi queat ".

[2] S. Th., *Suppl.*, q. 29, a. 8.

urgentes; 2° *remissio culpæ et pœnæ;* 3° *sanitas corporis*, si animæ expediat. Jamvero quæstio est inter theologos quisnam ex his sit primarius : juxta *Scotum*, est remissio peccatorum venialium; juxta *Bellarminum*, est remissio non solum venialium sed etiam mortalium quæ per accidens non fuerunt antea remissa; tandem, *juxta S. Thomam* communioremque sententiam, est gratia confortans et corroborans animam contra torporem et tentationes speciatim urgentes in articulo mortis.

1190. **Thesis Iª** : *Primarius effectus Ex. Unctionis est gratia confortans animam contra difficultates occurrentes in articulo mortis.* Certum est gratiam confortantem esse unum ex effectibus Ex. Unctionis, et probabilius est eam esse primarium effectum.

Prob. **a**) *Script.* S. Jacobus describens effectus hujus sacramenti dicit : " Et alleviabit eum Dominus "; i. e. excitabit, confortabit, liberando a torpore, mœrore, anxietate, quâ plerumque ægroti morte vicinâ gravantur.

b) *Tradit.:* " Effectus vero hujus sacramenti, ait *Florentinum* [1], est mentis sanatio, et in quantum expedit, ipsius etiam corporis "; atqui mentis sanatio efficitur per gratiam confortantem.

c) *Rat. Theol.* Effectus hujus sacramenti primarius accipi debet ex fine propter quem fuit institutum; atqui Ex. Unctio, juxta *Trident.*[2], instituta fuit tanquam spiritualis *medicatio* contra debilitatem animæ in articulo mortis; ergo effectus primarius est gratia roborans.

1191. *Natura* hujus gratiæ confortantis consistit in augmento gratiæ sanctificantis, per modum alleviationis, cum jure ad gratias actuales quibus : **a**) *spes roboratur* contra timores a diabolo immissos; **b**) *hilaris patientia fovetur* ad morbi incommoda ferenda; **c**) *fortitudo augetur* ad tentationes superandas.

Thesis IIª : *Ex. Unctio remittit peccata mortalia quæ supersunt nec possunt remitti per sacramentum Pœnitentiæ, et insuper venialia peccata.* Pro venialibus certum est, pro mortalibus communiter admissum.

---

[1] Denz.-Bann., 700 (595).
[2] Sess. cap. XIV, Denz.-Bann., 909 (787).

a) Constat ex verbis *S. Jacobi* : " Si in peccatis sit, remittentur ei "; quæ verba, utpote generalia, intelligi debent etiam de mortalibus, eo magis quia si ageretur de venialibus tantum, prorsus inutile esset hypothetice dicere " si in peccatis sit ", cùm omnes homines venialiter peccent. b) Ex *Trid.* absolute dicente : " delicta, si quæ sint adhuc expianda, extergit "; et ex ipsis verbis formæ : " indulgeat Dominus... etc., *quidquid* deliquisti ".

1192. Ille tamen effectus producitur :

a) *Non primario :* 1) cùm sit conditionatus : " si in peccatis sit "; effectus enim primarius modo absoluto producitur, dummodo non sit obex; 2) cùm Ex. Unctio sit sacramentum vivorum, nec proinde primario remittat peccata mortalia, nec etiam venialia, quibus remittendis sacramentum *Pœnit.* institutum fuit et plane sufficit; 3) insuper si primario remitteret venialia, omnibus ministrari deberet, tam sanis quam infirmis.

b) *Nec per accidens*, sed *intentione secundariâ*, cùm vi institutionis et ipsius formæ, etsi non primario, remittantur peccata [1].

Ad remissionem mortalium requiritur tamen attritio; ad remissionem venialium eadem dispositio requiritur, vel juxta alios, sufficit absentia complacentiæ in peccato veniali, cum desiderio effectum sacramenti suscipiendi.

1193. **Thesis III[a]** : *Ex. Unctio remittit etiam pœnam temporalem peccato debitam, non quidem totam, sed juxta gradum dispositionis in subjecto existentis.*

A) Nam tale sacramentum a *Trid.*[2] vocatur " consummativum non solum pænitentiæ, sed et totius vitæ christianæ "; ac proinde nos immediate disponit ad introitum gloriæ; atqui pœna temporalis nos ab ingressu gloriæ retardaret.

B) Insuper, juxta idem Concilium, Ex. Unctio peccati reliquias abstergit. Atqui, inter reliquias peccati computandæ sunt non solum debilitas animæ, ex peccato proveniens, sed etiam pœna temporalis peccato debita, quæ hominem a capessendâ beatitudine impedit[3].

---

[1] S. THOM., *Suppl.*, q. 30, a. 2. — [2] DENZ.-BANN., 907 (785).
[3] Nomine *reliquiarum peccati* multa intelliguntur : *a*) debilitas spiritualis ex peccato promanans, et hic est sensus qui prius huic vocabulo a

1194. Thesis IVª : *Ultimus effectus secundarius Ex. Unctionis est sanitas corporis, si animæ expediat.* Certum est.

A) *Script.* Verba enim *S. Jacobi* " oratio fidei salvabit infirmum ", propter suam generalitatem, intelligi possunt, et de facto intelliguntur a Patribus etiam de sanitate corporis.

B) *Trad.* a) ex *Florent.*[1]: " Effectus hujus sacramenti est mentis sanatio, et in quantum expedit, ipsius etiam corporis ". b) Idem docet *Tridentinum*[2] : " sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur ".

1195. **Explicatur.** A) Hiç effectus est conditionalis, ut expresse docetur in textibus allatis. Et merito; nam sapiens operans non intendit secundarium effectum nisi secundum quod expedit ad principalem[3].

B) Insuper illud sacramentum non reddit sanitatem modo miraculoso, sed solum causas naturales adjuvando, ac vires ægroti sustinendo. Necesse est igitur ut non exspectetur donec omnis spes sanationis evanuerit.

ART. IV. DE MINISTRO EX. UNCTIONIS.

1196. Thesis Iª : *Solus sacerdos est minister Ex. Unctionis.* De fide est ex *Trident.*[4] definiente : " Si quis dixerit presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos... hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores... A. S. "

A) *Script.* Dicit *S. Jacobus* : " Inducat presbyteros Ecclesiæ ". Atqui illa vox intelligi debet de veris et proprie dictis sacerdotibus; nam a) vox presbyter (a Græco πρεσβυς) in N. Testamento usurpatur ad designandos eos qui sacerdotali charactere insigniebantur, et ecclesiis particularibus præerant[5], et in hoc loco omnis æquivocatio

scholasticis affixus est; *b*) pravi habitus ex peccato relicti : hos ab Ex. Unctione tolli quidam affirmant contra communiorem sententiam quæ tenet eos minui tantum per gratias actuales in hoc sacramento collatas; *c*) pœna temporalis peccatis debita; *d*) imo, juxta quosdam, etiam peccata gravia, quæ forsan in animâ relicta sunt, et venialia delicta.

[1] DENZ.-BANN., 700 (595). — [2] DENZ.-BANN., 909 (787).
[3] S. TH., *Suppl.*, q. 30, a. 2.
[4] Sess. XIV, can. 4, DENZ.-BANN., 929 (807).
[5] *Act.*, XIV, 22; XV, 22; *I Tim.*, V, 17-19. — Cf. supra, n. 211.

abest propter additionem vocis *ecclesiæ*, "*presbyteros ecclesiæ*", i. e., qui curam habent illius ecclesiæ; b) presbyteri illi jubentur orare super infirmum, ungere illum in nomine Domini et per hoc peccata remittere, si quæ sint; atqui soli sacerdotes potestatem habent remittendi peccata.

B) *Rat. theol.* Ex. Unctio est veluti consummatio sacramenti Pænitentiæ, cùm reliquias peccati abstergat; atqui soli sacerdotes sunt ministri Pænitentiæ.

1197. Thesis II[a] : *Extrema Unctio valide ministrari potest tum ab uno tum a pluribus sacerdotibus.* Certum est.

A) *Ab uno.* Nam S. Jacobi verba : " inducat *presbyteros* ", de uno sacerdote intelligi possunt, ut apparet exemplo Christi leprosos sic alloquentis : " Ite, ostendite vos sacerdotibus[1] "; nam ex lege Mosaicâ sufficiebat ut uni sacerdoti sese ostenderent[2]. Aliunde constat ex praxi Ecclesiæ Rom. et ex Rituali.

1198. B) *A pluribus simul*, dummodo tamen unusquisque, aliquem sensum ungendo, proferat formam huic sensui respondentem. Constat ex praxi Ecclesiæ Græcæ, quæ præfatum modum adhibet, quin unquam fuerit reprobatus.

C) Attamen in Ecclesiâ Romanâ, regulariter Ex. Unctio ab uno eodemque ministro debet ministrari, et quidem sub gravi, excepto casu necessitatis.

CAPUT VII.

De Ordine.

Prænotanda.

Sacramentis *individui* sanctificationem spectantibus succedunt ea quæ *communitatem* respiciunt, nempe *Ordo* et *Matrimonium* : de priore nunc agendum est.

1199. A) *Ordo in genere*, significat tum dispositionem superiorum et inferiorum rerum, quæ inter se ita coordinantur ut una ad alteram referatur; tum gradum vel dignitatem, aut cœtum hominum qui hâc dignitate ornantur. Optime igitur vox illa prædicatur tum de

---

[1] *Luc.*, XVII, 14. — [2] *Levit.*, XIV, 11.

sacrâ hierarchiâ quæ ex variis gradibus constat ad unum finem tendentibus, sanctificationem scilicet animarum, tum de *potestate* sanctificandi et cultum ex officio exercendi, tum de *ordinatione* seu ritu quo confertur potestas ordinis. Voces autem *ordo* et *ordinatio* hìc promiscue sumuntur.

1200. **B**) *Ordo*, igitur, *quatenus idem sonat ac ordinatio*, **definitur** : *Sacramentum Novæ Legis quo spiritualis traditur potestas et confertur gratia ad conficiendam Eucharistiam, aliaque ecclesiastica munia rite obeunda.* Quibus verbis indicatur per hoc sacramentum : **a**) non solum conferri gratiam sed potestatem vere activam; **b**) præcipue ad confectionem Eucharistiæ; **c**) secundario autem ad alia sacramenta ministranda vel munia sacra rite obeunda.

Cùm de singulis ordinibus in specie jam satis actum sit in *Breviori synopsi morali* (n. 1281 sq.), de *Sacramento ordinis in genere* hìc tantum agemus; de ejus scilicet *existentiâ*, *effectibus*, *ministro* et *subjecto*.

Art. I De existentia Sacramenti Ordinis.

1201. Existentiam Ordinis *Protestantes* generatim negant, si excipiantur Ritualistæ. Contendunt enim omnes fideles vi Baptismi sacerdotio instructos esse, nec egere nisi publicâ deputatione ut sacerdotale officium exerceant. *Modernistæ* pariter contendunt sacerdotium esse institutionem mere ecclesiasticam[1]. Contra quos sit :

1202. **Thesis** : *Ordo seu sacra Ordinatio est vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum.* De fide est ex *Tridentino*[2] : " Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem, non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum, A. S. "

1203. Probatur 1° **Scripturâ.** **A**) In Novo Testamento, sicut et in Veteri, *existit sacerdotium visibile*, quod

[1] Quorum errores damnatos invenies in decreto *Lamentabili* 50, 54, 55, ap. Denz.-Bann., 2050, 2054-55.
[2] Sess. XXIII, can. 3, Denz.-Bann., 963 (840).

non omnibus competit, sed iis solis qui rite ordinati sunt. Nam a) Apostoli primi sacrificii eucharistici sacerdotes : 1) *speciatim a Deo electi sunt :* " Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum[1] "; " Non vos me elegistis, sed ego elegi vos[2] "; 2) *speciali ritu* consecrati sunt, et ad *specialia munia* deputati : ipsis enim et quidem solis data fuit in ultimâ cœnâ potestas consecrandi corpus et sanguinem Christi : " Hoc facite in meam commemorationem[3] "; quibus verbis Christus apostolos, eosque solos, instituit sacerdotes; eisdem postea, et quidem solis, collata fuit potestas peccata remittendi, cùm Christus, post resurrectionem suam, in ipsos insufflavit dicens : " Accipite Spiritum S.; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt[4] ".

b) Sacerdotium autem, sicut et sacrificium Novæ Legis, debebat esse *perpetuum :* et ideo apostoli alios ministros instituerunt, *ritu quodam externo et visibili*, nempe impositione manuum[5], ut ita a ceteris fidelibus discernerentur : quibus solis competebat officium regendi Ecclesiam Dei[6], dispensandi mysteria Dei[7], et offerendi dona et sacrificia[8].

1204. B) Ritus autem quo hujusmodi potestas conferebatur, erat *vere et proprie sacramentum.* Hæc enim impositio manuum, quæ paucis tantum dabatur, et caute, juxta monita S. Pauli[9], erat 1) signum *sensibile*, ut patet; 2) *productivum gratiæ :* ut constat præsertim ex his textibus : " Noli negligere *gratiam* quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii[10]... Admoneo te ut resuscites *gratiam Dei* quæ est in te per impositionem manuum mearum[11] "; 3) *a Christo institutum :* hic enim solus gratiam adnectere potest ritui externo. Insuper qui sacerdotium instituerat, ex verbis supra relatis : " Hoc facite in meam commemorationem... Quorum remiseritis ", ritum pariter determinavit quo sacerdotalis potestas et gratia conferri posset; alioquin non intelligeretur cur Apostoli constanter hunc ritum adhibuerint.

---

[1] *Marc.*, I, 16-20. — [2] *Joan.*, XV, 16. — [3] *Luc.*, XXII, 19.
[4] *Joan.*, XX, 22.
[5] *Act.*, VI, 6; XIII, 3; XIV, 22; *I Tim.*, IV, 14; *II Tim.*, I, 6.
[6] *Act.*, XX, 28. — [7] *I Cor.*, IV, 1. — [8] *Hebr.*, V, 1.
[9] *I Tim.*, V, 22. — [10] *I Tim.*, IV, 14. — [11] *II Tim.*, I, 6.

1205. 2° **Traditione.** A) *Ex Patribus* : a) Jam *sæc. II° et III°* : 1) Patres clare dicunt aut supponunt ordinem sacerdotalem, seu sacram hierarchiam, *a laicorum ordine jure divino distingui*, et tres ordines hierarchicos esse, nempe *episcopatum, presbyteratum et diaconatum.*

Ita, inter alios : *S. Clemens Romanus*[1], juxta quem officia sacra a sacerdotibus perficiuntur; *S. Ignatius*, qui declarat sacra peragi ab " *episcopo* præsidente loco Dei, et *presbyteris* loco senatûs apostolici, et diaconis... concreditum habentibus ministerium Jesu Christi[2] "; *Tertullianus* eos reprobans qui laicis sacerdotalia munera injungunt.

2) Ratio hujus discriminis est quia sacerdotes non solum jure divino laicis præsunt, sed etiam quia vi ordinis specialem potestatem acceperunt, præsertim potestatem sacram eucharistiam consecrandi[3], et peccata remittendi, ut jam probatum est, n. 1135.

b) *Sæc. IV° et V°*, diserte asseritur *impositione manuum conferri* non solum potestatem consecrandi, sed et *gratiam.* Ita *S. Gregorius Nyss.* declarat invisibili quâdam vi et gratiâ invisibilem animam sacerdotum in melius transformari[4]; *S. Chrysostomus* exponit quanto honore Spiritûs gratia sacerdotes ornaverit[5], eosque monet ne eam exstinguant[6]; *S. Augustinus*, baptismum et ordinem comparans, scribit[7] : " Utrumque sacramentum est et quâdam consecratione datur "; *Innocentius I* aperte docet in ordinatione conferri *plenitudinem Spiritûs Sancti*[8] ideoque gratiam.

B) *Ex universali Ecclesiæ praxi*, qualis in *libris liturgicis* consignatur, etiam antiquissimis, utriusque Ecclesiæ græcæ et latinæ : ibi enim inveniuntur ritus et preces quibus confertur tum potestas tum gratia tribus hierarchicis ordinibus respondens[9].

---

[1] *I Corinth.*, XL, 1-5; JOURNEL, 19.
[2] *Magnes.*, VI, 1; JOURNEL, 44.
[3] Ita S. IGNATIUS, *Trall.*, II, 3 vocat diaconos *ministros mysteriorum Jesu Christi* (JOURNEL, 48).
[4] *Orat. in bapt. Christi, P. G.*, XLVI, 582.
[5] *De sacerdotio*, III, 4, *P. G.*, L, 423.
[6] *Homil. I in ep. II ad Tim.*, n. 2, *P. G.*, LXII, 603.
[7] *Contra ep. Parm.*, l. II, c. 13, n. 28, *P. L.*, XLIII, 70.
[8] *Ep.* XXIV, *Ad Alex.*, n. 4. *P. L.*, XX, 550.
[9] Cfr. GOAR, *Euchol.*, 292 sq., DENZ., *Ritus Oriental. Eccles.*, I, 129

1206. 3° Ratione. Ad divinam providentiam pertinet ut in societate ecclesiasticâ spirituales adsint duces, qui populum christianum regant : hæc est enim lex omnibus imposita ut inferiora per superiora ad Deum reducantur. Atqui convenit ut præfati duces ritu sacro et speciali ad id deputentur; si enim ritus quo homines filii Dei et membra Ecclesiæ fiunt est sacramentum, ita sacramentum esse decet ritum quo quidam, inter fideles, duces militum Christi efficiuntur, fideique doctores, et sacramentorum ministri[1].

1207. Corollaria. a) *De fide est episcopatum et presbyteratum esse vere sacramenta*, ut constat ex hâc *Tridentinâ* definitione[2] : "Si quis dixerit in Ecclesiâ catholicâ non esse hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex *episcopis*, *presbyteris* et ministris, A. S."

Sed *controvertitur* inter theologos num episcopatus et presbyteratus sint duo ordines et duo sacramenta plane distincta. Alii *affirmant*, dicentes utroque produci distinctum characterem (ita *Bellarminus*, *Perrone*, *Hurter*); alii vero minus probabiliter *negant* et tenent consecrationem episcopalem non esse ordinem et sacramentum distinctum a presbyteratu, nec producere characterem distinctum a charactere presbyterali, sed tantum hunc characterem ampliare et extendere ad effectus alios, nempe ad potestatem ordinandi et confirmandi (ita *Billuart*).

1208. b) *Certum est* etiam (licet a quibusdam olim negatum[3]) *diaconatum esse sacramentum* : 1) tum ex *Scripturâ*[4], nam per impositionem manuum ordinantur, et qualitates eximiæ in eis (sicut et in episcopis) requiruntur; 2) tum ex *Patribus*, qui diaconos inter ministros præcipuos semper recensent; 3) tum ex *praxi* semper usitatâ per manûs impositionem eos ordinandi; 4) tum ex *Trident.* definiente[5] "per sacram ordinationem dari Spiritum sanctum, ac proinde non frustra episcopos dicere *Accipe Spiritum Sanctum*" : quæ verba in ordinatione diaconorum inveniuntur.

---

[1] S. THOMAS, *Supplem.*, q. 34, art. 1.
[2] Sess., XXIII can. 6, DENZ.-BANN., 966 (843).
[3] DURANDUS, *In IV Sent.*, dist. XXIV, q. 2, n. 6-9; CAJETANUS apud VASQUEZ, *In III part. S. Thomæ*, disp. CCXXXVIII, c. 1.
[4] *Act.*, VI, 1-7; *I Tim.*, III, 8-13.
[5] Sess. XXIII, can. 4, DENZ.-BANN., 964 (841).

1209. c) *Controvertitur* autem nùm subdiaconatus et minores ordines rationem habeant sacramenti, gratiamque *ex opere operato* producant.

Prænotamus hos ordines in Ecclesiâ inveniri mediante sæculo tertio, ut constat ex epistolâ *S. Cornelii Papæ* ad Fabium[1]. Communiter admittitur eosdem nihil aliud esse nisi *partitiones* diaconatûs.

Sed quæstio est num his ordinibus adnexa sit sacramentalis gratia. Multi, præsertim inter modernos, negant, cùm præfati ordines sint instituti ab Ecclesiâ quæ gratiam ritui externo adnectere nequit. Alii tamen, cum *S. Thomâ*[2] et *Thomassino*[3], putant hos ordines in fonte suo, seu in diaconatu, institutionis esse divinæ, et Christum Ecclesiæ potestatem reliquisse dividendi diaconatum in varios inferiores ordines quibus gratia conferri posset. Quam opinionem, olim inter Scholasticos communem, tanquam probabiliorem amplectimur.

Scholion de materiâ et formâ Ordinis.

1210. A) *Facta exponuntur.* In Scripturâ non alia designatur Ordinis materia nisi *manuum impositio.* Per novem priora sæcula, non alia pariter adhibita fuit in utrâque Ecclesiâ[4]. A sæculo decimo, *porrectio instrumentorum*, videlicet calicis et patenæ pro sacerdotibus, traditio Evangeliorum pro diaconis, in Ecclesiâ Latinâ, non autem in Græcâ, usurpata fuit. Exinde quæritur quænam sit materia essentialis.

1211. B) *Variæ opiniones.* Tres sunt præcipuæ : a) Plerique moderni, post *S. Bonaventuram*, docent *solam manuum impositionem* esse materiam essentialem sacramenti, cùm porrectio instrumentorum sit tantummodo ritus ecclesiasticus, sæculo X° introductus ad clarius designandam potestatem ordinatione collatam.

b) Thomistæ multi et quidam alii putant solam *traditionem instrumentorum* esse materiam essentialem, propter auctoritatem *decreti ad Armenos*[5], ubi dicitur : " Sextum sacramentum est *Ordinis*, cujus materia est illud per cujus traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum

---

[1] Ap. Eusebium, *H. E.*, l. VI, c. 43, *P. G.*, XX, 622.
[2] *Supplement.*. q. 37, a. 2, ad 2.
[3] *Vet. et nov. discipl.*, p. I, l. 20, c. 40.
[4] Attamen, in ordinatione episcoporum, a fine sæculi IV[i], liber evangelii ordinando imponebatur; hic tamen ritus non videbatur essentialis, cùm sæpe non episcopus ordinans, sed episcopi assistentes aut diaconi tenerent evangelia super caput ordinandi.
[5] Denz.-Bann., 701 (596).

vino et patenæ cum pane porrectionem." — Respondent tamen adversarii ibi quæstionem esse tantum de materiâ *integrante et accessoriâ*, quam S. Pontifex optabat superaddi impositioni manuum jamdiu ab Armenis adhibitæ.

c) Alii, cum *Bellarmino* et *Lugone*, tenent *impositionem manuum* et *traditionem instrumentorum esse simul materiam essentialem :* nam, ex Scripturâ, requiritur prior, et, ex Decreto ad Armenos, posterior videtur necessaria.

Conclusio. Prima sententia, utpote factis historicis innixa, multo probabilior videtur. Secunda hodie vix probabilis est. Tertia admitti nequit (sicut et secunda) nisi simul agnoscatur Deum Ecclesiæ reliquisse potestatem determinandi *in specie* materiam sacramentorum quam *in genere* tantum instituerat.

De materiâ et formâ singulorum Ordinum agitur in *Brev. Syn. morali*, n. 1282 sq.

Art. II. De effectibus sacramenti Ordinis.

Duplex est ordinationis effectus, *character* et *gratia*.

§ I. De charactere.

1212. 1° Per Ordinem imprimi characterem in animâ jam probavimus (n. 980). De fide est ex *Trident.* dicente[1] : "Si quis dixerit per sacram ordinationem... non imprimi characterem..., A. S." Hujusmodi character saltem tribus ordinibus certò imprimitur, episcopatu, scilicet, presbyteratu et diaconatu; de aliis vero controvertitur, cùm dubitetur num sint sacramenta.

1213. 2° Juxta probabiliorem opinionem, character ille non est aliud ac ipsa *potestas ordinis*, animæ intime et indelibiliter inhærens.

Jamvero duplex hujusmodi potestas confertur in ordinatione : a) *circa Corpus Christi in Eucharistiâ;* Episcopis enim et sacerdotibus inest potestas "consecrandi, offerendi, et ministrandi corpus et sanguinem (Christi)[2]"; diaconis, Eucharistiam dispensandi; aliis autem ordinibus, materiam consecrandam præparandi; b) *circa corpus Christi mysticum*, animas scilicet fidelium, quas sacerdotes, diaconi, et alii ministri præparant ad Eucharistiæ receptionem, præsertim per sacramentorum administrationem, et per verbi divini prædicationem.

---

[1] Sess. XXIII, can. 4. — [2] *Trid.*, sess. XXIII, cap. 1.

1214. 3° Hæc autem potestas animæ ordinati ita *indelibiliter inhæret*, ut qui eam recepit laicus rursus fieri non possit [1], et ordinationem rite receptam reiterare non liceat. Ut ait *Leo XIII* [2], " firmum semper ratumque in Ecclesiâ mansit, ordinis sacramentum nefas esse iterari ".

Si multæ ordinationes, præsertim a sæc. IX° usque ad XII^um, reiteratæ sunt, hoc ex eo provenit quod invalidæ a multis habebantur ordinationes ab hæreticis vel simoniacis receptæ : quem errorem, a doctrinâ optimorum Patrum (v. g. SS. Hieronymi, Augustini, Leonis I) longe alienum [3], jam a Petro Damiano profligatum [4], S. Thomas, et S. Bonaventura penitùs extirpârunt [5] : a quo tempore, vera doctrina supra exposita ubique prævaluit.

§ II. De gratiâ per ordinem collatâ.

1215. 1° Gratia quæ per sacramentum Ordinis confertur est imprimis *gratia habitualis*, non quidem prima, cùm Ordo sit sacramentum vivorum, sed *secunda*, seu augmentum gratiæ, cum quâ connectitur *jus ad gratias actuales* suo tempore concedendas, ad munera ecclesiastica rite obeunda :

a) Constat ex verbis *S. Pauli* [6] : " Admoneo te ut resuscites *gratiam Dei*, quæ est in te per impositionem manuum mearum " : quæ verba, tum ex contextu, tum ex interpretatione Patrum (n. 1204-1205), de gratiâ habituali intelligenda sunt.

b) Colligitur etiam ex *Trident.* [7] : " Si quis dixerit per sacram Ordinationem non *dari Spiritum Sanctum*, ac proinde frustra episcopos dicere : Accipe Spiritum Sanctum, A. S." Non daretur enim Spiritus Sanctus si gratia habitualis non conferretur.

---

[1] *Trid.*, sess. XXIII, can. 4.
[2] Bull. *Apostolicæ curæ*, sept., 1896, *Acta Leonis XIII*, t. XVI, p. 265.
[3] S. HIERONYM., *Dial. contr. Lucifer.*, n. 11, 14, 27, *P. L.*, XXIII, 166, 168, 181; S. AUGUSTIN., *contr. epist. Parmen.*, lib. II, n. 28, 30; *Contr. Cresc.*, lib. II, n. 12 sq., *P. L.*, XLIII, 70-72, 473 sq., etc.; S. LEON., Epist. XII, XVIII, CLVII, *P. L.*, LIV, 653, 708, 1203.
[4] *P. L.*, CXLV.
[5] S. THOM., *Suppl.*, q. 38, a. 2; S. BONAV., *In IV Sent.*, dist. XXV, a. 1, q. 2.
[6] *II Tim.*, I, 6. — [7] Sess. XXIII, c. 4.

c) Suadetur *ratione :* nam cuicumque a Deo datur potestas aliqua, dantur etiam media quibus exsecutio illius potestatis congruè fieri possit. Augmentum vero gratiæ habitualis, cum jure ad gratias actuales suo tempore concedendas, convenientissimum videtur ut potestatem sacerdotalem homo dignè exerceat.

1216. 2° In Ecclesiæ exordio *gratiæ gratis datæ* sæpe sacram ordinationem comitabantur, v. g. donum miraculorum, donum linguarum, spiritus prophetiæ, ut ex libro Actuum patet. Hodie vero, raro hujusmodi privilegia conceduntur; dantur tamen auxilia quibus ordinati sacræ doctrinæ acquisitioni, et rerum spiritualium administrationi magis idonei efficiantur, dummodo tamen officiis rite obeundis sedulo et indesinenter incumbant. Patet ex precibus quæ in *Pontificali* reperiuntur, et ex argumento rationis supra allato.

Art. III. De ministro Sacramenti Ordinis.

1217. 1° *Minister ordinarius sacramenti Ordinis est solus episcopus.* De fide est, tum ex *Decreto ad Armenos :* "Ordinarius minister hujus sacramenti est episcopus"; tum ex *Trident.*[1] definiente : "Si quis dixerit episcopos... non habere potestatem confirmandi et *ordinandi*, vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem,... A. S."

Probatur : a) *ex praxi Ecclesiæ :* nam ab initio soli episcopi, post apostolos, hoc sacramentum ministrare dicuntur, et nullibi legitur, etiam tempore persecutionum, cùm urgeret necessitas, simplices presbyteros alios sacerdotes ordinâsse.

b) Quod confirmant *Patres*, v. g., *S. Hieronymus*[2] : "Quid facit, *exceptâ ordinatione*, episcopus quod presbyter non faciat"; — et *Concilia*, v. g., *Nicænum I*, can. 4, *Antiochenum*, c. 13.

Hinc colligitur episcopum, vi suæ ordinationis episcopalis et sine ullâ cujuslibet licentiâ, etiamsi fuerit hæreticus aut schismaticus, vel quoquo modo censuratus, potestatem habere omnes ordines valide conferendi, modo perficiat ritus essentiales ordinationis cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

---

[1] Sess. XXIII, can. 7. — [2] Epist. LXXXV, ad Evangelum.

Et ideo *ordinationes anglicanæ* non fuerunt nullæ declaratæ ex defectu potestatis in ministris, sed ex defectu *formæ* et *intentionis*[1].

1218. 2° *Presbyteri tamen, cum delegatione S. Pontificis, possunt esse ministri extraordinarii* non quidem episcopatûs vel presbyteratûs, quod ab omnibus, paucis exceptis, conceditur; neque diaconatûs, quod tamen controvertitur[2]; — bene vero tonsuræ, quatuor ordinum minorum et subdiaconatûs. De facto, ex *Codice*, can. 239, 964, Cardinales, Abbates regulares de regimine et Prælati *nullius*, juxta conditiones præscriptas, tonsuram et ordines minores conferre possunt.

ART. IV. DE SUBJECTO SACRAMENTI ORDINIS.

1219. 1° *Jure divino, omnes et soli homines viatores sexus masculini possunt valide recipere sacramentum ordinis.* Feminæ vero ad recipiendos quoscumque ordines sunt prorsùs incapaces.

Quod colligitur **a**) ex præceptis *S. Pauli* : " Mulieres in ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui sed subditas esse[3] "; " Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto[4] ".

b) Ex *traditione* Ecclesiæ. 1) S. Irenæus, S. Epiphanius, S. Augustinus aliique[5] ut *hæreticos* habent Pepuzianos, Marcosianos et Collyridianos qui feminas sacerdotii et sacrificii capaces prædicabant, et eorum opiniones inter *hæreses* computant; 2) sacerdotium femineum in Ecclesiâ semper habitum est ut *pagana impietas*, quod jam notant *Const. Apostolicæ*[6]. Quod si Ecclesia feminis per aliquam ordinationem aliquando concesserit ministerium quoddam ecclesiasticum, non intendebat eisdem conferre participationem sacerdotii, nam semper eas repulit a *ministerio altaris*.

---

[1] LEO XIII, Bull. *Apostolicæ curæ*, sept. 1896. Cfr. *Syn. maj.*

[2] Videtur enim *Innocentius VIII* abbati generali Cisterciensium concessisse potestatem diaconatum conferendi. Licet hucusque bulla Innocentiana non fuerit inventa, ut genuinum habetur a multis præfatum privilegium, eo magis quod abbates Cistercienses eo usi sunt in ipsâ urbe Romæ sive ante, sive post Concilium Tridentinum (Cf. MANY, *Prælect. de Ordin.*, p. 146-149) : quod tamen privilegium non amplius viget.

[3] *I Cor.*, XIV, 34-35. — [4] *I Tim.*, II, 11 sq.

[5] S. IRENÆUS, *Adv. Hæres.*, lib. I, c. XIII, n. 2, *P. G.*, VII, 579; S. EPIPHANIUS, *Hæres.*, XXXIV, n. 2, *P. G.*, XLI, 583 sq.; S. AUGUSTINUS, *De hæresibus*, n. 27, *P. L.*, XLII, 30.

[6] Lib. III, c. IX, *P. G.*, I, 783-786.

1220. 2° *Jure divino requiritur ad validam ordinationem, ut ordinandus sit valide baptizatus vero baptismo aquæ.* Nam baptismus est " fundamentum et janua " aliorum sacramentorum[1], et insuper nemo potest esse *minister* Ecclesiæ, priusquam per baptisma de corpore ejus effectus sit.

1221. 3° *In adultis requiritur intentio saltem habitualis recipiendi Ordines, non vero in infantibus.*

Ratio est quod ordinatio valide recipitur dummodo *positivum* obstaculum ex parte subjecti non apponatur. Obstaculum autem apponitur ab adultis qui positive absoluteque dissentiunt, non autem ab infantibus. Isti tamen obligationes ordini adnexas non suscipiunt, supra, p. 479, not. 1.

CAPUT VIII.

De Matrimonio.

Prænotanda.

Sicut sacramento Ordinis sanctificantur ministri Dei, ita et sacramento *Matrimonii* sanctificantur conjuges christiani.

1222. A) Matrimonium est *contractus* simul et *sacramentum.* Matrimonii autem sacramentum nihil aliud est quàm ipse contractus matrimonialis sacramentali indole auctus.

B) Ut *contractus*, Matrimonium **definitur** : *conventio legitima inter virum et mulierem, mutuum et perpetuum jus ipsis conferens tum ad generationem et educationem prolis, tum ad vitæ communis consortium.*

C) Matrimonium, ut *sacramentum*, **definitur** : *sacramentum novæ Legis, in ipso consensu reciproco contrahentium legitime præstito consistens, quo gratia conjugibus confertur ad matrimonii officia rite adimplenda.*

---

[1] Bonifac. VIII, cap. *Per catechismum*, 2, Lib. IV, tit. 3, De cognatione spirituali, in VI°.

Art. I. De Matrimonio ut contractu.

Dicemus de matrimonialis contractûs *origine*, *finibus*, *essentiâ* et *proprietatibus*.

§ I. De Matrimonii origine.

1223. 1° **Errores.** Juxta *evolutionismi* fautores, Matrimonium, antequam formam contractûs indueret, fuit successive *promiscuitas* sexuum, matrimonium *per raptum* quo vir mulierem in propriam domum rapiebat, matrimonium *per emptionem*, quatenus vir a parentibus puellam sibi emebat.

1224. 2° **Thesis** : *Matrimonii institutio et contractus originem duxit tum a jure naturali, tum a voluntate positivâ Dei.*

A) *A jure naturali.* Nam generis humani propagatio exposcit : **a**) unionem viri et mulieris, **b**) et quidem non vagam et temporaneam, sed diuturnam ut recte consulatur educationi prolis; **c**) hæc autem mutua obligatio viri et mulieris existere non potest sine utriusque mutuo consensu, seu matrimonii contractu, cùm unusquisque naturaliter jus exclusivum in proprium corpus habeat usquedùm consensu suo hoc jus transferat.

B) *A voluntate Dei positivâ.* Postquam enim Deus Adamum creavit, teste Genesi[1], dixit : " Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adjutorium simile sibi... Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem; et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne meâ; hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ ". Ex quibus verbis, ut patet, unio inter Adamum et Evam, posteaque inter alios conjuges, arctissima esse debet et *ex se* perpetua, et quidem ad procreandos et educandos filios, ut confirmatur ex contextu[2] : " Masculum et feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, et ait : Crescite et multiplicamini, et replete terram ".

---

[1] *Genes.*, II, 18-24. — [2] *Genes.*, I, 27, 28.

1225. *Objiciunt* quidem *Evolutionistæ :* a) promiscuitatem sexuum quæ apud quasdam incultas tribus perseverat esse vestigium primi statûs generis humani. Immerito tamen; nam : 1) apud plerosque populos etiam parum excultos qui *primitivi* vocantur, unio viri et mulieris strictis legibus regitur, et stabilitas unionis conjugalis est lex fere universalis; 2) multis ex factis constat hanc promiscuitatem sæpe inductam esse a perditissimis hominibus ex Europâ migratis, ideoque inveniri apud tribus quæ juxta mare habitant.

b) Arguunt etiam ex factis quibus etiam hodie simulatur *raptus* aut *emptio* sponsæ. Sed 1) hujus *raptûs simulatione* significatur tantum separatio sponsæ ab ipsius familiâ; 2) *emptione* autem translatio dominii quod in sponsam paterfamilias habebat. Ceteroquin in utroque casu supponitur conjuges mutuum consensum præbere.

§ II. De finibus matrimonii.

1226. Thesis. *Finis principalis Matrimonii est generatio et educatio prolis; fines autem secundarii sunt adjutorium mutuum conjugum et remedium concupiscentiæ.*

1° *Probatur prius.* Ad hoc enim Deus instituit sexuum diversitatem et societatem conjugalem ut propagaretur genus humanum : " Masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, et ait : Crescite et multiplicamini, et replete terram[1] ". Non autem intendit Deus propagationem qualemcumque seu *ad esse* prolis, sed propagationem recte ordinatam, seu *ad bene esse* prolis. Parùm enim referret ad bonum individuorum, societatis civilis et Ecclesiæ quod parerentur filii, si non recte educarentur : " Filii tibi sunt? Erudi illos et curva illos a pueritiâ illorum[2] ". Et exinde contra divinæ Providentiæ ordinem est fornicatio seu vagus concubitus et etiam unio temporaria.

2° *Probatur posterius :* a) Ideo enim Deus mulierem creavit, ut esset adjutorium viro[3], et voluit ut vir esset caput mulieris eamque diligeret sicut et Christus dilexit Ecclesiam[4], " ut alter alterius ope adjutus vitæ incommoda facilius ferre et senectutis imbecillitatem sustentare queat[5] ". b) Matrimonium etiam institutum est ut concupiscentiam cohiberet, eam intra limites rationis conti-

---

[1] *Gen.*, I, 27-28. — [2] *Eccli.*, VII, 25. — [3] *Gen.*, II, 18.
[4] *Ephes.*, V, 22-33. — [5] *Catech. Roman.*, De Matrim., n. 12.

nendo : " Propter fornicationem autem (vitandam) unusquisque suam uxorem habeat... melius est enim nubere quam uri [1] ".

1227. Corollaria. a) Matrimonium est impossibile inter personas quæ non sunt aptæ ad generandum, ut eunuchi [2].

b) Illicitum, imo et nullum esset matrimonium in quo *positive* excluderetur a contrahentibus finis primarius matrimonii : fines enim secundarii ad finem principalem referri debent, ita ut hoc *voluntate* excluso, jam non habeatur verum matrimonium.

c) Licitum est et validum, etsi minus perfectum, matrimonium contrahere eo solo fine explicito, non exclusivo tamen, ut pauperies amoveatur, adjutorium et solamen inveniantur, passiones quiescant, licita delectatio habeatur. Eo ipso enim quod non excludatur ab intentione opus generationis, implicite intenditur et finis proprius matrimonii salvatur.

§ III. De constitutivo elemento contractûs matrimonialis, seu de consensu.

I. *De consensu ipso.*

1228. A) Jam vidimus mutuum **consensum** seu contractum requiri ad efficiendum inter virum et mulierem vinculum conjugale. Nam, ut ratiocinatur *S. Thomas* [3], " unus non accipit potestatem in eo quod est libere alterius nisi per ejus consensum. Sed, per matrimonium accipit uterque conjugum potestatem in corpus alterius... cùm prius uterque liberam potestatem sui corporis haberet. Ergo consensus facit matrimonium ".

B) Quidam auctores antiqui docuerunt **copulam** necessariam esse ad " perficiendum conjugium [4] "; imo ad constituendam ipsam *essentiam* matrimonii. Verum est quidem matrimonium simpliciter ratum non esse tam perfecte indissolubile quam matrimonium consummatum; est tamen verum et proprie dictum matrimonium, ut fert communis et *certa* sententia. Ita docent : 1) *Patres :* " Non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed

[1] *I Cor.*, VII, 2.
[2] SIXTUS V, Constit. *Cùm frequenter*, 22 junii 1587.
[3] *Suppl.*, q. 45, a. 1.
[4] Ita GRATIANUS, in *Causa 27*, q. 2, c. 34; cf. c. 45.

pactio conjugalis[1] "; 2) Pontifices et Concilia : *S. Nicolaus Papa*[2] approbat hoc S. Chrysostomi assertum : " *matrimonium non facit coitus, sed voluntas* "; *Trident.*[3] declarat matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem dirimi; jamvero non dirimitur contractus nisi prius existat.

1229. Hinc potuit esse et fuit inter Beatissimam Virginem et S. Joseph verum matrimonium, ut certatim docent Patres[4], quorum testimonia sic contrahit *Benedictus XIV*[5] : " Itaque pro certo tenendum est matrimonium inter eos contractum fuisse verum et ratum."

II. *De dotibus consensûs matrimonialis.*

1230. Consensus debet esse : a) *proprius* et *personalis*, ita ut suppleri nequeat neque a parentibus, neque a Statu neque ab Ecclesiâ : conjugum est enim mutuo transferre jus in corpus suum.

b) *Internus* seu a voluntate conjugum elicitus : voluntate enim quodlibet jus possidetur et transfertur.

c) *Liber*, id est, sine errore substantiali ac deliberatus. Jure naturali valeret consensus metu extortus, dummodo advertentiâ et deliberatione esset informatus quæ ad peccatum mortale sufficerent; sed jure *canonico* aliquid amplius exigitur[6].

d) *Exterius manifestatus* : secùs enim uniuscujusque conjugum consensus, alteri ignotus, non posset in unum idemque placitum convenire.

e) *Absolutus* saltem æquivalenter : consensus enim sub conditione suspensivâ datus[7], non efformat contractum quamdiu conditio non acciderit.

f) *Simultaneus*, eo sensu quod amborum consensus coexistere debet : nam sine consensu mutuo, non habetur contractus; attamen simultaneitas moralis sufficit qualis

[1] S. AUGUSTINUS, *De instit. virg.*, VI, 41, JOURNEL, 1326
[2] Apud MANSI, *Concilia*, t. XV, p. 403.
[3] Sess. XXIV, De reform. matrim., c. 1.
[4] *SS. Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus.*
[5] *De Syn. diœces.*, l. XIII, c. 32, n. 13.
[6] De quo vide *Brev. Syn. mor.*, n. 1402 sq.
[7] De consensu conditionato cf. *Brevior syn. moral.*, n. 1342.

adest quando unius consensus ponitur, alterius consensu jamdiu expresso et virtualiter perseverante.

g) *Legitimus*, seu a personis juridice habilibus datus et sub conditionibus ac formalitatibus ad validitatem lege requisitis. Formalitates consensûs matrimonialis inter christianos determinatæ sunt decreto *Ne temere*.

§ IV. De proprietatibus matrimonii.

Duæ sunt potissimum matrimonii proprietates, *unitas* et *indissolubilitas*.

I. *De matrimonii unitate.*

1231. Unitas matrimonii consistit in conjugali unione unius viri cum unâ muliere. Huic opponuntur *polyandria* et *polygamia*. Prior est conjunctio unius uxoris cum pluribus viris; posterior est conjunctio unius viri cum pluribus uxoribus.

Polyandria simultanea seu conjugalis unio unius uxoris cum pluribus viris simul, juxta omnes, juri naturali saltem secundario repugnat; adversatur enim : **a**) *procreationi* prolis, mulieris fecunditatem maxime minuendo; **b**) *educationi* prolis, incertum reddendo patrem; **c**) *subjectioni* naturali quâ mulier viro subdi debet; nemo enim potest pluribus simul dominis servire. — *Polyandriæ successivæ* applicanda sunt quæ de polygamiâ successivâ infra dicuntur. Dicendum igitur superest de polygamiâ tum simultaneâ tum successivâ.

1° De polygamiâ simultaneâ.

1232. *Lutherus* docuit simultaneam polygamiam, etiam sub N. Lege, licitam esse; idem propugnârunt *Anabaptistæ*, nostroque sæculo *Mormones*. Ex adverso autem *Calvinus* contendebat simultaneam polygamiam, etiam sub V. Testamento, illicitam fuisse, ideoque Patriarchas adulterii reos fuisse. Quam ut confutarent calumniam, nonnulli theologi dixerunt polygamiam juri naturali non esse oppositam, nec ante legem evangelicam fuisse jure divino prohibitam.

1233. Thesis : *Polygamia simultanea, institutioni primævæ contraria, sed Patriarchis post diluvium permissa, a Christo prohibita est, et legis naturæ secundariis præceptis adversatur.*

A) *Polygamia simultanea primævæ matrimonii institutioni contraria est.* Ita communius. Etenim a) initio Deus unum fecit virum et unam mulierem [1]; jamvero, ut recte observat *Chrysostomus* [2], si Dominus voluisset ut vir unus pluribus uxoribus jungeretur, plures fecisset mulieres. b) Postea vero Adamus, videns Evam, exclamavit : "Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit *uxori suæ;* et erunt *duo* in carne *unâ* [3]"; ibi autem, ut ait *Innocent. III* [4], "non dixit tres vel plures, sed duo; nec dixit adhærebit uxoribus, sed uxori... Nec ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divinâ revelatione concessum."

1234. B) *Polygamia tamen, post diluvium, patriarchis et Judæis sub lege mosaicâ permissa fuit, imo valde probabiliter ipsis Gentilibus.* a) Patriarchæ enim, qui Dei amicitiâ fruebantur, ut Abraham, Jacob, leguntur plures habuisse uxores, nec propterea reprehenduntur; b) lex mosaica supponit uxorum pluralitatem licitam esse, cùm statuat æquiparandos esse filios ex utrâque uxore natos [5]; c) dein Elcana [6], David [7], Joas [8], aliique plures habuerunt uxores, quin hâc de causâ vituperentur a Scripturâ. d) Ratio autem cur polygamia, post diluvium, permissa fuit, erat multiplicatio prolis, ad genus humanum iterum propagandum. Nam, ut ait *S. Thomas* [9], "semper principalior finis magis observandus est quam secundarius."

Exinde colligi potest, cum *Bellarmino* aliisque contra *Sanchez*, eamdem dispensationem datam esse Gentilibus; nulla est enim ratio cur ad solos Judæos limitata fuerit, eo magis quia difficilius erat paganis quam Israelitis perfectam matrimonii unitatem servare [10].

1235. C) *Polygamia simultanea jure divino sub N. Lege prohibita fuit;* de fide est ex *Trident.* : "Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum, A. S. [11]" a) Christus enim matrimonium ad primam suam institutionem revocavit his verbis : "Qui dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit,

---

[1] *Gen.*, II, 7, 22. — [2] *Hom. 62*, al. 63, *in Matt.*, n. 1.
[3] *Genes.*, II, 24. — [4] Cap. *Gaudemus*, de Divort. — [5] *Deut.*, XXI, 15.
[6] *I Reg.*, I, 2. — [7] *II Reg.*, II, 2. — [8] *II Parap.*, XXIV, 3 sq.
[9] *Suppl.*, q. 65, a. 2, — [10] Cf. *Genes.*, XX, 1 sq.; *Esther*, II, 16, 17.
[11] Sess. XXIV, c. 2, DENZ.-BANN., 972 (848).

mœchatur"[1]; nam ideo mœchatur dimittens uxorem et alteram ducens, quia prior non desinit uxor esse; atqui quando non est dimissa, non minùs sane remanet uxor; ergo qui alteram ducit vere mœchatur. Hinc S. Paulus quoties de matrimonio loquitur, illud supponit esse unius viri cum unâ uxore[2]. b) Idem probatur unanimi Patrum testimonio constantique Ecclesiæ praxi. RR. Pontifices unitatis matrimonii strenui vindices semper exstiterunt, etiam contra Principum lasciviam : ita, sæc. IX., *Nicolaus I* Lotharium regem, duarum simul uxorum conjugem, palam reprehendit, Episcoposque, qui in Conc. Metensi primi matrimonii vinculum dissolverant, deposuit.

1236. D) *Polygamia simultanea juri naturali non primario, sed secundario adversatur.* Ita communiter. Etenim polygamia a) neque tollit neque graviter impedit *primum* matrimonii finem, cùm unus vir sufficiat pluribus uxoribus fœcundandis, et educandis filiis exinde natis; b) *secundarios* autem fines non tollit quidem, sed multum impedit, imprimis : 1) *pacem* familiæ, cùm non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, ut apparet in historiâ patriarchæ Jacob; 2) *curam æqualem* filiorum, cùm timendum sit ne maritus, in prædilectæ uxoris filios præcipue intentus, ceteros negligat.

2° De polygamiâ successivâ.

1237. Polygamiam successivam, seu secundas et ulteriores nuptias, tanquam jure divino illicitas damnaverunt olim *Montanistæ*, quibus adhæsit *Tertullianus*, necnon *Novatiani*. Nonnulli Patres, præsertim Græci, de secundis et præsertim tertiis ulterioribusque nuptiis nimis dure locuti sunt. Imo apud Græcos, jam a sæc. X, *jure ecclesiastico*, trigamia plerumque, tetragamia semper invalida censetur.

1238. Thesis : *Polygamia successiva, licet minus Ecclesiæ probata, jure divino est licita, nec unquam in Ecclesiâ Latinâ fuit universim prohibita.* Certum est

A) *Script.* S. Paulus diserte affirmat iteratas nuptias, mortuo priore conjuge, licitas esse : " Mulier, si mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera,

[1] *Luc.*, XVI, 18; *Matt.*, XIX, 9.
[2] *Rom.*, VII, 3; *I Cor.*, VII, 2 sq.

si fuerit cum alio viro "[1]; "Dico autem non nuptis et viduis : bonum est si sic permanserint sicut et ego. Quod si se non continent, nubant; melius est enim nubere quam uri "[2]. Imo alibi[3] juniores viduas hortatur ut iterum nubant : "Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ ". Ex quibus patet, juxta mentem Apostoli, melius esse quidem in statu virginitatis vel viduitatis manere, sed tamen nuptias virginibus et viduis licere, imo aliquando expedire ad refrænandam concupiscentiam.

B) *Tradit.* a) Qui nubit secundo, "non peccat, ait *Hermas;* si autem secum quis manet, abundantiorem honorem et magnam gloriam sibi comparat apud Dominum[4] ". Scribit *S. Epiphanius :* "In populo, propter ejus imbecillitatem, tolerari istud potest, ut qui uxore primâ contenti esse non possunt, eâ mortuâ, secundam sibi copulent[5] ". Dicit *S. Augustinus :* "Nec ullas nuptias audeo damnare, nec iis verecundiam numerositatis auferre[6] ".

b) Quorum documentorum doctrinam sic authentice enuntiat *Eugenius IV*[7] : "Declaramus non solum secundas, sed tertias et quartas atque ulteriores, si aliquod impedimentum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulterius a conjugiis abstinentes, in castitate permanserint ".

C) *Rat. theol.* Nil enim prohibet quin iteratæ nuptiæ liceant; nam ex unâ parte primum vinculum, mortuo altero conjugum, solutum fuit; et ex alterâ novus consensus matrimonialis inter partes aliunde habiles præstari potest; imo quandoque expedit sive ad procreationem prolis, sive ad incontinentiam vitandam.

II. *De matrimonii indissolubilitate.*

1239. Matrimonii indissolubilitati opponitur divortium, quod triplex distingui solet : divortium *quoad vinculum*, seu *plenum*, quo matrimonialis unio ita solvitur ut

[1] *Rom.*, VII, 3. — [2] *I Cor.*, VII, 8. — [3] *I Tim.*, V, 14.
[4] *Pastor*, Mand., 4, 4, 1, JOURNEL, 88.
[5] *Adv. hæres. panarium*, 59, 4, JOURNEL, 1097.
[6] *De bono viduit.*, XII, 15, JOURNEL, 1790.
[7] *Decret. pro Jacobitis.*

novæ possint iniri nuptiæ; divortium *quoad torum*, seu separatio a toro, ubi manente conjugali nexu, conjuges a debito conjugali reddendo immunes sunt; divortium *quoad habitationem*, quo conjuges ab obligatione simul cohabitandi liberantur. Hìc de divortio proprie dicto seu quoad vinculum agimus [1].

Triplex autem matrimonium distingui solet : *legitimum*, quod inter duos infideles initur, salvis legibus tum divinis tum humanis; *ratum*, seu receptum, quod inter fideles celebratur juxta leges divinas et ecclesiasticas, ideoque vere est sacramentum; *consummatum*, quod copulâ carnali perfectâ, ex se ad generationem aptâ, completur.

Quibus positis dicemus : 1° de indissolubilitate matrimonialis vinculi ex *jure naturali*; 2° de eâdem indissolubilitate ex *jure divino*; 3° de casibus in quibus *vinculum solvi potest* etiam sub lege evangelicâ.

1° De indissolubilitate matrimonii ex jure naturali.

1240. Status quæstionis. Plerique ethnici philosophi matrimonium jure naturali dissolubile esse censuerunt, divortiaque apud plerasque Gentes plus minusve floruerunt. Christiana autem religio divortia abolere curavit, ut mox probabimus. Sed *Protestantes* divortiis iterum viam aperuerunt, et *Rationalistæ* permulti docuerunt vinculi matrimonialis solutionem non solum licitam, sed etiam in multis casibus utilem et laudabilem esse; hinc *Politici* in variis Statibus leges condiderunt quibus divortia propter varias causas permissa sunt. Expedit igitur ut exponamus quid de indissolubilitate matrimonii recta ratio doceat.

Jamvero certum est divortium permissum simpliciter *arbitrio conjugum*, ex quocumque motivo, juri naturali repugnare, cùm educatio prolis quamdam stabilem conjugum societatem requirat. Sed si quæstio est de divortio ab auctoritate publicâ, propter *graves* rationes concesso, nonnulli theologi, ut *Sanchez* et *Bellarminus* [2], negant illud prohiberi jure naturali; alii ut *Alph. Tostat*, et *S. Ligorius* [3] affirmant; alii tandem, cum *Perrone*, distin-

[1] De separatione a *toro et mensâ* cfr. *Brev. Syn. mor.*, n. 1360.
[2] Sanchez, l. II, disp. XIII; Bellarm., c. IV, n. 2.
[3] S. Alphonsus, *Theol. moralis*, l. VI, n. 256.

guunt, statuuntque matrimonii indissolubilitatem non pertinere ad jus naturale *primarium*, sed ex *secundario* jure profluere. Quæ quidem ultima sententia nobis amplectenda videtur.

1241. **Thesis** : *Indissolubilitas matrimonii, præsertim consummati, juri naturali secundario innititur, proindeque divortium, propter prava consectaria quæ inducit, prorsus rejiciendum est.*

Id enim juri naturali secundario adversatur quod etsi finem *primarium* matrimonii non tollit, prohibet tamen ne hic integre obtineatur, et insuper *naturæ* ipsi matrimonii repugnat, finibus *secundariis* valde nocet, pravaque inducit *consectaria*. Atqui ita est de divortio.

A) Impedit quin finis *primarius integre obtineatur :* infans enim, *ut rite educetur*, utriusque parentis auxilio indiget, non tantum suæ matris amore suavi, sed etiam sui patris severâ auctoritate et prudentiâ; atqui ad hanc educationem perficiendam requiritur diuturna, imo et perpetua conjugum unio, cùm, antequam omnium filiorum perfecta sit educatio, plerumque parentes ad novum matrimonium non amplius sint habiles.

B) Divortium pariter impedit quin *integre* serventur *natura* et *æqualitas* contractûs : 1) matrimonium enim *suâ naturâ* postulat ut ambo conjuges uniti maneant, cùm a prole communi separari nequeant quin *aliquid sui* amittant; 2) *æqualitas* autem contractûs fere nunquam servatur disrupto vinculo : vir enim nihil aut parum dignitatis suæ amisit, et facile novum fœdus inire potest, dum mulier, quæ per plurimos annos nupta fuit, postquam a viro dimittitur, plerumque a suâ dignitate excidit, tanquam flos marcescens despicitur, et vix sperare potest ut novum matrimonium contrahere possit, præcise eo tempore quo magis indigeret auxilio, assistentiâ et protectione mariti[1].

1242. C) Divortium finibus secundariis nocet, nempe *unioni et felicitati conjugum :* a) favendo conjugiis *disparibus* et nimis *festinanter* initis; b) mutuum *amorem restringendo* facilitate et metu separationis plus minusve probabilis et proximæ; c) impellendo ad nutriendas et *augendas leves dis-*

[1] S. Th., *C. Gent.*, lib. III, c. 123; Monsabré, 87e Conf.

cordias propter spem felicitatis in alio connubio inveniendæ; d) *contumelias* et *adulteria provocando* eo fine ut divortium obtineatur.

1243. D) Tandem divortium *prava consectaria inducit:* a) *pacem familiarum disturbando;* dùm enim matrimoniis familiæ inter se coadunantur, lites et inimicitiæ exstinguuntur, econtra ex divortio divisiones oriuntur et odia et vindictæ, quæ si multiplicentur, pax ipsa societatis turbatur.

b) *Mores corrumpendo;* nam facultas divortii paulatim matrimonium vertit in concubinatum ac unionem vagam et liberam : datâ enim hominis inconstantiâ, conjugale vinculum non semel, sed ter, quater aut etiam pluries abrumpi potest[1], eo magis quia inconstantia repetitis actibus crescit[2].

1244. *Objiciunt* adversarii multos conjuges vitam miserabilem ducere et in adulterium prolabi nisi, primo vinculo soluto, novas nuptias inire possint.

Resp.: a) Norma morum non est privatorum felicitas, sed rectæ rationis dictamen, quod, ex jam dictis, vinculi perpetuitatem postulat. Quamvis igitur quidam privati multa et ardua patiantur ex indissolubilitate contractûs, non ideo lex mutanda est, quia bonum *morale* bono *temporali* et bonum *publicum privato* anteponi debet. b) Adulteria autem non rariora, sed potius frequentiora evaserunt a tempore quo divortia permissa sunt; nec mirum, cum spes ad novas nuptias transeundi concupiscentiam non extinguere, sed potius augere soleat.

2° De indissolubilitate matrimonii ex jure divino.

Errores. *Græci schismatici* et *Protestantes* docent matrimonium, etiam quoad vinculum, ex indulgentiâ Christi solvi posse per adulterium aut etiam, juxta multos, post obstinatam desertionem alterutrius conjugis. Contra quos statuuntur theses sequentes.

1245. **Thesis Ia** : *Matrimonium ex primævâ Dei institutione indissolubile fuit, — sed sub lege mosaicâ per libellum repudii dissolvi poterat, etiam in foro conscientiæ, sub certis quibusdam conditionibus.* Ita communiter.

A) *Prius* probatur; a) interrogantibus enim Pharisæis num liceat homini uxorem dimittere quâcumque ex

---

[1] *Seneca* enim de his uxoribus loquitur quæ "non consulum numero, sed maritorum annos suos computant" (*De Beneficiis*, l. III, c. 16).
[2] Cf. Leo XIII, Encycl. *Arcanum*.

causâ, Christus respondet non homini licere conjugalem unionem a Deo ipso sancitam dissolvere : " Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet ". Objicientibus autem libellum repudii a Moyse fuisse permissum, Dominus addit : " Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : ab initio autem non fuit sic[1] ". b) Quod a *Tridentino*[2] confirmatur : " Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritûs instinctu pronuntiavit, cum dixit : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea "...

B) *Posterius* constat; a) legitur siquidem in *Deut.*[3] : " Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo suâ. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo suâ, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem "... Jamvero his verbis vel conceditur, vel jam concessa supponitur facultas divortii quoad vinculum; nam uxor dimissa exhibetur ut alteri viro nubens, et insuper sacerdotes prohibentur mulierem repudiatam ducere[4] : ex quo eruitur hoc aliis fuisse permissum.

b) Aliunde nonnisi sub certis quibusdam *conditionibus* concedebatur facultas divortii : 1) solus vir poterat libellum repudii dare; 2) ipsi viro non permittebatur quando, ante matrimonium, cum uxore commercium carnale habuerat, vel eam injuste accusaverat quod non esset virgo[5]; 3) vir uxorem dimittere poterat solum propter aliquam *fœditatem* (*ervat dâbar*) quæ vox designabat aliquid graviter inhonestum; 4) et quidem cum *libello repudii scripto*, per quod non solum providebatur statui uxoris, sed difficilius evadebat divortium; 5) sine ullâ spe hanc mulierem iterum sumendi. Hisce variis formalitatibus et restrictionibus legislator sacer satis ostendebat divortia esse quid minus perfectum et quasi invite toleratum, scilicet " ad *duritiam cordis* ", seu, ut explicat *S. Thomas*[6] " propter majus malum cohibendum, scilicet uxoricidium, ad quod Judæi proni erant ".

---

1 *Matt.*, XIX, 3 sq. — 2 Sess. XXIV, Denz.-Bann., 969 (846).
3 *Deut.* XXIV, 1 sq. — 4 *Levit.*, XXI, 7.
5 *Deut.*, XXII, 19, 29. — 6 *Suppl.*, a. 3.

1246. Thesis IIª : *Matrimonium fidelium, ratum et consummatum, nullo prorsus modo potest, sub lege evangelicâ, quoad vinculum dissolvi, etiam propter adulterium.* Certum est et fidei proximum contra Græcos et Protestantes ex *Trid.*[1] : " Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum qui, dimissâ adulterâ, aliam duxerit, et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit; A. S. "

Canon *directe* dirigitur contra Protestantes, qui Ecclesiam Catholicam erroris hâc de re accusabant; *indirecte* tantum contra Græcos, quorum Concilium noluit opinionem ut hæreticam damnare[2], proptereaque talem formulam adhibuit quæ in tuto ponit doctrinam Ecclesiæ, quin hæc tanquam de fide proponatur; nam aliud est definire *Ecclesiam non errare cum docet*, aliud dicere *id quod docet esse de fide.*

Diximus in propositione : matrimonium *fidelium* ratum et *consummatum*, quia matrimonium infidelium et matrimonium fidelium ratum tantum et non consummatum, etsi sunt jure divino indissolubilia, possunt sub certis conditionibus ex ipsius Dei indulgentiâ dissolvi. Ratio est quia matrimonii indissolubilitas est de jure naturali tantùm secundario.

1247. A) *Script.* **a)** Christus declarat adulterium committi ab eo qui *dimissam uxorem* ducit : " Ego autem dico vobis : quia omnis qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari : et *qui dimissam duxerit, adulterat*[3] "; " Omnis qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, mœchatur : et *qui dimissam a viro ducit, mœchatur*[4] ". Quibus verbis aperte et absolute docet adulterium committi ab eo qui dimissam uxorem ducit, et idcirco jure divino primævo præscripta indissolubilitas instauratur. Attamen ex infra dicendis constat etiam sub novâ Lege matrimonium aliquando

---

[1] Sess. XXIV, c. 7, DENZ.-BANN., 977 (853).

[2] Juxta *Pallavicini* (Hist. Concil. Trid., l. XXII, c. 4, n. 27) canon prius ita fuerat confectus ut etiam Græcos anathemate percuteret; sed, postulantibus Venetis oratoribus, reformatus est qualis nunc exstat, ne novum obstaculum Græcorum unioni apponeretur.

[3] *Matt.*, V, 32. — [4] *Luc.*, XVI, 18; cf. *Marc.*, X, 11-12.

dissolvi posse, dummodo tamen non sit matrimonium fidelium consummatum.

b) Idem clare eruitur ex verbis Apostoli[1] : " Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, *manere innuptam*, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat ". Porro hæc verba prorsus generalia sunt et manifeste supponunt uxorem dimissam non posse iterum nubere.

c) *Objiciuntur* quidem verba Domini : " Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur : et qui dimissam duxerit, mœchatur[2] "; ex quibus tum Græci tum Protestantes colligunt in casu adulterii matrimoniale vinculum solvi posse. *Respondetur* Pharisæos Christum interrogasse de solâ dimissione; cùm enim inter se disputarent utrum liceret dimittere uxorem propter quamlibet causam, an propter adulterium tantum, Christus respondet ob solam fornicationem seu adulterium uxorem dimitti posse (in perpetuum), et quia abolere volebat divortium a vinculo, addit non licere, etiam in hoc casu, dimissam uxorem ducere sub pœnâ adulterii. Aliis verbis, verba " *nisi ob fornicationem* " propositionem *incidentem* constituunt, quæ ad præcedentia verba " *dimiserit uxorem* " refertur, non autem ad sequentia " *et aliam duxerit* ", ita ut sensus sit : quicumque dimiserit uxorem suam (quod quidem non licet nisi ob fornicationem), et aliam duxerit, mœchatur.

1248. B) *Tradit.* Tria tempora in historiâ hujus dogmatis distinguere licet. a) Certum est Patres, tribus prioribus sæculis, ore unanimi docere matrimonium christianum esse indissolubile, etiam in casu adulterii. Ita *Hermas*[3], *S. Justinus*[4], *Athenagoras*[5], *Clemens Alex.*[6] aliique multi.

b) A quarto sæculo usque ad decretum *Gratiani* (1145), distinguendum est inter Ecclesiam Orientalem et Ecclesiam Occidentalem. 1) In *Oriente* nonnulli scriptores, nimis facile assentientes legibus civilibus, primum timide, postea vero audacius divortium tolerandum esse docuerunt, dissimulantibus posteaque etiam probantibus episcopis, præsertim post consummatum schisma. Quos abusus non semel improbavit S. Sedes, imprimis *Eugenius IV* in decreto ad Armenos[7].

---

[1] *I Cor.*, VII, 10.
[2] *Matt.*, XIX, 9; cfr. FILLION, *Evang. sel. S. Matthieu*, in h. loc.
[3] *Pastor*, lib. II, Mandat. 4. — [4] *Apol. I*, n. 15; *Apol. II*, n. 2.
[5] *Leg. pro christ.*, n. 32. — [6] *Stromat.*, l. II, c. 23.
[7] Cf. DENZ.-BANN., 702 (597).

2) In Ecclesiâ autem *Latinâ*, quæ imperatoribus, præsertim in rebus fidei ac morum, fortiter restitit, firmitas matrimonialis vinculi feliciter servata est. Quod præsertim obtinuit in Italiâ, ubi Romani Pontifices matrimonii indissolubilitati tam sedulo invigilarunt, ut etiam Protestantes fateantur Ecclesiam hâc de re nullo modo vacillavisse. In Galliâ autem, Hiberniâ et Angliâ pauca fuerunt particularia concilia quæ aliquas divortii causas admiserunt, ut adulterium incestuosum, lepram incurabilem, ingressum unius conjugis in religionem[1]. Sed cetera concilia provincialia omnem divortii causam rejecerunt.

c) Tandem, a tempore *Gratiani*, nullæ variationes, etiam in particularibus Conciliis, inveniri possunt. Ubique enim accepta fuit auctoritas *Decreti* quod hæc habet : " Vinculum conjugii fornicatione dissolvi non potest. Nullâ ratione dissolvitur conjugium quod semel initum probatur. Mœchatur qui a viro dimissam ducere præsumit[2] ".

3° De casibus in quibus solvi potest matrimonium.

Duo sunt casus : matrimonium *infidelium*, et matrimonium fidelium *ratum* et non consummatum.

1249. Thesis Ia : *Matrimonium infidelium, etiam consummatum, solvi potest quoad vinculum, si, uno ad fidem converso, alter nolit cohabitare pacifice, vel sine Creatoris injuriâ aut damno spirituali fidelis.* Certum est ex declaratione *Innocentii III*[3] : " Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemiâ divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente; qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit : et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus : si infidelis discedit, discedat... "

---

[1] Ita *Synodus Vermeriensis* (753) et Conc. *Compediense* (756) sub Pippino rege habitum, ap. HARDUIN, t. III, p. 1990 sq., 2005 sq., Synodus secunda *S. Patricii*, ap. *Mansi*, t. VI, p. 526, quæ, licet S. Patricio adscribi non possit, est tamen valde antiqua; *Pœnitentiale Theodori* ap. HADDAN AND STUBBS, *Councils*, vol. III, p. 188.

[2] " Quam ad rem omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a Nicolao I edita adversus Lotharium; ab Urbano II et Paschali II adversus Philippum I regem Galliarum; a Cælestino III et Innocentio III adversus Philippum II principem Galliarum; a Clemente VII et Paulo III adversus Henricum VIII; denique a Pio VII sanctissimo fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I, secundis rebus et magnitudine imperii exsultantem ". (*Leo XIII*, Arcanum).

[3] *Decretal.* l. IV, tit. 19, c. 7.

Quod decretum, praxi Ecclesiæ firmatum, auctoritate *S. Pauli* innititur. Hic enim, post promulgatam legem generalem indissolubilitatis matrimonii, hæc addit : " Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat eam... Quod si infidelis discedit, *discedat : non enim servituti subjectus* est frater aut soror in hujusmodi [1] " ... Jamvero his verbis Apostolus concedit facultatem solvendi vinculum matrimoniale pro casibus in thesi expressis; etenim a) fideli converso Paulus concedit speciale privilegium quod non potest esse nisi solutio vinculi ; nam additur partem fidelem non esse *subjectam servituti;* jamvero servitus hujusmodi, discessione partis infidelis jam peractâ, nihil aliud esse potest nisi ipsum vinculum matrimoniale, eò magis quòd sermo dirigitur ad neo-conversos, apud quos vigebat institutio divortii, non autem simplex separatio, quique proinde voce *discedat* solutionem vinculi naturaliter intelligebant ; b) crescit vis argumenti, si animadvertitur antithesis quam Paulus instituit inter conjugia *fidelium* de quibus dicit mulierem, si vir discesserit, *innuptam* manere debere, et *infidelium* connubia, de quibus scribit : " *quod si infidelis discedit, discedat* "*;* hâc enim oppositione satis ostendit in ultimo casu agi de verâ solutione vinculi [2]. Fatemur tamen argumentum non esse apodicticum, nisi accederet auctoritas praxis Ecclesiæ.

Praxis autem *communis* evasit in omnibus ecclesiis apud gentes recens conversas institutis.

1250. Quærunt theologi quo jure matrimonium infidelium in præfato casu solvatur.

Communior opinio, cum *Benedicto XIV* [3], tenet matrimonium consummatum infidelium solvi *jure divino.* Cùm enim matrimonium sit indissolubile jure naturali *tantum secundario*, proportionatâ de causâ Deus potest illud dissolvere. Et hoc quidem fecit privilegio Paulino in favorem fidei.

---

[1] *I Cor.*, VII, 12-15.

[2] Apostolus directe non loquitur nisi de casu quo infidelis nolit cum conjuge converso habitare, sed duo postremi casus in primo includuntur : is enim *moraliter discedit*, qui non vult cohabitare nisi cum Creatoris injuriâ, aut pertrahendo fidelem conjugem ad peccatum.

[3] BENEDICT. XIV, *De Synodo*, l. VI, c. IV, n. 3; lib. XIII, c. 21.

1251. De exercitio privilegii Paulini. A) Vinculum conjugale tunc tantum solvitur, cùm conjux conversus, renuente altero pacifice cohabitare, novum init matrimonium. Ratio est quia privilegium est in gratiam solius partis catholicæ[1], ne cælebs manere cogatur : satis est igitur ut prius vinculum solvatur eo instanti quo novum efformatur.

B) Ex dictis in thesi, triplici de causâ conjux conversus ad alias nuptias transire potest : a) si infidelis renuit cum eo habitare; si tamen infidelis discedit propter adulterium fidelis post baptismum commissum, non datur locus privilegio; b) si vult habitare, sed non sine injuriâ Creatoris, v. g., concubinas retinendo, filios minores pagane educando; c) si vult fidelem ad peccatum mortale trahere contra fidem vel mores : in his enim casibus non vult pacifice cohabitare.

Potest autem conversus hoc privilegio uti non solum statim post Baptismum sed etiam post plures annos. Non datur locus privilegio quando fidelis, *obtentâ dispensatione*, cum infideli contraxit.

1252. Ampliatio privilegii Paulini. Summi Pontifices aliquando concesserunt matrimonium dissolvi occasione conversionis unius e conjugibus infidelibus, vel etiam utriusque, in casibus quos difficillimum est reducere ad privilegium Paulinum. Ita *Gregorius XIII*[2] supponit soluta esse matrimonia in infidelitate contracta, etiam casu quo conjux absens baptismo regeneratus fuerat : " Quæ quidem matrimonia, etiamsi postea innotuerit conjuges priores infideles suam voluntatem juste impeditos declarare non potuisse, et *ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversos fuisse*, nihilominus rescindi nunquam debere." Unde merito concludunt aliqui theologi[3] Pontificem hanc specialem dispensationem concedere non virtute Paulini privilegii, sed vi *potestatis ministerialis seu instrumentalis* quam nomine Dei exercet in iis etiam quæ sunt juris divini, quando id expostulat finis Ecclesiæ.

1253. Thesis 2ª : *Matrimonium fidelium ratum, et non consummatum, solvitur per solemnem alterius conjugum professionem in religione approbatâ, — vel per dispensationem a S. Pontifice gravi de causâ concessam.*

---

[1] Dicimus *pars catholica*, ut certa ab incertis secernamus. Probabilius tamen putamus privilegium Paulinum extendi non solum ad eos qui fidem catholicam, sed etiam ad eos qui sectam hæreticam vel schismaticam amplectuntur, dummodo valide baptizentur. Ita *Palmieri*, th. 27.

[2] Constit. *Populis ac nationibus*, 25 jan. 1585.

[3] Billot, th. 44; de Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, n. 196.

A) *Prima pars* definita est a *Tridentino*[1] : " Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, A. S." Probatur insuper a) ex disertis declarationibus *Alexandri III*[2] (1180) et *Innocentii III*[3] (1210); b) ex praxi Ecclesiæ; certum est enim, jam a sæc. XII, hanc praxim communiter in Ecclesiâ viguisse, approbantibus Episcopis et R. Pontificibus.

Notandum est matrimonium ratum solvi tantum eo tempore quo emittitur *solemnis* professio. Duo olim menses a jure conjugibus concedebantur ad deliberandum de ingressu religionis; quo tempore non tenebantur ad reddendum debitum. Hoc autem privilegium ex *Codice*, can. 1111, non amplius existit.

1254. B) *Posterius* certum evasit Ecclesiæ praxi; constat enim, jam a tempore *Martini V* (1417), potestatem dissolvendi matrimonia rata, propter graves rationes, fuisse a multis Pontificibus exercitam et etiam diebus nostris exerceri, ut constat ex *Actis A. Sedis*, ubi quolibet anno nonnullæ hujusmodi dispensationes super matrimonio rato concessæ leguntur.

1255. Quo jure *matrimonium ratum sive professione solemni sive dispensatione S. Pontificis dissolvitur?*

Sententia magis ac magis prævalens (sicut jàm animadvertimus quoad ampliationem privilegii Paulini, n. 1252) tenet matrimonium solvi *jure divino implicito*, seu *per ministerialem illam potestatem*, quâ Ecclesia dispensat a voto, juramento, aliisque impedimentis, propter gravem necessitatem. Videlicet in amplissimâ potestate clavium a Christo collatâ comprehenditur ministerialis seu instrumentalis facultas dispensandi, sive per legem sive per speciale indultum, a quibusdam obligationibus jure divino inductis, quando spiritualis animarum utilitas id requirit. Jamvero obligatio quæ resultat ex vinculo matrimonii rati et non consummati, licet oriatur ex jure divino, non ita perfecta est ut nullo modo solvi possit, gravi interveniente causâ[4].

---

[1] Sess. XXIV, c. 6, DENZ.-BANN., 976 (852).
[2] DENZ.-BANN., 396 (334). — [3] DENZ.-BANN., 409 (354).
[4] Ad fusiorem hujus opinionis expositionem vide *Billot*, th. 44-45.

ART. II. DE MATRIMONIO UT SACRAMENTO.

Dicemus de Sacramenti Matrimonii *existentiâ* et *essentiâ*.

§ I. De existentiâ Sacramenti Matrimonii.

1256. 1° **Errores.** Juxta *Lutherum* "matrimonium novæ legis sacramentum non est, cùm ipsi desit divina promissio[1]"; juxta *Calvinum*, ratio sacramenti non magis convenit nuptiis quàm agriculturæ[2]. *Moderni* autem Protestantes non agnoscunt in matrimonio nisi *religiosam institutionem; Ritualistæ* matrimonium habent ut unum e minoribus Sacramentis.

1257. 2° **Thesis** : *Matrimonium inter Christianos legitime celebratum, est proprie dictum sacramentum.*

De fide est ex *Trident.*[3] : " Si quis dixerit Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesiam invectum, neque gratiam conferre, A. S. "

Explicatur. Matrimonium est sacramentum in conjugibus qui sunt baptizati : qui enim non est baptizatus, est incapax sacramenti recipiendi. Præterea, ut sit sacramentum, Matrimonium debet esse validum et exinde legitime seu sine impedimento dirimente contractum.

1258. Probatur. A) *Scripturâ* non probatur apodictice Matrimonium esse sacramentum. Id vero : **a**) jàm innuitur ex eo quòd Christus interfuit Canæ nuptiis et matrimonii instauravit unitatem ac indissolubilitatem : eo enim modo agendi poterat intelligi quod Christus conjuges deinceps sanctificare et gratiâ suâ adjuvare volebat; **b**) satis probabiliter infertur ex verbis Apostoli[4] quibus conjugibus sicut exemplar morale proponitur unio Christi et Ecclesiæ et matrimonium ipsum exhibetur ut sacrum signum hujus unionis : " Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ."

Jamvero ex his Apostoli verbis, Matrimonium christianum nobis proponitur non tantùm ut signum sacrum,

[1] *De captiv. Babyl.*, de matrimonio. — [2] *Instit.*, l. IV, c. 19, n. 34.
[3] Sess. XXIV, c. 1, DENZ.-BANN., 971 (847).
[4] *Ephes.*, V, 22-32.

unionis scilicet Christi cum Ecclesiâ, sed etiam : 1) ut *signum gratiæ sanctificantis;* nam significat Christi cum Ecclesiâ unionem quæ per gratiam sanctificantem perficitur, juxta illud Apostoli : "Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro eâ, ut illam *sanctificaret*[1]"; ergo matrimonium christianum significat gratiam sanctificantem; 2) ut signum *practicum* seu *producens gratiam sanctificantem quam significat.* Nam matrimonium christianum exhibetur ut unio *supernaturalis* et *permanens*, quippe quæ imitetur unionem Christi cum Ecclesiâ; atqui unio conjugum non potest esse supernaturalis sine gratiâ, neque permanenter supernaturalis, sine gratiâ habituali, cui gratiæ actuales adnectantur. Ergo matrimonium christianum requirit *gratiam habitualem* simul cum jure ad gratias actuales. Porro hæc est prærogativa novæ legis, ut gratia sanctificans, pro certis statibus et officiis concessa, conferatur per specialem ritum sacramentalem.

1259. B) *Traditione*, videlicet *argumento præscriptionis.* Certum est matrimonium ut sacramentum vere ac proprie dictum jam agnitum fuisse a sæculo XII, in utrâque Ecclesiâ, Orientali atque Occidentali. Revera jam ab illo tempore theologi omnes explicite matrimonium esse sacramentum tradunt non ut aliquid novum et incertum, sed tanquam doctrinam certam et veterem, jamdiu ab Ecclesiâ traditam; et idem evincunt tum confessio Michaelis Palæologi in *C. Lugdun. II* (1274) lecta[2], tum anathema a papa Lucio II in *C. Veronensi* (1181) contra Albigenses decretum[3]. Omnes pariter orientales Communitates, etiam schismaticæ aut hæreticæ, profitebantur, prout nunc profitentur, matrimonium esse unum ex septem sacramentis[4].

Jamvero ille consensus unanimis totius Ecclesiæ probat matrimonium ut sacramentum habitum fuisse ante græcum schisma et separationem Orientalium sectarum; etenim neque Latini a Græcis, neque Græci a Latinis, neque variæ Orientalium sectæ ab utrisque hanc novam doctrinam mutuâssent, propter odia ac contentiones, quæ inter has diversas ecclesias prævalebant[5]. Neque dici potest hanc innovationem ante has divisiones locum habuisse; nullum enim invenitur hujus mutationis vestigium; sed e contra, multa invenimus vestigia,

---

[1] *Ephes.*, V, 25. — [2] DENZ-BANN., 465 (388).
[3] DENZ-BANN., 402 (339).
[4] Cfr. GOAR, *Eucholog.*, p. 385 sq.; SCHELSTRATE, *Acta Orient. eccl.*
[5] Cfr. *Tr. de Sacramentis*, n. 23-25.

ex quibus merito infertur hanc doctrinam a Patribus edoctam esse et ab Apostolis promanare.

Et primo a) ex *Patribus*. 1) Sæc. V, Matrimonium exhibetur a *S. Leone M.*[1] ut *Christi et Ecclesiæ sacramentum*, et quidem *gratiâ divinâ fundatum*, addit *S. Innocentius I*[2], ita ut illud comparet *S. Augustinus*[3] Baptismo et Ordinationi. 2) Sæc. IV, *S. Ambrosius* asserit christianum conjugium benedictione sacerdotali *sanctificari*[4]. 3) Sæc. III, *Tertullianus*, matrimonium vocat *sacramentum*, quod *obsignat benedictio*, Pater *ratum habet* conferendo illi *divinæ gratiæ patrocinium*[5]. 4) Sæc. II, diserta testimonia quidem non habentur, sed nihilominus declaratur matrimonium esse rem sacram ad Ecclesiam spectantem; ita v. g. *S. Ignatius M.* ait[6] : "Decet ut sponsi et sponsæ de *sententiâ Episcopi* conjugium faciant, quo nuptiæ sint *secundum Dominum*".

b) Ex *Liturgiis*[7]; etenim in antiquissimis *sacramentariis* et *Ordinibus* seu *Ritualibus*, sive latinis sive græcis, invenire est cæremonias et preces pro nuptiarum solemnitate celebrandâ, quæ demonstrant matrimonium esse rem divinitus institutam, cum sanctificatione et gratiâ conjunctam.

Fatemur equidem paucos Scholasticos, ut *Lombardum* et *Durandum*, obscure de hoc sacramento scripsisse, ita ut plurimis visi fuerint ejus existentiam negare. Contextu autem inspecto, non directe negârunt illud esse sacramentum, sed de naturâ gratiæ quam producit disputârunt, vel de modo quo confertur[8].

C) *Rat. conven.* Matrimonio conjuges deputantur ad opus nobilissimum et societati tum civili tum spirituali utilissimum, videlicet procreationem et educationem prolis, ac vinculo indissolubili connectuntur; obligationes autem hujusmodi adeo sunt graves ut haud raro non communem sed heroicam requirant virtutem. Porro sacramenta eo fine instituta sunt ut gratiam conferant in illis vitæ stadiis quæ maximi sunt momenti. Ergo con-

---

[1] Ep. 167 *ad Rustic.* — [2] Ep. 36 *ad Probum.*

[3] *In Joa.*, tr. IX, n. 2; *De Nuptiis*, c. 10; cfr. *de Bono conjugali*, cc. 18, 24.

[4] Ep. 19 *ad Vigil.*, n. 7; *De Abraham*, lib. I, c. 7.

[5] *Ad uxor.*, l. II, c. 9; *De Monogamiâ*, c. 11; *Ad uxor.*, l. II, c. 7.

[5] *Ep. ad Polyp.*, c. 5.

[7] Cfr. Martene, *De Ant. Eccl. Ritibus*, l. I, c. 9, a. 5 sq.; Goar, *Euchol. Græcorum*, De officio coronationis (i. e. nuptiarum, in quibus sponsa coronabatur).

[8] *S. Thomas* ipse, dum esset junior, tanquam *probabiliorem*, non autem ut certam, habebat doctrinam quæ asserit Matrimonium esse gratiæ productivum (*Suppl.*, q. 42, a. 3); postea autem in *Sum. theol.* (2ª 2æ, q. 100, a. 2 ad 6) rem ut certam tradidit.

veniebat ut Matrimonio sacramentalis gratia adnecteretur [1].

Còrollaria.

1260. 1° *Matrimonium matrimoniique usus sunt quid honestum et laudabile.* Certum est contra *Gnosticos* et *Manichæos.*

A) *Script.* Illud enim bonum et laudabile est quod Deus ipse instituit, Christus confirmavit et Apostoli commendârunt. Atqui a) *Deus* matrimonium *instituit,* tum protoparentes sexu diversos creando, tum eos arcto fœdere sociando ut prolem procrearent [2], imo jubendo fratrem accipere uxorem fratris sui defuncti, ut suscitet semen fratris sui [3]. b) Id *Christus confirmavit* tum nuptiis Canæ assistendo, tum contractum matrimonialem ad dignitatem sacramenti evehendo, tum eumdem ad pristinam indissolubilitatem revocando [4]. c) Idem *commendârunt Apostoli;* ita S. Paulus matrimonium vocat *honorabile* [5]; asserit eum qui matrimonio jungit virginem bene facere, et conjugibus præcipit ut debitum reddant [6]; juniores viduas admonet ut nubant, et doctrinam prohibentium nubere reprobat [7].

B) Speciale *traditionis* argumentum non instituimus, cùm ab omnibus agnoscatur Patres diserte in suis operibus honestatem matrimonii propugnavisse [8].

C) *Rat. theol.* Matrimonium : a) ad humanæ speciei conservationem et propagationem necessarium est; b) est in se opus nobile, cùm conjuges simul cum Deo corpus humanum procreent, in quod infunditur anima rationalis; c) tandem bono fine honestari potest, *religionis* scilicet, ut proles ad Dei cultum procreetur, *pietatis erga patriam,* ut cives generentur qui Statui præsidio sint, *justitiæ,* ut debitum reddatur, *temperantiæ,* ut concupiscentiæ remedium afferatur.

---

[1] S. TH., *Suppl.*, q. 42, a. 3. — [2] *Gen.*, I, 27-28; cf. II, 21-24.
[3] *Deut.*, XXV, 5. — [4] *Joa.*, II, 1 sq.; *Matt.*, XIX, 4 sq.
[5] *Hebr.*, XIII, 4. — [6] *I Cor.*, VII, 38; VII, 3.
[7] *I Tim.*, V, 1-3, 14.
[8] Adeantur, si tempus adsit, TERTULLIANUS, *Adv. Marcionem;* CLEMENS AL., l. III *Stromat.;* S. HIERONYMUS, in libris *contra Jovinianum:* S. AUGUSTINUS, *de Bono conjugali, de Nuptiis,* etc.

1261. 2° *Status virginitatis vel cælibatus, pro Deo susceptus, præstantior est statu matrimoniali.* De fide est ex *Trident.*[1] : "Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cælibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quam jungi matrimonio, A. S."

Est contra *Jovinianum* (IV sæc.) et *Novatores* qui contenderunt nuptias virginitati esse æquiparandas, imò anteponendas.

Explicatur. Notandum est : **a)** comparationem institui inter *statum* virginitatis et statum *conjugalem*, non inter personas : possunt enim dari conjugati qui nonnullis virginibus perfectiores sint; **b)** cælibatum de quo agitur, non esse solum carentiam vinculi conjugalis, quæ nonnunquam cum vitâ flagitiosâ componitur, sed cælibatum pro Deo susceptum.

Prob. **A)** *Script.* **a)** ex his verbis Christi : "Et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum : qui potest capere capiat[2]"; **b)** ex his textibus Apostoli[3] : "Bonum est homini mulierem non tangere (1)... volo enim omnes vos esse sicut meipsum (7) .. dico autem non nuptis et viduis : bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego (i. e. sine uxore) (8)... Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori et divisus est (32)... Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit *melius facit*" (38).

B) Hæc est etiam aperta *Patrum* doctrina, quam ex professo tractârunt *S. Cyprianus*, de habitu Virginum; *S. Ambrosius*, de Virginibus; *S. Hieronymus*, contra Jovinianum; *S. Augustinus*, de sanctâ virginitate, etc.

C) *Rat. theol.* Virginitas ordinatur : **a)** ad *bonum Dei*, propter cujus amorem carnis voluptates etiam licitæ libere despiciuntur; **b)** ad *bonum animæ*, quam disponit ad vitam contemplativam, ad orationem et considerationem eorum quæ sunt Dei; dum conjugium ordinatur ad bonum corporis, ac de se mentem abstrahit a rebus divinis. Hinc

---

[1] Sess. XXIV, c. 10, DENZ.-BANN., 981 (857).
[2] *Matt.*, XIX, 9-12. — [3] *I Cor.*, VII, 1-40.

Christus virginem matrem elegit, virginitatem ipse perpetuo coluit, virginem discipulum præ ceteris dilexit, eique soli virginem matrem in cruce moriens commendavit, exemplo suo manifeste ostendens majoris pretii esse statum virginalem quam conjugalem[1].

§ II. De essentiâ sacramenti Matrimonii.

Dicemus : 1° de *inseparabilitate* sacramenti a contractu; 2° de *ministro* hujus sacramenti; 3° de *materiâ* et *formâ;* 4° de *effectibus;* 5° per modum consectarii, de *Ecclesiæ potestate* circa matrimonium.

I. *De inseparabilitate sacramenti a contractu.*

1262. *Status quæstionis.* Sæc. XVII, *Marcus Ant. de Dominis*[2], Spalatensis Episcopus, postea hæreticus, et *J. Launoy*[3], necnon, sæc. XIX, *J. Nuytz*, professor Taurinensis, docuerunt sacramentum ita supervenire matrimonii contractui, ex naturâ suâ civili, ut ab eo separari possit, proindeque impedimenta dirimentia a principibus statui posse. Quam doctrinam libenter amplexi sunt *Politici*.

Quidam catholici, ut *M. Canus*[4], putârunt contractum esse quidem materiam sacramenti, sed benedictionem sacerdotalem esse formam, ita ut si benedictio omittitur, existat matrimonium ut contractus, non autem ut sacramentum. Pauci alii, post *Vasquez*[5], agnoverunt quidem contractum esse totum et integrum sacramentum, sed tenuerunt contrahentes posse *suâ intentione* efficere ut contractus naturalis sine sacramento validus existat.

1263. **Thesis** : *Inter Christianos, matrimonii contractus et sacramentum tam intime connectuntur, imo identificantur, ut nullum dari possit matrimonii contractus quin sit pariter sacramentum.* Certum est.

A) *Script.* innuitur; etenim ex verbis S. Pauli ad *Ephesios* supra laudatis, Patrum additâ interpretatione, illud ipsum matrimonium ad dignitatem sacramenti evectum est quod Deus ab initio instituerat; atqui quod Deus ab initio instituerat nihil aliud est nisi contractus ipse matri-

[1] S. THOMAS, 2ª 2æ, q. 152, a. 4.
[2] *De Republ. christianâ*, l. III et V, c. 2.
[3] *De regiâ in matrimon. potestate*, t. I, p. 2, c. 4.
[4] *De Locis theol.*, l. VIII, c. 5.
[5] *De Sacram.*, disp. 138, c. 5, n. 63-64.

monialis. Revera nullus ritus, nulla oratio, nulla materia aut forma in Scripturâ determinatur, præter ipsum matrimonialem contractum.

B) *Tradit.* a) Patres non directe quidem hanc quæstionem expenderunt, sed ita de matrimonio christiano locuti sunt, ut exinde erui possit contractum ipsum fuisse ad dignitatem sacramenti evectum. Scholastici omnes qui ante sæc. XVI floruerunt id apertius declarârunt, docentes, post *S. Thomam*[1], verba quibus consensus seu contractus matrimonialis exprimitur, esse formam sacramenti, vel, post *S. Bonaventuram*[2], sacramentum Matrimonii pro materiâ habere personas legitimas, et pro *formâ consensum.*

b) Id etiam infertur : 1) *ex Decreto ad Armenos*[3]; 2) ex *Trident.* quod docet[4] matrimonia clandestina *rata* et *vera* fuisse matrimonia, quamdiu Ecclesia eadem irrita non fecerit; atqui in matrimoniis clandestinis nihil invenitur nisi contractus matrimonialis; ergo contractus ipse constituit sacramentum.

1264. c) Tandem res extra omne dubium posita est ex disertis declarationibus *Pii IX* et *Leonis XIII.* Prior, in Allocutione ad Cardinales habitâ (27 sept. 1852)[5], declaravit "matrimonium *inter fideles dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum;* ...ac proinde *a conjugali fœdere sacramentum separari nunquam posse*". Posterior autem in Encycl. *Arcanum* (10 Febr. 1880)[6], asserit "in matrimonio christiano *contractum a sacramento non esse dissociabilem;* atque ideo *non posse contractum verum* et *legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum*... omne inter Christianos justum conjugium *in se* et *per se* esse sacramentum : *nihilque magis abhorrere a veritate*, quam esse sacramentum decus *quoddam adjunctum*, aut proprietatem *allapsam extrinsecus*, quæ *a contractu disjungi* ac disparari hominum arbitratu queat".

Hinc, etiamsi baptizati contrahentes omnino nescirent contractum matrimonialem esse sacramentum, conficiunt tamen sacramentum eo ipso quod intendunt matrimonium contrahere.

---

[1] *Suppl.*, q. 42, a. 1, ad 1. — [2] *In IV Sent.*, dist. 28, a. 1, q. 5.
[3] DENZ.-BANN., 702 (597). — [4] Sess. IV, de Reformat., c. 1.
[5] Allocutio *Acerbissimum vobiscum*, DENZ.-BANN., 1640 (1501).
[6] DENZ.-BANN., 1854.

II. *De ministro Matrimonii.*

1265. Thesis : *Ministri sacramenti Matrimonii sunt ipsi contrahentes, non autem Sacerdos nuptiis benedicens.* Certum est contra *Canum*[1], *Drouin*, *Tournely.*

A) *Ex antiquis ritualibus.* Ut recte animadvertit *Martene*[2], ita matrimonium olim celebrabatur : sponsi sistebantur sacerdoti ad portas ecclesiæ; deinde, datis sibi mutuo dextris, præstabant consensum, " in quo totam sacramenti matrimonii essentiam reponebant antiqui ". Jamvero si essentia sacramenti matrimonii in solo consensu conjugum consistit, ipsi contrahentes sibi administrant sacramentum.

B) *Auctoritate theologorum* Veteres Scholastici id aperte declarârunt; ita *S. Thomas* scribit[3] : " Consensus expressus per verba de præsenti, inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit...; alia autem omnia sunt de solemnitate sacramenti... Et ideo sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio, quasi de essentiâ sacramenti ". Idem docuerunt *S. Bonaventura*[4], aliique theologi usque ad sæc. XVI.

C) *Ecclesiæ praxi et declarationibus.* **a)** *Tridentinum* declaravit *rata et vera* fuisse matrimonia clandestina, i. e., absque præsentiâ sacerdotis contracta, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit[5]. Atqui ex usu loquendi ecclesiastico matrimonium *ratum* idem est ac *sacramentum* matrimonii[6]. **b)** Aliunde, proposito dubio utrum matrimonia tempore gallicæ perturbationis peracta, absque sacerdotis præsentiâ, revalidanda essent, Congregatio pro negotiis Ecclesiæ gallicanæ deputata, respondit (22 Apr. 1792) " hujusmodi *benedictionem ad validitatem minime pertinere* ".

D) *Rat. theol.* Ex dictis in præcedente thesi, contractus matrimonialis inseparabilis est, imo non realiter distinguitur ab ipso sacramento, proindeque illi vere conficiunt sacramentum qui contractum perficiunt.

---

[1] *De locis theolog.*, l. VIII, c. 5.
[2] *De Antiquis Eccl. Rit.*, p. II, c. 9, a. 1. — [3] *Suppl.*, q. 45, a. 5.
[4] *In IV Sent.*, dist. 28, q. 5. — [5] Sess. XXIV, de Ref. Matrim., c. 1.
[6] Ita declaravit INNOCENTIUS, *Decretal.*, l. IV, tit. 19, c. 7, DENZ.-BANN., 406 (351).

III. *De materiâ et formâ.*

1266. Materiam sacramenti Matrimonii sitam esse in ipso contractu omnes theologi tenent.

Nonnulli autem, cum *Melchiore Cano*, putârunt **formam** in benedictione sacerdotis reponendam esse : quæ quidem opinio ex jam dictis confutata manet. Est igitur *communis* et *certa* doctrina et materiam et formam in ipso matrimoniali contractu repositam esse. Hoc autem diverso modo explicatur.

A) Quidam, cum *Navarro*, dixerunt consensum internum esse materiam, formam autem consistere in signis externis quæ consensum exprimunt; quod admitti nequit, nam materia debet esse aliquo modo sensibilis, independenter a formâ.

B) Alii tenuerunt, cum *Vasquez*, corpora contrahentium seu dominium in ea esse materiam, formam autem verbis consensum significantibus constitui. Admittimus quidem dominium in corpora esse materiam *circa quam* versatur sacramentum, sed negamus illud esse materiam *ex quâ* constat sacramentum; nam tale dominium nullo modo gratiam significat, nec constituit ipsum matrimonialem contractum, in quo tamen consistit sacramentum.

1267. C) *Communis* igitur sententia et *tenenda* est materiam proprie dictam et vere sacramentalem esse consensum, quatenus reciprocam corporum *traditionem* exprimit, formam autem esse eumdem consensum, quatenus mutuam eorum *acceptationem* significat. **a**) Quod imprimis declaravit *Benedictus XIV*[1] : " Legitimus contractus materia insimul ac forma est sacramenti Matrimonii; mutua nempe ac legitima corporum traditio verbis ac nutibus interiorem assensum exprimentibus, materia, et mutua pariter ac legitima corporum acceptatio forma ". **b**) *Ratione* confirmatur : mutua enim traditio est quid *determinabile* tantum, cùm sit solum inchoatio contractûs; corporum autem acceptatio est quid *determinans*, cùm contractum compleat eumque efficacem reddat.

1268. Corollaria. A) Matrimonium est contractus sui generis, speciales characteres præ se ferens; siquidem est : **a**) *naturalis*, quatenus naturali hominum inclinatione fundatur, et ad bonum naturæ ordinatur, scilicet

[1] Decret. Ep. *ad Archiep. Goanum*, 19 mart. 1758.

humani generis propagationem et educationem; b) *sacer*, cùm a Deo fuerit institutus et significet unionem Christi cum Ecclesiâ; c) *sacramentalis*, cùm ad dignitatem sacramenti evectus fuerit; d) *ecclesiasticus*, quatenus ad bonum Ecclesiæ ordinatur, et multis legibus Ecclesiæ regitur; e) *civilis*, utpote tendens ad bonum reipublicæ, et in quibusdam accessoriis potestati civili obnoxius.

1269. B) Matrimonium inter *Infideles* non est sacramentum, cùm Baptismus sit janua omnium sacramentorum, ita ut nullum a non baptizatis valide recipi valeat. Attamen eorum connubia valida sunt ut contractus naturalis. *Hæretici* autem, qui valide baptizati sunt, et legitime contrahunt, sacramentum Matrimonii valide accipiunt, etiamsi ignorent vel negent hujus sacramenti existentiam.

1270. **Hìc quæritur : a)** nùm matrimonium a non baptizatis contractum fiat sacramentum, si uterque conjux postea baptizatus fuerit. Quidam *negant*, inter quos *Vasquez*, *Salmanticenses*, *Carrière*[1], etc., quia res semel donata non potest de novo valide donari, cùm non sit amplius sub potestate donatoris. Alii autem communius et probabilius *affirmant* cum *Sanchez*, *Bellarmino*, *Perrone* aliisque[2]; vel quia renovatur consensus, saltem implicite, in ordine ad firmiorem indissolubilitatem; vel potiùs quia sola ratio cur contractus non fuerit simul sacramentum, est quia contrahentibus christianus character deerat; statim igitur ac Baptismi characterem recipiunt, obex removetur, ac contractus fit sacramentum, quin renovetur ullo modo consensus.

b) Nùm matrimonium validum *fidelis cum infideli* sit sacramentum. Multi *negant*, ut *Sanchez*, *Billuart*, *Theologi Wirceburg.*[3], quia sicut ad contractum requiruntur essentialiter duo habiles ad contrahendum, ita ad sacramentum quod cum contractu identificatur, requiruntur duo habiles ad consensum sacramentalem præstandum. Alii autem, et quidem probabiliter, *affirmant* matrimonium hujusmodi esse sacramentum in parte fideli; ita *Salmanticenses*, *Tournely*, *Perrone*[4] etc. Etenim, quamvis res a Dei voluntate pen-

[1] SALMANTIC., c. 3, n. 82; COLLET, c. II, n. 278; CARRIÈRE, n. 150.
[2] SANCHEZ, l. II, disp. IX, n. 5; WIRCEBURGENSES, n. 285; BENEDICTUS XIV, *de Synodo diœces.*, l. VIII, c. 13, n. 8; DE AUGUSTINIS, a. 5.
[3] SANCHEZ, l. II, disp. VIII, n. 2; BILLUART, d. I, a. 5, pet. 7; WIRCEBURG, n. 288.
[4] SALMANTIC., cap. III, n. 82; TOURNELY, q. II, a. 2, ed. Veneta, 1739, p. 45.

deat, *ex se* tamen nil prohibet quin unum idemque sacramentum sit validum in uno qui nullo impedimento laborat, invalidum autem in altero qui sacramenti est incapax. Cùm enim matrimonium ut sacramentum possit esse *fructuosum* pro uno tantum conjugum recte disposito, ita potest esse *validum* pro uno tantum capaci; eo magis quòd fuisset durissimum christianis mulieribus quæ prioribus sæculis ethnicos in matrimonium ducere debebant, privari gratiâ sacramentali ipsis tam necessariâ.

IV. *De effectibus sacramenti.*

1271. Cùm Matrimonium sit unum ex sacramentis N. Legis, gratiam habitualem producit *ex opere operato*, ut definitum est a *Trident.*[1] : " Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum... *neque gratiam conferre*, A. S. "

Gratia autem, quam confert, non est prima, sed *secunda*, cùm, teste *Tridentino*[2], institutum fuerit non ad peccata remittenda, sed ad sanctificandos conjuges. Præterea gratia huic sacramento propria consistit in jure ad accipiendas, tempore opportuno, gratias actuales christianis conjugibus ad sua officia rite adimplenda necessarias, scilicet 1° ad christianam prolis procreationem et educationem; 2° ad mutuum amorem et vitæ consortium; 3° ad concupiscentiam coercendam.

1° *Ad christianam prolis procreationem et educationem.* Confertur siquidem gratia : **a)** ad quærendum in matrimonio prolis bonum potiùs quam voluptatem, juxta exemplum pii Tobiæ qui dicebat : " Et nunc, Domine, tu scis quia non luxuriæ causâ accipio sororem meam conjugem, sed solâ posteritatis dilectione, in quâ benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum[3] "; **b)** ad filios sancte educandos; nam, ut ait *Leo XIII* (*Encycl. Arcanum*) : " In liberis tuendis atque ad virtutem potissimum informandis omnes parentum curas cogitationesque evigilare necesse est : *Patres, educate illos in disciplinâ et correptione Domini*[4] ".

[1] Sess. XXIV, c. 1, DENZ.-BANN., 971 (847).
[2] *Ibid.*, DENZ.-BANN., 969 (846).
[3] *Tob.*, VIII, 9. — [4] *Ephes.*, VI, 4.

2° *Ad castum amorem fovendum;* siquidem sacramentalis gratia potenter efficit ut vir uxorem suam diligat sicut Christus Ecclesiam, et uxor viro subdita sit sicut Ecclesia Christo, amboque alacrius mutuas infirmitates perferant et sibi mutuo condonent.

3° *Ad concupiscentiam moderandam;* gratiâ enim sacramenti adjuti, christiani conjuges libidinis impetus cohibere valent, et caste juribus suis utuntur : sicut enim " Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro eâ ut illam sanctificaret[1] ", ita vir christianus casto amore uxorem prosequitur, et uxor virum, ita ut ex illâ mutuâ dilectione sanctiores evadant.

Attamen ut Matrimonii sacramentum præfatos operetur effectus, recipi debet cum rectâ intentione et statu gratiæ. Pastores igitur tum privatim tum publice adolescentes hortentur ut non sine sufficientibus dispositionibus accedant ad sacramentum.

V. *De potestate leges ferendi circa matrimonium.*

1272. Errores. Post *Novatores*, *M. A. de Dominis*, *Launoy*, *Regalistæ* non pauci, *Synodus Pistoriensis* (1786) contenderunt potestatem leges ferendi circa christianum matrimonium, præsertim dirimentia impedimenta statuendi, pertinere ad solos principes sæculares, non vero ad Ecclesiam, nisi forte ex principum indulgentiâ. Præterea catholici auctores non pauci, præsertim in Galliâ, putârunt potestatem impedimenta dirimentia statuendi non soli Ecclesiæ, sed etiam principibus competere, quia matrimonium est contractus tum civilis tum ecclesiasticus. Contra quos statuuntur duæ theses sequentes :

1273. Thesis I^a^ : *Ecclesia potestatem habet statuendi jure proprio impedimenta matrimonium fidelium dirimentia, et judicandi causas matrimoniales quæ matrimonii vinculum respiciunt.*

De fide est ex *Trident.*[2] ; " Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errâsse, A. S. Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, A. S. "

---

[1] *Ephes.*, V, 25-26.
[2] Sess. XXIV, c. 4, 12, DENZ.-BANN., 974 (850), 982 (858).

Jamvero hujusmodi canones dogmatici sunt, quidquid in contrarium pauci dixerunt; hìc enim agitur de re non disciplinari, sed ad fidem spectante, scilicet de ipsâ potestate Ecclesiæ et de ejus infallibilitate in exercitio hujus juris. Præterea hanc potestatem Ecclesiæ inesse *jure proprio*, non autem ex concessione Principum, colligitur ex damnatione propositionis *Synodi Pistoriensis*, in quâ oppositus error propugnabatur : talis enim propositio ut *Tridentino contraria* et ex *hæreticali principio* profecta, reprobata fuit[1].

Prob. A) *Praxi Ecclesiæ.* Jam a sæc. IV, Ecclesia jure suo statuit impedimenta dirimentia, et, datâ occasione, de causis matrimonialibus quoad ipsum vinculum judicavit : a) antiquissima est et propria Ecclesiæ lex, vi cujus matrimonia virginum quæ solemniter suam virginitatem Deo voverant, non solum illicita sed etiam invalida habita sunt[2]; b) item Concil. *Neocæsariense*[3] (314) statuit, quin hanc dispositionem a lege civili mutuaretur : " Femina, si duobus fratribus nupserit, extrudatur usque ad mortem. Sed in morte, propter humanitatem, si dixerit quod, ubi convaluerit, *solvet matrimonium*, habebit pænitentiam "; quibus verbis supponitur matrimonium de quo agitur tanquam nullum habitum fuisse; c) Synodus *Matisconensis* (585) declaravit irrita esse matrimonia a viduis clericorum contracta : quod in nullâ lege civili reperitur; d) tandem " nemo ignorat quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultûs, consanguinitatis, criminis, publicæ honestatis in conciliis Illiberitano, Arelatensi, Chalcedonensi, Milevitano II aliisque, fuerint ab Ecclesiæ præsulibus constituta, quæ a decretis jure imperatorio sancitis longe sæpe distarent. Quin tantum abfuit, ut viri principes sibi adsciscerent in matrimonia christiana potestatem, ut potius eam, quanta est, penes Ecclesiam esse agnoscerent et declararent[4] ".

B) *Rat. Theol.* Matrimonium inter Christianos celebratum est sacramentum; atqui sacramentum est quid omnino sacrum, quod civilis auctoritatis potestatem transcendit, solique Ecclesiæ potestati subjacet : " Igitur cùm matrimonium sit suâ vi, suâ naturâ, suâ sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum

[1] DENZ.-BANN., 1559-1560 (1422-1423).
[2] S. GELASIUS PAPA, *Ep. ad Episcop. Lucaniæ*, c. 20.
[3] Can. 2, ap. HEFELE-LECLERCQ, t. I, p. 328.
[4] LEO XIII, Encycl. *Arcanum*. — Si vero agitur de matrimoniis *infidelium* communiter traditur principes sæculares potestatem retinere statuendi impedimenta quæ juri naturali ac divino adversa non sint, ut constat e pluribus *S. Officii* et *Cong. de Prop. Fide* decisionibus.

imperio, sed divinâ auctoritate Ecclesiæ, quæ rerum sacrarum sola habet magisterium [1]. "

Notandum. Christus, matrimonialem contractum ad dignitatem sacramenti evehendo, non ita determinavit conditiones ad ejus validitatem necessarias, ut nullus maneat locus ampliori determinationi per leges ecclesiasticas. Ecclesia igitur has conditiones determinare potest, ad promovendum christianæ reipublicæ bonum, neque in hoc substantiam sacramenti mutat, sed id solum facit ut contractus religiosus, qui alias fuisset legitimus, non sit amplius validus, nec proinde materia sufficiens sacramenti Matrimonii.

1274. **Thesis II**[a] : *Potestas civilis non potest leges statuere matrimonii fidelium vinculum respicientes, — sed tantum circa effectus temporales et separabiles contractûs.* Certum est.

Ad quod intelligendum, notare juvat effectus matrimonii temporales duplicis esse generis, alios ab ipso contractu inseparabiles, v. g., mutua jura et officia conjugum quoad torum et habitationem, prolis legitimitatem; alios autem ab ipsâ substantiâ contractûs separabiles, v. g., dotem, donationes propter nuptias, hæreditariam successionem, etc.

A) *Prius* probatur : a) *Ecclesiæ praxi :* Ecclesia enim nunquam hanc potestatem in principibus agnovit, sed nullam vim habere censuit leges civiles circa fidelium matrimonii fidelium vinculum.

Ita *Gregorius M.* conjugia consobrinorum a principibus permissa reprobavit; *Benedictus XIV*[2], loquendo de lege, quâ Theodosius prohibuerat matrimonia Judæorum cum Christianis, ait : " Hæc lex, utpote a laico principe condita, nullam habere vim in matrimoniis debet "; item *Urbanus VIII* ac *Pius VII*[3] declarârunt legem civilem, irritantem matrimonia sine consensu parentum inita, in foro conscientiæ vim non habere.

b) *Auctoritate RR. Pontificum*, imprimis *Pii VI*[4] declarantis ad *solam Ecclesiam*, cui tota de sacramentis est cura concreditâ, jus omne ac potestatem pertinere suam adsignandi formam huic contractui ad sublimiorem sacramenti dignita-

[1] Leo XIII, Encycl. *Arcanum.*
[2] Litt. 9 febr. 1749 *ad Card. Eboracensem.*
[3] Litt. 27 jun. 1805 *ad Napoleonem.*
[4] Brev. *ad Episc. Motulensem,* 16 Sept. 1788.

tem evecto, ac proinde de matrimoniorum validitate aut invaliditate sententiam ferendi.

c) *Rat. theol.* Matrimonium enim fidelium non est contractus mere civilis aut naturalis, sed unum ex septem sacramentis; atqui sola Ecclesia, vi potestatis ipsi divinitus concreditæ, *de sacramentis leges ferre* valet.

Ad uniformitatem servandam, imo et ad libertatem conscientiæ salvandam, sufficit ut Status *conditiones et effectus civiles*, ex contractu matrimoniali orientes, determinet, nec requiritur ut ipsum matrimoniale vinculum attingat.

1275. B) *Posterius* declaratur et probatur, videlicet potestas civilis potest leges statuere circa *effectus temporales ac separabiles matrimonii*, v. g., dotes, hereditates ac generatim possessiones bonorum temporalium quæ e maritali contractu sequuntur.

Ratio est quia ex unâ parte hæc non afficiunt substantiam contractûs, sed sunt ipsi accessoria, et ex alterâ ea omnia quæ enumeravimus ad bonum societatis possunt conferre.

1276. *Disputatur* inter theologos nùm Status denegare possit filiis genitis ex matrimoniis in se validis, sed a lege civili non agnitis, civilem legitimitatem et jus successionis in paternam hereditatem intestatam. Ratio dubitandi est quia, juxta quosdam, hæc duo jura sunt partim a naturâ, partim a jure civili. Communius asseritur Statum id valere non posse, præsertim quoad legitimitatem quæ ex ipsâ validitate matrimonii defluit. Omnes aliunde agnoscunt denegationem horum jurium insipientem et crudelem esse, cùm sint alia media magis efficacia ad ea conjugia impedienda, nec expediat punire in filiis delicta parentum[1].

[1] Cf. DE ANGELIS, op. cit., p. 43 sq.; PALMIERI, th. 31.

TRACTATUS XI.

DE DEO REMUNERATORE.

"*Credo... carnis resurrectionem, vitam æternam*".

Vita gratiæ, quam Deus per sacramenta in animas nostras diffundit, suam consummationem invenit in *gloriâ* seu vitâ æternâ quam Deus, justus remunerator, justis largitur secundum ipsorum opera : igitur tractatum de *Sacramentis* logico ordine sequitur *Tractatus de Deo Remuneratore* [1].

1277. *Divisio.* Post *prolegomena* de *morte* et *judicio particulari*, dicemus de *cujusque individui* sorte, nempe : 1° de *cælo* seu de *finis ultimi adeptione;* 2° de *inferno* seu de *finis ultimi amissione;* 3° de *purgatorio* seu de *dilatione ultimi finis*. Deinde per modum *coronidis*, agemus de *consummatione universali*, nempe de *resurrectione corporum* et de *judicio universali*.

Prolegomena.

Vitæ æternæ janua est *mors* quam sequitur *judicium particulare.*

1° De morte.

1278. A) Mortis notio. Mors corporalis consistit in separatione animæ a corpore [2]. In præsenti statu mors est pœna peccati (n. 667) : homo enim *inexterminabilis* creatus fuerat [3], sed "per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et *per peccatum mors* [4]".

---

[1] Hic tractatus vocatur etiam *Tr. de Novissimis*, vel *Eschatologia* (ἔσχατα, novissima); novissima enim hominis dicuntur ea quæ, secundum œconomiam divinæ providentiæ, ex hâc vitâ migrantibus obtingunt, scilicet *mors*, *judicium*, *cælum* vel *infernus*.

[2] Aliquando alia mors in Scripturâ commemoratur, nempe *mors animæ*, quæ in privatione gratiæ sanctificantis sita est, et *mors secunda* vocatur, si quis in hoc statu e vitâ exeat (*Apoc.*, XX, 6, 14); tunc enim vita gratiæ in perpetuum amissa fuit.

[3] *Sap.*, II, 23. — [4] *Rom.*, V, 12.

1279. **B) Mortis universalitas.** Mortem esse *omnibus hominibus communem* tum Scriptura tum experientia testantur : "Statutum est hominibus semel mori..." "Sicut in Adam *omnes* moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur [1] ".

Christus ipse, licet a peccato immunis, libere mori voluit, ut pro peccatis nostris satisfaceret, et corporaliter moriendo similitudini peccati, daret nobis exemplum moriendi spiritualiter peccato, tandem ut a mortuis resurgendo nobis spem resurgendi daret [2].

1280. **Dubitatur : a)** num *Henoch* et *Elias sint morituri;* Patres et Theologi, innixi obscuro textu Apocalypsis [3], satis communiter tradunt eos in fine mundi esse occidendos; **b)** num *sint morituri qui tempore secundi adventûs Domini invenientur viventes* [4]; res incerta manet, imo aliqui putant longe probabilius esse hos homines non esse morituros [5], quamvis contrarium Scholastici communius docuerint.

1281. **C) Tempus mortis** omnino *incertum est*, " ut, dum illam prævidere non possumus, ait *S. Gregorius* [6], ad illam sine intermissione præparemur "; sic homines a peccandi libidine et impœnitentiâ refrænantur : " Vigilate, quia nescitis diem, neque horam [7] ".

2° De judicio particulari.

1282. **A) Existentia :** *Anima statim post mortem a Deo judicatur, et ejus sors æterna immutabiliter determinatur.*

a) Certum est, quatenus logice infertur ex definitionibus *Benedicti XII* et *Florentini* in quibus explicite declaratur animas plene a peccatis suis purgatas mox (id est, statim, vel sine morâ) cælum ingredi et visione intuitivâ gaudere, eas vero quæ in statu peccati mortalis decedunt, mox in infernum descendere pœnis infernalibus cruciandas [8]; quod sane fieri nequit sine prævio judicio.

---

[1] *Hebr.*, IX, 27; *I Cor.*, XV, 22.
[2] S. Th., 3 p., q. 50, a. 1. — [3] *Apoc.*, XI, 37.
[4] Quæstio ponitur occasione textûs S. Pauli, *I Thessal.*, IV, 16.
[5] Cfr. Cornely, *Comment. in I Cor.*, p. 509; Prat, *La Théol. de St Paul*, t. I, p. 109-112.
[6] *Homil. XIII* in Evang., n. 6, *P. L.*, LXXVI, 1126.
[7] *Matt.*, XXV, 13; cf. *Luc.*, XII, 40.
[8] Denz.-Bann., 531 (457), 693 (588).

b) *Ex Scripturâ* idem deducitur : 1) ex parabolâ divitis epulonis, ubi asseritur Lazarum statim post mortem in sinum Abrahæ portari ut consoletur, divitem vero in infernum sepeliri flammis cruciandum, et inter utrumque esse chaos magnum quod neuter pertransire potest[1] : quod quidem supponit aliquod fuisse judicium post mortem, et quidem irreformabile; 2) ex doctrinâ *S. Pauli* dicentis nos peregrinari a Domino quamdiu sumus in corpore, sed corpore exutos posse cum Domino esse, et se mortem optare ut sit cum Domino et coronam justitiæ accipiat[2] : ex quo pariter infertur post mortem esse judicium retributioni prævium : " Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem judicium[3] ".

1283. c) In *Traditione* duo stadia distinguuntur : 1) tribus prioribus sæculis, hæc doctrina *implicite* traditur asserendo justos, præsertim martyres, vitam beatam statim ingredi, malos autem cruciari, et ita jam discrimen inter utrosque factum esse : quod docuerunt etiam ii qui putabant visionem beatificam post resurrectionem dilatam fore[4]; 2) a quarto sæculo, explicite declaratur judicium aliquod mortem cujusque sequi, in quo profertur sententia quæ postea omnibus manifestabitur : " Quod enim in die judicii futurum est omnibus, hoc in singulis die mortis impletur ", ait *S. Hieronymus*[5]; ita etiam *SS. Joannes Chrysost.*[6], *Augustinus*[7], *Gregorius M.*[8] — Addunt etiam Patres cum morte et judicio incipere æternam retributionem beatitudinis vel pœnæ : ita, inter alios, *S. Hilarius*[9].

d) *Ratione* suadetur. Decet hominem non solum judicari judicio universali quatenus est pars totius generis humani, sed etiam judicio particulari quatenus est singularis quædam persona[10].

---

[1] *Luc.*, XVI, 19-31.
[2] *II Cor.*, V, 1-10; *Philipp.*, I, 23; *II Tim.*, IV, 6-8.
[3] *Hebr.*, IX, 27. Aliqui tamen commentatores ex versu sequenti inferunt hic potius agi de judicio universali.
[4] Testimonia refert JOURNEL, 132, 259, 351-352.
[5] *In Joel*, II, 1, *P. L.*, XXV, 965.
[6] *In ep. I ad Corinth.*, XLII, 3, *P. G.*, LXI, 348; JOURNEL, 1200.
[7] *De animâ et ejus origine*, *P. L.*, XLIV, 498.
[8] *Moralia*, l. IV, c. 36, n. 70, JOURNEL, 2308.
[9] *Tract. super Psalmos*, II, 49, JOURNEL, 886-887.
[10] S. THOMAS, *Suppl.*, q. 88, a. 1, ad 1.

1284. **B) Natura hujus judicii.** In omni judicio tria distinguere licet : causæ *discussionem*, sententiæ *prolationem*, ejusdem *executionem*. Jamvero in judicio particulari loco discussionis proprie dictæ erit interna illuminatio, quâ anima clare percipiet sibi retribui secundum sua merita et demerita [1]. Sententia autem ipso mortis instanti profertur a Deo, juxta communem sententiam, non autem a Christo homine, licet qui judicatur verisimiliter intelligat se hujus auctoritate judicari. Lata sententia mox exsecutioni mandatur, et anima cælum, infernum vel purgatorium ingreditur.

1285. **C) Corollarium.** *Rejiciendus est* error quorumdam *Protestantium liberalium* qui contendunt infidelibus et peccatoribus *in alterâ vitâ dari opportunitatem sese ad Deum convertendi* [2]. Id enim adversatur Scripturæ et Traditioni docentibus eos qui decedunt in peccato mortali descendere in infernum et justos in cælum ascendere, et pœnas reproborum non minus esse æternas quam præmia justorum, ut constat ex testimoniis allatis, et fusius probabitur ubi de cælo et inferno.

ART. I. DE CÆLO.

Cælum est *status* et *locus* supremæ beatitudinis, in quo Angeli et homines Dei supernaturali possessione fruuntur. Dicitur non solum status, sed etiam *locus*, quia, quidquid dixerunt aliqui auctores, specialis est locus ubi sacra humanitas Christi, B. Virgo, Angeli et Sancti simul commorabuntur, quamvis ubi et qualis sit hic locus ignotum maneat.

Duo declarabimus : 1° *existentiam* cælestis beatitudinis; 2° ejus *naturam*.

§ I. De existentiâ cæli.

1286. **Thesis** : *Justi quibus post mortem nihil luendum superest, statim Deum intuitive vident eumque diligunt amore beatifico, non omnes tamen æquali gradu.*

---

[1] Commemoratur in Liturgiâ *liber scriptus* in quo totum continetur; quo libro intelligi debet lux divina, "quâ fiet ut cuique opera sua vel bona, vel mala cuncta in memoriam revocentur". (S. AUGUSTINUS, *de Civit. Dei*, l. XX, c. 14).

[2] Ita, inter alios, W. FARRAR, *Eternal hope*. — A quo errore non satis recedunt pauci theologi catholici, ut *Hirscher* et *Schell*, de quibus vide PESCH, n. 586.

De fide est ex definitione *Benedicti XII* (1336) contra eos qui putaverunt visionem intuitivam differri usque ad diem judicii universalis[1] : " Definimus... quod... animæ sanctorum omnium... in quibus nihil purgabile fuit quando decesserunt... etiam ante resumptionem suorum corporum et judicium generale... vident divinam essentiam visione intuitivâ et etiam faciali, nullâ mediante creaturâ in ratione objecti visi se habente, ... quodque sic videntes eâdem divinâ essentiâ perfruuntur, necnon quod ex tali visione et fruitione eorum animæ... sunt vere beatæ et habent vitam et requiem æternam[2] ". Idem brevius definivit *Florentinum*[3], addens gradum beatitudinis et pœnarum inæqualem esse pro meritorum et peccatorum diversitate.

1287. Probatur. 1° *Script.* **A)** In *Vet. Testamento*, revelatio circa bonorum et malorum sortem fuit progressiva : **a)** *Ante Prophetas*, nonnisi obscura de alterâ vitâ traduntur : asseritur quidem spiritus hominum descendere in locum, qui dicitur *Scheol*, ubi jam amplius mereri non possunt, sed quid ibi agant non clare constat. Attamen e familiari modo agendi Domini cum patriarchis et justis, ex eo quod vocatur Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob, ex amplitudine bonorum quæ justis promittuntur (etiamsi sæpius agatur de bonis temporalibus), jam inferri potest Deum in alterâ vitâ amicos suos beatificare[4]. Quod etiam innuitur his verbis de Henoch prolatis : " Ambulavitque cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus[5] ". **b)** *A tempore Prophetarum*, lucidius apparet discrimen esse inter bonos et malos; justis promittuntur non tantum bona temporalia, sed etiam *spiritualia*, quibus *post mortem* fruentur, præsertim amicalis commoratio cum Deo, vel apud Deum, et quædam visio faciei

---

[1] Inter quos erant quidam Patres millenarismo faventes, v. g., *S. Justinus*, *S. Irenæus*, *Tertullianus*, et postea *Joannes XXII*, qui, ut *privatus Doctor*, eamdem opinionem tunc nondum condemnatam propugnaverat; hic autem in *Bullis canonizationis* visionem beatificam Sanctis canonizatis attribuebat. Cfr. LE BACHELET, *Benoit XII*, in *Dict. de Théol.* (*Mangenot*), II, 658-669.

[2] DENZ.-BANN., 530 (456). — [3] Ibid., 693 (588).

[4] *Gen.*, XVII, 8; XXV, 8, 17; XXVI, 24; XXXV, 29; XLVII, 9; XLIX, 18, 29-33; *Num.*, XX, 24; XXVII, 13; *Deut.*, XXXII, 50.

[5] *Gen.*, V, 24.

Domini et gloriæ divinæ, quâ veluti satiabuntur[1]; quod lucidius apparet in *Psalmis* et *libris Sapientialibus.*

B) In *Novo Test.*, variis modis explicite et sæpe describitur beatitudo justorum quæ consistit in visione et amore Dei :

a) Apud *Synopticos*[2], annuntiatur regnum Dei non solum visibile sed internum, regnum cælorum quod justi possidebunt, a Deo benedicti, in quo mundi corde Deum videbunt, erunt similes Angelis qui vident faciem Patris, fulgebunt sicut sol, — et quidem statim post mortem, et unusquisque secundum opera sua.

b) Juxta *S. Paulum*, qui moriuntur in Christo, cum eo vivunt, vitam æternam habent[3], et Deum vident facie ad faciem : " Videmus nunc per *speculum* (i. e. modo abstractivo et mediantibus creaturis), in *ænigmate* (i. e. non clare, non distincte), tunc autem *facie ad faciem.* Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum[4] ", i. e. sicut Deus meipsum cognoscit : jamvero Deus nos videt directe, immediate; ergo et nos eum directe seu intuitive videbimus. Asserit pariter beatitudinem nostram consistere in amore Dei : caritas enim nunquam excidit, sed in cælo manet[5]. — Inæqualis tamen erit gloria sanctorum, sicut alia claritas solis et alia claritas stellarum : unusquisque enim secundum suum laborem accipiet[6].

c) *S. Joannes :* 1) in *Apocalypsi* describit novam Jerusalem, sanctam civitatem, in quâ Deus cum hominibus habitabit, eos illuminans, ita ut hi faciem Dei videant[7]; 2) in *Epistolâ Iâ* declarat nos Deum visuros sicuti est : " Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est[8] "; 3) in *Evangelio* vitam æternam ita definit : " Hæc est

---

[1] *Ps.* XI, 7; XV, 10-12; XVI, 15-16; XLVIII, 15 sq.; LXXII, 24; *Job.*, XIV, 13-25; XIX, 25-27; *Prov.*, X, 30; XI, 7; *Eccli.*, I, 13; XI, 28; XVIII, 24, etc. — Cfr. ALTZBERGER, *Die Christliche Eschatologie in den Stadien ihrer Offenbarung im Alten und Neuen Testamente*, 1890, p. 30 sq.; P. BERNARD, *Ciel*, in *Dict. de Théol.* (*Mangenot*), II, 2475

[2] *Matth.*, V, 3, 8, 12; XVI, 27; XVIII, 10, 43; XXV, 24; *Marc.*, XII, 25; *Luc.*, XVI, 22-25; XIX, 12-27; XXIII, 43.

[3] *Rom.*, II, 7; *Galat.*, VI, 8; *II Cor.*, V, 1-8; *Phil.*, I, 21-23.

[4] *I Cor.*, XIII, 12. — [5] *I Cor.*, XIII, 8-13. — [6] *I Cor.*, III, 8; XV, 41.

[7] *Apoc.*, XXI-XXII, 1-4. — [8] *Joan.*, III, 2.

vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum[1] ".

1288. 2° *Tradit.* Duo distinguenda sunt : A) Si agitur de *existentiâ visionis beatificæ*, Patres, jam a sæculo secundo, *fere*[2] unanimiter thesim nostram docent; ita, inter alios, *S. Irenæus*[3] : " Hoc concedit (Deus) iis qui se diligunt, id est, *videre Deum*, quod et prophetabant prophetæ... Homo etenim a se non videt Deum. Ille autem volens videtur hominibus, quibus vult, et quando vult, et quemadmodum vult ". Pulchre etiam *S. Cyprianus*[4] : " Quæ erit gloria et quanta lætitia, admitti ut *Deum videas*, honorari ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis æternæ gaudium capias,... patriarchas omnes et apostolos et prophetas et martyres salutare, cum justis et Dei amicis in regno cælorum datæ immortalitatis voluptate gaudere, sumere illic quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit ".

B) Si agitur vero de *tempore quo incipit visio beatifica*, fatemur quosdam Patres, v. g., *S. Justinum*, *S. Irenæum*, *Tertullianum*, putâsse eam usque post resurrectionem differri, quod præsertim tribuendum est falsis theoriis millenariorum. Sed : a) jam prioribus sæculis, multi Patres visionem beatificam assignabant sanctis, præcipue martyribus; b) a sæc. IV°, communis evasit doctrina nostra; c) quando, sæc. XIV°, Minoritæ et Joannes XXII dilationem visionis beatificæ denuo propugnârunt, contra istam opinionem plerique conclamârunt, et paulo post res a Bendicto XII definita est, supra, n. 1286.

1289. 3° *Ratio* non potest quidem existentiam visionis beatificæ demonstrare, sed ejus *convenientiam* ostendere, positâ elevatione ad statum supernaturalem. Per gratiam enim jam efficimur filii Dei adoptivi, ejus naturæ consortes, eique intimâ et familiari amicitiâ conjuncti. Atqui hæc omnia postulant ut in termino manifestetur nobis id quod jam ex fide credimus nos esse; quod fieri nequit sine visione directâ et beatâ Dei intime uniti.

---

[1] *I Joan.*, XIV, 2.

[2] Dico *fere* unanimiter, quia pauca objiciuntur verba obscura quorumdam Patrum.

[3] *Adv. hæres.*, IV, 20, 5, *P. G.*, VIII, 1035; JOURNEL, 236.

[4] *Epist.* LVI, ad Thibarit., 10, *P. L.*, IV, 357; JOURNEL, 579.

— Reverâ, ut ait *S. Thomas*[1], homini inest desiderium cognoscendi causam, cùm intuetur effectum; quando igitur consideramus mirabiles effectus quos Deus producit non solum in ordine naturali, sed etiam in animabus justis, quibus tam intime se tradit, nobis desiderium inest Ipsum directe videndi; atqui omnino decet hoc desiderium impleri ab Eo qui dixit : Petite et accipietis, quærite et invenietis. — Quod sane confirmatur ex aspirationibus animæ humanæ ad intimam cum Deo unionem, quæ in historiâ religionum universim manifestantur.

1290. Corollarium. *Rejiciendus est millenarismus sive antiquus sive novus.* **A**) Millenarii antiqui inter quos numerantur quidam Patres, a primo ad quartum sæculum[2], (rabbinicis quibusdam scriptis innixi in quibus messianicæ prophetiæ sensu nimis materiali intelligebantur, necnon verbis Apocalypsis de regno Christi per mille annos[3]), putabant Christum, ante vel post jùdicium universale, mille annis in terrâ feliciter regnaturum cum justis tunc viventibus et sanctis illo tempore resurrecturis[4]. — Quem errorem confutârunt, inter alios, *Origenes*, *S. Hieronymus*, *S. Augustinus* et *Scholastici* fere omnes. Reverâ, ex Scripturâ et Traditione, duplex tantum adventus Domini in mundum agnosci debet, prior in carne humilis, posterior gloriosus ad judicandum genus humanum dicitur nempe : " Filius enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui cum Angelis suis; et *tunc* reddet unicuique secundum opera ejus[5] "; et ex toto capite XXV *S. Matthæi* colligitur judicium universale immediate post secundum Christi adventum futurum esse, statimque post judicium Beatos cælum ingressuros : nullus igitur remanet locus pro millenio.

1291. B) *Novam* millenarismi formam pauci moderni excogitârunt, asserendo quosdam ex hominibus vivos servandos esse in generali mundanâ conflagratione, qui in aliquo paradiso terrestri feliciter vivent, genus humanum propagabunt et religiosam societatem formabunt cujus centrum erit

---

[1] *Sum. theol.*, I, q. 12, a. I.

[2] *Papias, S. Justinus, S. Irenæus, Methodius, Tertullianus, Lactantius, etc.*

[3] *Apoc.*, XX, 4 : " Et regnaverunt cum Christo mille annis ".

[4] Millenarii, qui etiam et *Chiliastæ* dicti sunt (a græcâ voce χίλια mille), duplicis fuerunt generis : alii, cum *Cerinthianis*, tenebant justos in hoc regno terrestri omnibus delectationibus etiam carnalibus fruituros esse; alii, cum *S. Irenæo*, docebant eos nonnisi puris deliciis gavisuros esse.

[5] *Matth.*, XVI, 27.

Jerusalem [1]. — Quæ hypothesis non solum gratuita est, sed etiam falsam prophetiarum interpretationem tradit, et Evangeliis contradicit quæ nullam aliam viam ad cælum consequendum prædicant nisi viam crucis, abnegationis et tribulationum multarum.

§ II. De naturâ cælestis beatitudinis.

1292. Beatitudo a *Boetio* [2] definita fuit : status omnium bonorum aggregatione perfectus; et a *S. Thomâ* [3] *:* bonum perfectum quod totaliter quietat appetitum. Hoc autem bonum perfectum objective est Deus ipse, quem merito sic alloquebatur *S. Augustinus* [4] *:* "Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te ". Duplex autem beatitudo distingui potest : *naturalis* appetitus homini naturaliter insitos perfecte explet, et essentialiter consistit in cognitione et amore Dei per vires naturæ; *supernaturalis*, de quâ hic agitur, naturæ vires et exigentias superat, et consistit in participatione beatitudinis Deo connaturalis, quâ nempe seipsum videt et amat.

Dicemus : 1° de beatitudine *essentiali;* 2° de beatitudine *accidentali;* 3° de *æternitate* beatitudinis.

I. *De beatitudine essentiali.*

1293. *Juxta omnes*, beatitudo essentialis justorum consistit in vitali cum Deo unione per facultates superiores intellectûs et voluntatis, nempe in *visione beatificâ* quâ intellectus immediate Deum videt, et *amore beatifico*, quo voluntas eum diligit. — *Controvertitur* autem utrum ejus essentia formaliter in *visione* an in *amore* sit reponenda.

1° De visione beatificâ.

1294. **A) Ejus notio.** Visio beatifica definitur : *clara et intuitiva, nec tamen comprehensiva, cognitio Dei prout in se est.* Dicitur : **a**) *clara*, ut sic distinguatur a cognitione Dei, per rationem, aut per fidem, quæ semper obscuritatem involvit. **b**) *Intuitiva*, seu immediata, eo

[1] Rougeyron, *Les derniers temps*, 1866; Moglia, *Essai sur le livre de Job et les prophéties relatives aux derniers temps*, 1865. Quos confutat Toulemont, *Etudes*, oct. 1868, p. 552 sq.

[2] *De Consol. philos.*, l. 3, prosa II.

[3] S. Thom., 1a 2æ, q. II, a. 8. — [4] *Confess.*, l. I, c. 1.

sensu quod Deus videtur in seipso et per seipsum, non per creaturas, et sic visio beatifica distinguitur a cognitione abstractivâ quæ Deum attingit per *effectus*. c) Nec tamen *comprehensiva*, quia Deus solus potest seipsum perfecte intelligere seu comprehendere. Ad visionem beatificam concurrunt tum *intellectus* tum lumen speciale quod dicitur *lumen gloriæ*.

1295. **B) De principio visionis beatificæ seu de lumine gloriæ.** a) *Lumen gloriæ est habitus supernaturalis, intellectum beati perficiens, eumque proxime habilem reddens ad Deum intuitive videndum.* Etenim, ut ratiocinatur *S. Thomas*[1], visio beatifica longe superat visionem naturalem intellectûs creati; ergo præexigit in tali intellectu non tantum virtutis naturalis augmentum, sed superadditionem novæ dispositionis quæ sit ejusdem ordinis ac visio beatifica. Hinc *C. Viennense*[2] tanquam hæreticam reprobavit propositionem Beguardorum " quod anima non indiget lumine gloriæ, ipsam elevante, ad Deum videndum et eo beate fruendum ".

1296. b) *De modo quo lumen gloriæ et intellectus concurrunt ad visionem beatificam. Lumen gloriæ* ad modum *potentiæ* operatur, seu non datur ad *faciliùs* agendum, sed ad agendum *simpliciter* effectum viribus naturalibus intellectûs creati improportionatum et superexcedentem. Unde intellectus *remote* influit in visionem beatificam, lumen gloriæ *proxime :* intellectus siquidem suam *vitalitatem* præbet, lumen gloriæ intellectum elevat eique vires præbet ut possit videre Deum, et ita est ratio quâ visio beatifica in *suâ specie* constituatur.

1297. c) Num divina essentia per aliquam *similitudinem* vel *speciem* videatur?

Duplex species intelligibilis distinguitur, *impressa* quæ est rei similitudo et determinat intellectum ad rem intelligendam; *expressa*, quæ est terminus intellectionis, seu similitudo rei intellectæ producta ab ipso intellectu, per quam sibi exprimit et dicit rem quam intelligit. Quibus positis, 1) communiter tenetur, cum S. Thomâ, visionem intuitivam Dei non fieri per *speciem impressam creatam*, quæ esset omnino impar ad repræsentandum Deum sicuti est, et consequenter non posset esse principium visionis quâ Deus ipse videtur. 2) Imo *Thomistæ* docent non dari in visione beatificâ *speciem*

[1] *C. Gent.*, l. III, c. 53. — [2] Denz.-Bann., 475 (403).

expressam creatam, ab ipsâ visione distinctam. Ad hoc enim datur species expressa ut in illâ intelligatur objectum quod non potest esse præsens intellectui in ratione cogniti; atqui divina essentia intellectui beato unitur, et quidem, propter suam actualitatem undequaque perfectam et cujuslibet potentialitatis expertem[1], in ratione cogniti.

1298. C) De objecto visionis beatificæ. Duplex est : *primarium* seu *essentiale*, quod est Deus ipse; *secundarium* seu *accidentale* quod sunt creaturæ quæ in Deo cognoscuntur.

a) *Beati clare et intuitive vident Deum, ejus scilicet essentiam, attributa et tres divinas personas.* De fide est ex *Florentino* supra citato (n. 1286). Christus enim vitam æternam sic definivit[2] : " Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum ". Et quidem Beati in patriâ vident quidquid crediderunt in viâ; atqui primarium objectum fidei nostræ in terrâ est Deus unus et trinus.

1299. b) *Beati vident, præter Deum, multa alia, ea præsertim quæ ad proprium statum spectant, præterita, præsentia et futura.* Ita communiter.

Ratio fundamentalis est quia beatitudo cælestis est status omnium bonorum aggregatione perfectus; atqui bonum nobis est et conveniens ut ea omnia cognoscamus quæ ad statum nostrum spectant[3].

Ut autem determinetur quid in particulari visuri simus, sciendum est unumquemque Beatum sub triplici respectu considerari posse : 1) *ut est elevatus ad ordinem gratiæ*, et ex hoc capite, cognoscet mysteria quæ credidit super terram et alios beatos, præsertim illos quos cognovit et supernaturali affectu amavit; 2) ut est *pars universi*, et ex hoc capite cognoscet omnia genera et species rerum, præcipuas universi partes, stellas, etc.; et ille qui supernaturaliter operam suam dederit studio alicujus scientiæ, objectum illius scientiæ probabilius melius cognoscet; 3) ut est *talis persona*, *publica* vel *privata*, et ex hoc capite videbit ea omnia quæ ad ejus pristinum statum pertinebant; sic S. Pontifex videbit specialiter ea omnia quæ ad Ecclesiæ gubernium spectant, paterfamilias ea quæ ejus familiam respiciunt,... etc. Pari ratione

[1] Cfr. S. Thom., I, q. 12; Billuart, *De Deo*, diss. IV, a. 7.
[2] *Joa.*, XVII, 3. — [3] Cfr. *Sum. th.*, 1a 2æ, q. 4, a. 8.

Beati suos parentes et amicos adhuc degentes in terris vident, et preces quæ ad ipsos diriguntur audiunt[1].

2° De amore beatifico.

1300. A) *Intuitivam visionem sequitur amor beatificus, quo Sancti plene et perfecte Deum diligunt :* " Caritas *nunquam excidit*, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur[2] ". — Reverâ voluntas nostra, cujus objectum est bonum, non potest non ferri amore et complacentiâ perfectâ in bonum supremum evidenter cognitum sicut est Deus visione beatificâ contemplatus.

B) *Beati in Deo et propter Deum diligent omnes concives* patriæ cælestis, et eo magis quo sunt Deo propinquiores, quia in cælo ordo dilectionis observabitur per comparationem ad Deum. Speciali tamen modo eos amabunt qui sibi quâdam legitimâ necessitudine in terrâ conjuncti fuerunt[3].

1301. Corollarium. *Beati percipiunt ineffabile gaudium* ex intuitivâ visione et amore Dei : " Intra in gaudium Domini tui[4]... Gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis[5] ". Quod Christus illustrat comparatione prandii : " Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo[6] ".

Gaudium enim est quietatio facultatum in possessione et amore boni amati. Atqui Beati vere possident et amant Deum, summum bonum et fontem omnium bonorum, et in hoc amore quiescunt[7].

Præterea in Deo invenient quidquid legitima cordis desideria satiare valet, et quidem absque sollicitudine et metu, nempe integerrimam virtutem absque certamine custoditam, summam altitudinem honoris, veram gloriam apud Deum et homines, omnium bonorum in ipso Deo sufficientiam, perfectissimam delectationem[8]. Gaudebimus non solum de bonis

---

[1] Hinc præclare *S. Cyprianus* ait : " Patriam nostram paradisum computamus, parentes Patriarchas habere jam cœpimus... magnus illic nos carorum numerus exspectat, parentum, fratrum... nos copiosa turba desiderat jam de suâ immortalitate secura, et adhuc de nostrâ sollicita " (*De mortalitate*, 25, *P. L.*, IV, 601.)

[2] *I Cor.*, XIII, 8. — [3] S. Thom., 2ª 2æ, q. 26, a. 13.

[4] *Matth.*, XXV, 21. — [5] *Joan.*, XVI, 22. — [6] *Luc.*, XXII, 29.

[7] S. Thom., 2ª 2æ, q. 28, a. 1.

[8] S. Thom., *Cont. Gentil.*, l. III, c. 63.

propriis, sed etiam de bonis et gloriâ Dei, necnon de bonis concivium[1].

3° CONTROVERSIA DE ESSENTIÂ FORMALIS BEATITUDINIS.

1302. Tres sunt præcipuæ sententiæ. **a**) *Scotistæ* contendunt *formalem* seu *proprie dictam* beatitudinem consistere in *amore beatifico*, quo Deus ut summum bonum propter se diligitur; nam per amorem, Deum, ut ultimum finem, assequimur multo perfectius quam per intellectum, cùm visio ipsa ad amorem ordinetur; **b**) *Thomistæ* ex adverso tenent beatitudinem essentialiter consistere in solâ *visione Dei*, quia beatitudo formalis est *prima* assecutio Summi Boni, quæ fit per actum intellectûs, et non voluntatis; amor quidem beatorum est *amor fruitionis*, sed hæc fruitio supponit objecti beatificantis præsentiam per intellectûs contemplationem[2]; **c**) *Suarez*, post *S. Bonaventuram*, contendit beatitudinem essentialiter consistere tum in visione tum in amore beatifico; etenim formalis beatitudo est ultima creaturæ rationalis perfectio; atqui ultima creaturæ rationalis perfectio essentialiter consistit in actu intellectûs et in actu voluntatis.

Solutio hujus quæstionis pendet ab opinione quæ habetur de relativâ præstantiâ facultatum intellectualium. Primatum defert *Scotus* voluntati, *S. Thomas* intellectui, *Suarez*, utrique ex æquo; ac exinde logice Scotus, S. Thomas et Suarez efformant suam opinionem de essentiâ seu elemento primario beatitudinis. Sententia autem S. Thomæ nobis præplacet, utpote conformior et rectæ philosophiæ[3] et Scripturæ[4].

II. *De beatitudine accidentali.*

1303. Deus, qui, præ magnitudine suæ bonitatis, dare solet " mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem[5] ", electis confert, præter essentialem beatitudinem, quædam gaudia de bono creato quæ *beatitudo accidentalis* vocantur.

---

[1] S. ANSELMUS, *Proslog.*, c. 25.
[2] Cf. S. TH., *Cont. Gent.*, l. III, c. 26.
[3] *Sum. th.*, 1ª p., q. 82, a. 3.
[4] *I Cor.*, XIII, 12; *Joan.*, XVIII, 3; *I Joan.*, III, 2.
[5] *Luc.*, VI, 38.

1° Beati accidentalem beatitudinem consequentur ex *corpore glorioso* quod in die resurrectionis habebunt : " Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget *in gloriâ.* Seminatur *in infirmitate*, surget *in virtute.* Seminatur corpus animale, surget corpus *spiritae*[1] ". Ex quibus verbis inferunt theologi corpora Beatorum quatuor præsertim dotibus gaudere, scilicet, *impassibilitate*, *subtilitate*, *agilitate et claritate.*

a) *Impassibilitas* quæ consistit non solum in *immunitate a morte*, sed etiam in *immunitate ab omni dolore*, orietur ex perfectâ subjectione corporis animæ rationali[2]. b) *Subtilitas* quâ Beatorum corpus *penetrare potest alia corpora*, absque sui vel aliorum læsione, fiet " ex dominio animæ glorificatæ, quæ est orma corporis, super ipsum, ratione cujus corpus gloriosum *spirituale* dicitur, quasi omnino spiritui subjectum[3] ".

c) *Agilitas* est facultas sese tranferendi de loco ad locum velociter, ad nutum animæ, aut etiam alia corpora cum summâ celeritate movendi[4].

d) *Claritas* in eo sita est quod justorum corpora fulgebunt eo colore qui ad pulchritudinem maxime confert. Quæ claritas causabitur ex redundantiâ gloriæ animæ in corpus[5].

Insuper *sensus nostri* purâ et ineffabili delectatione fruentur; visus scilicet delectabitur aspectu humanitatis Christi, B. Mariæ Virginis, et corporum Beatorum, necnon mundi visibilis pulchritudine; auditus suavissimis cantibus recreabitur, et ita de ceteris.

1304. 2° *Beati accidentalem beatitudinem habebunt ex amicorum societate.* Sæpe enim cælum describitur ut societas, domus Patris, civitas nova, regnum, ubi simul conversantur boni Angeli et sancti homines, qui, ut fratres et cohæredes ejusdem gloriæ, eumdem Patrem glorificant, et inter se fraterno caritatis vinculo colligantur. Atqui ex hoc intimo cum nobilissimis spiritibus commercio haud parum augetur, etsi accidentaliter, Beatorum felicitas : nil enim verâ amicitiâ jucundius.

1305. 3° *Quidam Beati speciali fruentur beatitudine accidentali quæ aureola dicitur.* Nomine *aureolæ* (aureæ coronæ) designatur *speciale præmium privilegiatæ victoriæ.*

---

[1] *I Cor.*, XV, 43-44. — [2] S. Th., *Suppl.*, q. 82, a. 1.
[3] S. Th., *Suppl.*, q. 83, a. 1.
[4] *I Cor.*, XV, 43; cf. S. Th., *ibid.*, q 84, a. 1.
[5] Cf. S. Th., *ibid.*, q. 85, a. 1.

Jamvero satis communiter assignatur specialis aureola : *virginibus*, quæ singularem victoriam de carne obtinuerunt; *doctoribus*, qui de ignorantiâ et infidelitate victoriam reportârunt doctrinam catholicam verbo aut scriptis prædicando; *martyribus*, qui de mundo et persecutoribus triumphârunt [1].

III. *De cælestis beatitudinis inamissibilitate.*

1306. A) *Gloria, quâ Beati fruuntur, est æterna et inamissibilis.* De fide est, ut constat ex variis Symbolis, in quibus dicitur : " Credo... vitam æternam ", et ex Conciliis, v. g., *Lateranensi IV* [2].

Probatur etiam *Script.* : " Ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in *vitam æternam* [3]"; insuper gloria vocatur : " immarcescibilis gloriæ corona [4] " ; " corona incorruptibilis [5] "; " æternum gloriæ pondus [6] ".

Et merito; " neque enim potest beatus non magnopere velle ut illis bonis quæ adeptus est, sibi perpetuo frui liceat. Quare nisi ea possessio stabilis et certa sit, maximo cruciatu timoris angatur necesse est [7] ".

1307. B) *Beati in cælo erunt impeccabiles*, et quidem impeccabilitate *ab intrinseco* oriente, nempe a *visione beatificâ.* Homo enim non potest non velle suam beatitudinem, ideoque bonum quod clare videt cum suâ beatitudine necessario connexum; ergo *a fortiori* Beati avelli nequeunt a contemplatione et amore Summi Boni quod clare intuentur.

Art. II. De inferno [8].

1308. Infernus (græce ᾅδης, hebraice *scheol*) *proprie* duo designat, scilicet : a) *statum* damnatorum seu eorum qui, in peccato mortali decedentes, in æternum puniuntur; b) *locum* in quo damnati detinentur [9].

---

[1] S. Thom., *Suppl.*, q. 96, a. 5-7. — [2] Denz.-Bann., 430 (357).
[3] *Matt.*, XXV, 46. — [4] *I Petr.*, V, 4. — [5] *I Cor.*, IX, 25.
[6] *II Cor.*, IV, 17. — [7] *Catech. Roman.*, P. I, c. 13, n. 3.
[8] M. Richard, *Enfer*, in *Dict. de Théol.* (*Mangenot*), V, 28-120; P. Bernard, *Enfer*, *Dict. Apol.* (*d'Alès*), I, 1477-1399.
[9] *Minus proprie infernus* apud auctores sacros et ecclesiasticos designat purgatorium, limbum infantium, limbum Patrum. Cf. S. Th., *In III Sent.*, dist. 22, q. 2, a. 1.

§ I. De existentiâ et æternitate pœnarum inferni.

1309. Errores. a) *Arnobius*, post Zoroastrum et Gnosticos, putavit reprobos annihilari; quem errorem diu sopitum renovârunt quidam Protestantes Liberales, v. g., Sociniani, *Rothe*, *Ed. White*. b) *Origenistæ* æternitatem pænarum inferni negârunt, eo quod, juxta eos, omnes angeli et homines tandem resipiscent. Quem errorem renovârunt *Universalistæ* XVIII° sæculo, *Unitarii*, *Congregationalistæ* multi, nonnulli *Anglicani*, et in genere Protestantes *liberales* dicti. c) *Rationalistæ* uno ore clamant æternitatem pænarum Dei sapientiæ, justitiæ et misericordiæ repugnare. d) Hodiernæ *Spiritæ* contendunt omnes animas, post varias expiationes, æternam beatitudinem assecuturas esse.

1310. **Thesis** : *Dæmones, et homines in statu peccati mortalis morientes, æternis suppliciis puniuntur. De fide est :* a) ex *Symbolo Athanasiano :* " Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam : qui vero mala, in ignem æternum "; b) ex *Concil. Lateran. IV :* " ... illi cum diabolo pænam perpetuam (recipiunt) [1] ".

Probatur. 1° *Script.* A) In *Vet. Test.* duo tempora distinguere licet :

a) *Usque ad prophetas*, nonnisi obscura inveniuntur de malorum sorte post mortem; attamen ex pœnis quas Deus eis infligebat super terram jam inferri poterat miserabiliorem fore eorum sortem in alterâ vitâ.

b) *A tempore Prophetarum*, clare asseritur existentia et æternitas pœnarum inferni pro reprobis. Celebre est *Isaiæ* vaticinium [2] · " Et egredientur, et videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me; vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur, et erunt usque ad satietatem omni carni " (*hebr.* erunt abominationi omni carni). Quod multi interpretes non solum catholici, sed etiam protestantes, de æternâ impiorum sorte in sensu directo et proprio intelligunt [3]. Confirmatur ex *Daniele :* " Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt,

[1] Denz.-Bann., 429 (356). — [2] *Isa.*, LXVI, 24.

[3] Certum est hunc textum sic intelligi debere saltem in sensu indirecto et spirituali, cùm Christus (*Marc.*, IX, 15) hoc usus sit ad damnatorum tormenta describenda.

alii in vitam æternam, et alii in opprobrium ut videant semper[1]", *hebr.* in contemptum æternum; inspecto enim contextu, hìc agitur de retributione æternâ. — Res etiam vivide describitur in *Sapientiæ* capit. IV et V.

1311. B) *Novi Test.* textus in triplicem classem dividuntur. a) Imprimis pœnæ inferni diserte et explicite *æternæ* dicuntur: "Qui pœnas dabunt in interitu *æternas* a facie Domini[2]"; "Quibus procella tenebrarum servata est in *æternum*[3]"; "Discedite maledicti in ignem *æternum,* qui paratus est diabolo et angelis ejus[4]". Quæ ultima verba specialem vim ex contextu habent: hìc enim agitur de sententiâ finali, a Supremo Judice latâ, a quâ proinde non datur appellatio, et in quâ statuitur sors bonorum malorumve, non pro brevi vel longo temporis spatio, sed definitive.

Nec dici valet vocem *æternum* (gr. αἰώνιος) sæpe adhiberi sensu lato, ut longa, non autem perpetua exprimatur duratio; nam in N. T. illa vox, quæ septuagies saltem occurrit, semper, exceptis forsan duobus casibus dubiis, æternitatem propriam designat; ac speciatim, si *contextus* inspiciatur, nullum dubium remanere potest quoad textum *S. Matthæi;* ibi enim tormenta reproborum æterna dicuntur eodem sensu ac justorum præmia; hoc enim exigit *parallelismus;* atqui, juxta omnes, præmia justorum sunt sine fine duratura[5].

b) Probatur ex iis textibus, in quibus asseritur pœnas inferni *nullum finem habituras :* "Si scandalizaverit te manus tua, abscide illam; bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam[6], ubi vermis eorum *non moritur, et ignis non exstinguitur*[7]"; quæ comminatio ter repetitur cum maximâ emphasi. Similiter *S. Paulus* pluries de iniquis dicit : "An nescitis quia iniqui *regnum Dei non possidebunt?*... qui talia agunt regnum Dei *non consequentur*[8]".

---

[1] *Dan.*, XII, 2. — [2] *II Thessal.*, I, 9. — [3] *Jud.*, 13.

[4] *Matt.*, XXV, 41. — [5] Cfr. S. AUGUSTINUS, *De Civit. Dei*, XXI, 23.

[6] *Gehenna* vallem designabat prope Jerusalem, in qua jam a tempore Josiæ (*IV Reg.*, XXIII, 10) comburebantur cadavera et alia hujusmodi : hinc, cùm esset locus horrendus, ejus nomen ad designandum locum quo damnati torquentur, translatum est.

[7] *Marc.*, IX, 42 sq.; *Matt.*, XVIII, 8; sq.

[8] *I Cor.*, VI, 9-10; *Galat.*, V, 21.

c) Probatur tandem ex iis locis ubi damnatorum sicut et justorum status *immutabilis* dicitur : " Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum non habebit remissionem in æternum, sed reus erit *æterni* delicti [1] " : igitur in æternum reus manebit, et in æternum punietur. Idem deducitur ex parabolâ divitis epulonis : " Et in his omnibus *inter nos et vos chaos magnum* firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare [2] ".

Igitur pœnarum æternitas non in uno solum textu docetur, neque ab hâc vel illâ particulâ pendet, ut falso clamant adversarii, sed in multis textibus explicite et sub variis formis traditur, ita ut difficile fuisset eam luculentiùs exprimere.

1312. 2° *Tradit.* Tria tempora distinguere licet : —

A) *Ante sæc. III^um^*, nondum exortâ *Origenistarum* controversiâ, unanimiter Patres docent existentiam et æternitatem pœnarum inferni, asserentes malos tormentis terribilibus torqueri, incessabili dolore, vermi non moriente, igne inexstinguibili, a quo nihil eos eripiet [3]. Quibus addi possunt martyres [4] qui sæpe declarabant se non temporaneum, sed æternum ignem timere. Attamen Patres, qui dilationem visionis beatificæ admittebant, falso etiam sed logice pœnam ignis usque ad resurrectionem differunt, etsi fateantur reprobos jam esse incarceratos et diversis suppliciis afflictos.

B) *A sæc. III° ad V^um^*, *Origenes*, cui præluserat *Clemens Alex.*, philosophiâ platonicâ deceptus, præsertim theoriâ præexistentiæ animarum, non tanquam rem certam sed tanquam hypothesim probabilem, docuit omnes angelos (si forte Satanam excipias) et homines, post varia supplicia variasque probationes, tandem aliquando ad Deum reversuros, etsi postea a summo bono iterùm deficere valeant. Quem secuti sunt quidam discipuli iisdem theoriis imbuti [5]. Plerique autem Patres, non obstante aucto-

[1] *Marc.*, III, 29; *Matt.*, XII, 32. — [2] *Luc.*, XVI, 26.
[3] Testimonia lege ap. JOURNEL, 41, 78, 100, 102, 106, 115, 121, 124, 176, 191, 239, 273, 284, 290, 396; M. RICHARD, l. c., 47-56.
[4] Cf. RUINART, *Acta Martyrum*, ed. 2^a^, pp. 27, 34, 76, 81, 157, 159, 168, 267, 268, 294, 295, 298 etc.
[5] Ap. JOURNEL, 456, 457, 468, 1033, 1373; M. RICHARD, 56-77.

ritate quâ Origenes gaudebat, istos errores impugnârunt; inter quos : *S. Methodius*, *S. Petrus Alex.*, *S. Cyrillus Hierosol.*, *S. Epiphanius*, *Theophilus Alex.*, *S. Basilius M.*, *S. Chrysostomus*, *S. Aphraates*, *S. Ephrem*, *S. Cyprianus*, *S. Pacianus*, *Rufinus*, *S. Hieronymus* (etsi per aliquod tempus dubius hæsit), *S. Augustinus*, qui præ ceteris doctrinam catholicam propugnavit [1].

C) *Sæculo V°*, res definita fuit. Cùm quidam adhuc Origenismo faverent, iste error, promovente imperatore Justiniano, damnatus est a Synodo *Constantinopol.* (an. 553), quam confirmavit *Vigilius Papa :* "Si quis dicit aut sentit ad tempus esse dæmonum et impiorum hominum supplicium, ejusque finem aliquando futurum, sive restitutionem et redintegrationem fore dæmonum aut impiorum hominum, A. S. [2]" *Tridentinum* rem non proprie definit, utpote a Novatoribus non negatam, sed supponit : " Si quis dixerit, justum in quolibet opere bono peccare... atque ideo pœnas *æternas* mereri, A. S. [3]".

1313. 3° *Ratione.* A) Dei justitia requirit ut peccata *dignis* vindicentur pœnis post mortem, quando in hâc vitâ justam retributionem non acceperunt : Deus enim, ut supremus *judex*, unicuique secundum opera sua reddere, et ut humanæ societatis *legislator* et *rector*, leges suas efficaci sanctione munire debet.

1314. B) Ratio autem *æternitatem pœnarum* non potest *apodictice* demonstrare, sed solum probabilibus argumentis suadere : a) ex parte *Dei*, qui ab impio impune contemneretur, si pœnæ inferni non essent æternæ; peccator enim posset Deum irridere et in rebellione pervicaciter persistere quin tandem fine suo ultimo frustraretur.

b) Ex parte *peccati mortalis* quo Deo irrogatur offensa aliquo modo infinita, quæ idcirco resarciri debet pœnâ infinitâ saltem duratione [4].

c) Ex parte *peccatoris*, qui, postquàm impœnitens mortuus est, in peccato suo manet : convenienter enim probationis tempus ipso mortis instanti finitur.

---

[1] Ap. JOURNEL, 560, 579, 646, 710, 713, 724, 855, 976, 1013, 1060, 1142, 1384, 1467, 1772, 1775, 1779, 1802, 1931; M. RICHARD, l. c.
[2] DENZ.-BANN., 211. — [3] Sess. VI, c. 25, DENZ.-BANN., 835 (717).
[4] S. TH., *Suppl.*, q. 99, a. 1.

d) Ex parte *societatis*, quæ requirit ut Deus legibus suis sanctionem sufficientem apponat; atqui quælibet sanctio mere temporalis insufficiens esset cùm etiam stante fide et timore pœnarum æternarum, multi sint qui passionibus indulgent.

1315. C) Ratio tandem ostendere valet dogma de pœnis æternis non pugnare : a) cum *misericordiâ;* nam, licet Deus omnium misereatur, ejus tamen misericordia sapientiæ ordine regulatur, qui postulat ne peccatum impunitum maneat [1].

b) Nec cum *justitiâ*, quia, etiam secundùm leges humanas, pœna non proportionatur *durationi* culpæ, sed *gravitati;* atqui peccatum mortale est Dei offensa quasi infinita [2].

c) Nec cum *sapientiâ;* pœnæ enim ordinantur non solum ad emendationem rei, sed ad reparationem ordinis violati bonumque commune [3]; jamvero pœna æterna ordinem a peccatoribus violatum reparat, dum æternaliter a Deo separat eos qui voluntate absolutâ et pertinaci a Deo sese averterunt.

§ II. De naturâ et gradu pœnarum inferni.

Duplex distinguitur pœna in inferno, nempe pœna *damni* et pœna *sensûs*. De utrâque seorsim dicemus.

1° De pœnâ damni.

1316. A) **Ejus notio.** Pœna damni est privatio visionis beatificæ et omnium bonorum quæ illam consequuntur. Dicitur : a) *privatio visionis beatificæ;* homo quidem ad videndum et possidendum Deum destinatus, jam sese avertendo a Deo per peccatum mortale, jus ad visionem beatificam amisit et in æternum a Deo separatus manebit, non solum ut fine supernaturali, sed etiam ut fine naturali, quia peccatum mortale est offensa Dei etiam in ordine naturali; b) *et omnium bonorum;* nam reprobi, Deum amittendo, omnia bona quæ in Dei possessione includuntur, eo ipso amittunt, v. g., societatem Christi, B. M. Virginis, Angelorum et Sanctorum, ineffabiles delicias electis paratas a constitutione mundi... etc.

---

[1] S. Th., *loc. cit.*, a. 2, ad 1. — [2] S. Th., *ibid.*, a. 1.
[3] Newman, *Grammar of Assent*, ed. 1887, p 390-391.

1317. B) Existit *pœna damni in inferno.* De fide est, nam *Florentinum*[1], postquam definivit animas justorum in cælum recipi et ipsum Deum trinum et unum clare intueri, addit " illorum animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in *infernum* descendere, pœnis tamen disparibus *puniendas* "; quæ quidem verba, inspecto præcedente contextu, clare important damnatos cælo, proindeque visione beatificâ privari.

Probatur : a) *Scripturâ :* in die judicii Christus damnatos sic alloquetur : " *Discedite a me*, maledicti, in ignem æternum "; quæ verba clare exprimunt æternam separationem a Deo, et privationem bonorum quæ cum præsentiâ Dei connectuntur.

b) *Rat. theol.* Homo, in peccato mortali decedens, est jam in statu separationis a Deo, cum peccatum mortale sit aversio a Deo et conversio ad creaturas; atqui, post mortem, nullus est pænitentiæ locus; ergo peccator in æternum manet a Deo separatus, et merito quidem, cùm libere et pertinaciter ad Deum reverti noluerit.

1318. C) Acerbitas illius pœnæ vix concipi potest in terrâ; attamen hæc duo notari possunt : a) Jàm inter mundanas varietates et fascinationes nugacitatis anima humana inclinatur ad Deum et ad illum tendit sicut ad suum ultimum finem seu supremum bonum. Hæc autem inclinatio etiam in damnato crescit quando, morte intercedente, omnia temporalia quibus cor irretiebatur evanescunt, clareque perspicitur extra Deum nullam esse beatitudinem; — sed simul cum hâc vehementi inclinatione inest animæ damnati horror Dei et ab eo aversio ex peccato non remisso proveniens, et repulsio ab ipso Deo illata : " Discedite a me, maledicti... nescio vos[2] ". Unde dolorosissima et atrocissima in animâ damnati disruptio et discissio cum desperatione.

b) Damnati enim *desperatione* torquebuntur, optime intelligentes se *in æternum* esse damnatos, et quidem *propriâ culpâ :* " Videntes turbabuntur timore horribili..., dicentes intra se, pænitentiam agentes, et præ angustiâ

[1] Denz.-Bann., 693 (588). — [2] *Matt.*, XXV, 12, 41.

spiritûs gementes... Nos insensati, vitam illorum (justorum) æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore... Ergo erravimus a viâ veritatis[1]... "

Hinc *S. Augustinus*[2] : " Perire a regno Dei, exsulare a civitate Dei, carere tam magnâ multitudine dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, tam grandis est pœna, ut nulla ei possint tormenta, quæ novimus, comparari "; *S. Chrysostomus*[3] addit : " Hic enim est cruciatus omnium acerbissimus ". Quæ omnia contrahit *S. Thomas* pœnam damnatorum vocando *miseriam consummatam*[4].

2° De pœnâ sensûs.

1319. A) Existentia hujus pœnæ. Præter pœnam damni, adest in inferno *pœna sensûs*, quâ spiritus et etiam corpora afficiuntur per aliquid nocivum iis vim inferens; etenim **a**) legitur in Evangelio " Timete eum qui potest et animam et *corpus* perdere in gehennam "; **b**) Convenit ut corpus quo anima malum operata est sit pœnæ particeps; **c**) præterea, ut ait *S. Thom.*[5], " in culpâ non solum avertitur mens ab ultimo fine, sed etiam indebite convertitur in alia quasi in fines. Non solum ergo puniendus est qui peccat per hoc quod excludatur a fine, sed etiam per hoc quod ex aliis rebus sentiat nocumentum ".

1320. B) Quoad **naturam** hujus pœnæ, si Scriptura perlegitur, infernus ibi exhibetur ut *carcer*, in quo reprobi tanquam captivi detinentur, ut *locus tenebrarum*, in quo adest stridor dentium, ut *stagnum ignis* et *sulphuris*, ut locus *tormentorum*[6]; ex quo inferre licet reproborum sortem maxime lugendam esse.

Nihil autem prohibet quominus quædam ex his pœnis in Scripturâ descriptis *spiritualiter* accipiantur : potest v. g., per *vermem* intelligi *conscientiæ remorsus*; nam corporeus vermis spiritualem substantiam corrodere nequit neque etiam corpora damnatorum quæ incorruptibilia erunt; *fletus* etiam et *stridor dentium* in spiritualibus substantiis non nisi *metaphorice* intelligi possunt[7].

---

[1] *Sap.*, V, 1-16. — [2] *Enchirid.*, c. 112. — [3] *Ad Theod.*, ep. I, n. 12.
[4] *Suppl.*, q. 98, a. 7; cf. *ibid.*, a. 6, ad 1, ad 3.
[5] *C. Gent.*, lib. III, c. 146.
[6] *II Petr.*, II, 4; *Matt.*, XXII, 13; *Apoc.*, XX, 14; *Isa.*, LXVI, 24.
[7] *C. Gent.*, lib. IV, c. 90.

1321. C) *Quæritur* præsertim utrùm *ignis inferni sit* **physicus** an **metaphoricus** tantum. **a**) Jamvero *doctrina communis* Patrum et theologorum est ignem illum esse *realem*. Quæ doctrina *certa* et *catholica* sententia est, ait *Suarez*[1], *certo* juxta *Perrone* ita ut in dubium absque temeritate vocari nequeat (n. 730), *communis* a quâ *temerarium* esset recedere, secundum *Hurter*. Insuper cùm sacerdos Mantuensis postulaverit quomodo agendum sit cum pænitentibus qui censent ignem inferni non esse realem sed metaphoricum, *S. Pænitentiaria*, 30 Apr. 1890, respondit hujusmodi pænitentes diligenter esse instruendos, et pertinaces non esse absolvendos. **b**) Confirmatur *Script.;* nam in locis ubi agitur de igne inferni, contextus sensui litterali nedum obstet, illum potius requirit; aliunde non repugnat Deum creare posse ignem qui, supernaturali quâdam virtute, substantias etiam spirituales torquere possit[2].

1322. D) **Explicatur natura ignis inferni.** Ignis inferni dicitur realis et corporeus, quatenus est agens materiale verumque instrumentum quo Deus reprobos punit; sed de ejus *naturâ*, vel de *modo* quo damnatos torquet nihil in Scripturâ revelatur : " Qui ignis, inquit *S. Augustinus*[3], cujusmodi, et in quâ mundi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui spiritus divinus ostendit ".

a) Difficile est præsertim concipere quomodo ignis, qui paratus est diabolo et angelis ejus, spirituales substantias possit cruciare. *S. Augustinus*[4] dicit eas " *miris*, tamen *veris* modis affligi ". *S. Thomas* rem sic explicat : " Patiuntur ab igne corporeo substantiæ incorporeæ... per modum *alligationis* cujusdam...; et hoc ipsum est eis in afflictionem quod sciunt se rebus infimis alligatos in pœnam[5] ".

---

[1] *De Angel.*, l. VIII, c. 12, n. 9.

[2] Attamen nonnulli Patres et theologi putârunt ignem esse metaphoricum, nitentes quorumdam textuum Scripturæ latiori exegesi. Respondent *communiter* Doctores Scripturam traditione interpretandam esse, quæ certo litterali interpretationi favet. Cf. *Syn. maj.*

[3] *De Civit. Dei*, l. XX, c. 16. — [4] *De Civit. Dei*, l. XXI, c. 10.

[5] *C. Gentil.*, l. IV, c. 90. — Cf. SUAREZ, *De Angelis*, l. VIII, c. 14, n. 47-48.

b) Quoad *corpora*, ignis inferni ea neque dissolvet, neque consumet, licet ea modo nobis ignoto sit cruciaturus.

1323. **E) In praxi**, caute de igne inferni loquendum est, et sedulo vitandæ sunt descriptiones mere imaginariæ quæ, dum quosdam pios fideles terrent, causa sunt cur alii de inferni existentiâ dubitare incipiant, vel Deum ut crudelem tyrannum considerent. Melius est igitur adhibere et sapienter urgere gravia Christi verba prout in Evangelio referuntur.

3o De gradu pœnarum.

1324. **A) De inæqualitate.** Pœnæ damnatorum sunt quidem æquales ratione *durationis*, cùm sint æternæ, sed ratione *acerbitatis* valde differunt. Probatur : a) *Script.* : " Deus reddet unicuique secundum opera ejus[1] "; " Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum[2] ". b) *Ratione.* Pœna culpæ proportionari debet; atqui culpæ sunt inæquales, sive numero, sive gravitate; ergo pœnæ inferni inæquales esse debent.

1325. **B) De mitigatione.** a) Sunt Theologi qui nullam prorsus mitigationem in pœnis inferni admittant; quod probare conantur ex parabolâ divitis epulonis, ex quâ apparet etiam aquæ guttulam diviti in inferno patienti, denegatam fuisse. b) Probabilius tamen admittitur quædam mitigatio pœnæ accidentalis, ex duplici capite : tum quia pœna peccatis venialibus debita, finem accipiet post aliquod tempus; tum quia pœna temporalis, peccatis mortalibus jam remissis debita, pariter cessabit; hoc enim videtur requiri ex ipsâ justitiâ; unde *S. Thomas* ait[3] : " Non est inconveniens quod quantum ad aliquid accidentale, pœna inferni minuatur, usque ad diem judicii ". Aliunde statuit Angelicus Doctor misericordiam Dei etiam in inferno exerceri : " In damnatione reproborum apparet misericordia, non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter allevians, dùm punit citra condignum[4] ".

---

[1] *Rom.*, II, 6. — [2] *Apoc.*, XVIII, 7; cfr. *Matt.*, X, 15.

[3] *In IV Sent.*, dist. 23, q. 1, a. 1, ad 5.

[4] *Sum. theol.*, 1ª p., q. 21, a. 4, ad 1. — A nonnullis Patribus et theologis admissa fuit momentanea vel successiva mitigatio, quâ sors damnatorum, licet semper lugenda et consummata miseria, *tolerabilior* tamen fieri potest. (Cf. Emery, *Dissertation sur la mitigation de la peine des damnés*). Talis vero opinio nullum habet fundamentum in Scripturâ et exorbitat a sensu communi Ecclesiæ.

1326. De *loco* inferni nil certi scire possumus, cùm Scriptura et Traditio hâc de re sileant, et Theologi nonnisi conjecturas plus minusve probabiles facere valeant; recte igitur ait *S. Chrysostomus*[1] : " Ne igitur quæramus ubi sit, sed quomodo eam (gehennam) effugiamus ".

ART. III. DE PURGATORIO.

1327. Purgatorium est *locus* et *status* in quo animæ justorum, cum pœnæ temporalis debito decedentium, patiuntur, donec omnia debita soluta fuerint[2]. Et sane remanere possunt post mortem solvendæ pœnæ debitæ peccatis jàm remissis, vel peccatis venialibus nondùm remissis, quæ juxta *S. Thomam* et *Suarez*, in primo instanti separationis animæ a corpore, per ferventem dilectionis vel contritionis actum, statim remittuntur. Talis autem *pœna temporalis* successive tollitur non merendo aut satisfaciendo, cùm tempus merendi jam fuerit elapsum, sed *satispatiendo*, seu castigationem experiendo juxta taxationem divinæ justitiæ, remissâ tamen quantitate pœnæ quæ respondet *suffragiis* quæ a vivis applicantur.

I. *Existentia purgatorii.*

1328. 1° **Errores. a**) *Aerius*, s. IV, asseruit orare vel offerre pro mortuis esse vanum; **b**) *Albigenses*, *Waldenses*, *Hussitæ*, ac præsertim *Novatores* docuerunt purgatorium esse " meram diaboli larvam " (Lutherus[3]); " exitiale commentum Satanæ " (Calvinus[4]). **c**) Hodierni vero Protestantes non pauci libenter statum veluti medium inter cælum et infernum admittunt sed purgatorii nomen rejiciunt, et tenent animas in eo statu mereri et satisfacere posse[5].

1329. 2° **Thesis** : *Existit purgatorium, in quo justorum animæ nondum plene expiatæ, piacularibus pœnis mundantur, et fidelium suffragiis possunt juvari.* De fide est, ex *Trid.* : " Cùm catholica Ecclesia, Spiritu sancto edocta, ex sacris Litteris et antiquâ Patrum traditione, in sacris Conciliis et novissime in hâc œcumenicâ Synodo

---

1 *In Ep. ad Rom.*, n. 5.
2 Cf. *Decret. unionis Græcorum*, apud DENZ.-BANN., 693 (588).
3 *Art. Smal.*, p. II, c. 2. § 9. — 4 *Instit.*, l. III, 25, § 6.
5 Cf. FARRAR, *Mercy and judgment.*, cap. III; A. CAMPBELL, *The doctrines of a middle state;* HODGE, *System. Theol.*, vol. III, p. 741.

docuerit Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio juvari[1]... "

Probatur A) *Scripturâ.* a) In *Vet. Test.* præclarum est testimonium ex *II Machab.*[2] desumptum. Judas post victorias reportatas, " factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, *offerri pro peccatis mortuorum sacrificium*, bene et religiose de resurrectione cogitans, (nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis), et quia considerabat quod hi, *qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* Sancta ergo et salubris est cogitatio *pro defunctis exorare*, ut a peccatis solvantur[3] ". Ex hoc loco patet : 1) tum Judæ et populo hebraico, tum auctori sacro persuasum fuisse mortuos orationibus et sacrificiis juvari posse; 2) hos autem non esse gravis peccati reos, cùm agatur de iis qui *cum pietate* dormierunt.

b) In *Novo Test.* legitur : " Qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro[4] "; jamvero, quomodocumque hæc verba intelligantur, ibi supponitur quædam peccata remitti posse in vitâ futurâ; aliunde certum est post mortem non remitti mortalia; ergo agitur de venialibus, vel de pœnâ mortali peccato debitâ[5].

1330. B) *Traditione*, in quâ duo stadia distinguuntur. a) *Per quatuor priora sæcula*, purgatorii existentia non explicite exponitur, sed jam continetur in universali praxi *orationes et oblationes faciendi pro defunctis.* Hanc testantur : 1) Patres, v. g., *Tertullianus*[6] : " Oblationes pro defunctis annuâ die facimus "; 2) *Constitutiones Apostol.*[7] : " Oremus pro fratribus nostris, qui *in Christo requieverunt*, ut Deus summæ erga homines caritatis, qui animam

---

[1] Sess. XXV, Denz-Bann., 983 (859). — Cf. *Florent.*, apud Denz.-Bann., 693 (588).
[2] *II Machab.*, XII, 43.
[3] Protestantes negant quidem hunc librum inspiratum esse, sed eumdem substantialiter esse fide dignum agnoscere coguntur.
[4] *Matt.*, XII, 32.
[5] Multi Patres de igne Purgatorii intelligunt verba S. Pauli, *II Cor.*, III, 10-19.
[6] *De Coronâ*, c. 4. — [7] VIII, 41.

defuncti suscepit, *remittat ei omne peccatum*, et propitius ac benevolus ei factus *collocet eum in regione vivorum*"; 3) *inscriptiones* quæ in Catacumbis inventæ sunt, in quibus hæc et similia leguntur : "Spiritum tuum Deus refrigeret; Ursula, accepta sis in Christo; Victoria, refrigereris spiritus tuus in bono; Kalemire, Deus refrigeret spiritum tuum una cum sororis tuæ Hilare; æterna tibi lux, Timothea, in Christo[1]"; 4) *antiquissimæ liturgiæ*, in quibus preces pro defunctis invenire est[2]. Jamvero ex hâc praxi infertur existentia statûs et loci in quo animæ *justorum* nondum plene purificatæ pœnas luunt peccatis debitas; Ecclesia enim pro reprobis non orat.

b) *A tempore S. Augustini*, jam explicite agitur de Purgatorio. 1) *S. Augustinus* ejus existentiam probat ex textibus Scripturæ supra allatis, et asserit "nonnullos fideles *per ignem quemdam purgatorium*, quanto magis minusve pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari[3]"; additque eos "pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesiâ fiunt[4]". 2) *S. Cæsarius* et *S. Gregorius M.* disertius etiam agunt de purgatorio, in quo expiantur *peccata minuta;* prior eos qui de his parum curabant admonet purgatorium ignem duriorem esse "quam quidquid potest in hoc sæculo aut cogitari aut videri aut sentiri[5]". 3) Res autem definita fuit a C. *Lugdunensi II°*[6], *Florentino*[7] et *Tridentino*[8].

1331. C) *Rat. convenientiæ.* a) Scriptura testatur nihil inquinatum ingredi cælum[9]; justitia enim exigere videtur ut nemini æterna beatitudo concedatur, nisi prius delicta sua perfecte expiaverit. Atqui de facto multi moriuntur antequam a peccatis suis venialibus liberati fuerint, aut pœnam temporalem pro mortalibus aut venialibus remissis debitam solverint, nec tamen propter hoc merentur totaliter a cælo excludi; ergo locum esse convenit

[1] Cf. NORTHCOTE, *The Romam Catacombs*, cap. VII; MARTIGNY, *Dict. des Antiq. chrét.*, voce *Purgatoire*.
[2] Cfr. *Didascalia apostolorum*, VI, 22, 2 sq.
[3] *Enchiridion*, LXIX. — [4] *Enchiridion*, CX. — [5] *Sermo* CIV, 5.
[6] *Professio fidei Michael. Palæol.*, DENZ.-BANN., 464 (387).
[7] *Decret. pro Græcis*, DENZ.-BANN., 693 (588).
[8] *Decret. de Purgatorio*, DENZ.-BANN., 983 (859).
[9] *Apoc.*, XXI, 27.

ubi purgentur, antequam finale præmium consequantur[1]. b) Nisi esset purgatorium in quo pro venialibus nondum remissis et peccatorum reliquiis pœnas subire cogimur, homines levia peccata committerent, nec de condignâ satisfactione satis cogitarent.

II. *De naturâ pœnarum purgatorii.*

1332. Nihil hâc de re ab Ecclesiâ definitum est; præ oculis tamen habenda sunt hæc *Tridentini*[2] monita : "Apud rudem vero plebem *difficiliores ac subtiliores* quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. *Incerta* item, vel quæ *specie falsi* laborant, evulgari ac tractari non permittant (episcopi). Ea vero, quæ ad *curiositatem* quamdam, aut *superstitionem* spectant, vel turpe *lucrum* sapiunt, tanquam scandala, et fidelium offendicula prohibeant".

Ad mentem hujusce authenticæ monitionis, puncta solidioris doctrinæ statuimus.

1° Omnino constat animas in purgatorio detentas certas esse de suâ salute, nec amplius peccare posse. Constat ex damnatione Lutheri propositionum 38æ et 39æ[3]. Et quidem, juxta *Canonem* Missæ, animæ Purgatorii "in Christo *quiescunt*", et "dormiunt in somno pacis".

2° *Certum* est pariter animas purgatorii *pœnam damni* sustinere, quatenus *ad tempus* a visione beatificâ exsulant. Quæ pœna certe gravis est; nam a) immensitatem boni, a quo retardantur, clare apprehendunt, et ardentissimo Deum videndi desiderio flagrant; b) vivide intelligunt id fieri ob suam culpam; c) dolent quod ingentes cælestis gloriæ gradus consequi ignaviter neglexerint[4].

3° *Communiter* docetur in purgatorio esse pariter *pœnam sensus.* Apud *Græcos*, generatim non admittitur animas igne reali, sed solum laboribus, doloribus et quâdam obscuritate cruciari. Apud *Latinos*, communior est

---

[1] S. THOM., *C. Gent.*, l. IV, c. 91.
[2] Sess. XXV, DENZ.-BANN., 983 (859).
[3] DENZ.-BANN., 778, 779 (662, 663).
[4] Cfr. LESSIUS, *De perfect. div.*, lib. XIII, c. 17, n. 94-95; FABER, *All for Jesus*, gallice *Tout pour Jésus*, c. IX.

sententia eas igne materiali torqueri, quatenus saltem ei alligantur.

1333. 4° De *gravitate* pœnarum purgatorii nil certi cognoscitur; *S. Thomas*[1] putat pœnam *minimam* excedere maximam hujus vitæ pœnam; *S. Bonaventura* censet *maximam* quidem purgatorii pœnam, non autem minimam, acerbiorem esse hujus vitæ pœnis[2]. Omnes tamen fatentur illas pœnas patienter ferri, tum propter resignationem in justum Dei judicium, tum propter spem beatitudinem consequendi; quæ quidem spes ingentem ipsis lætitiam affert[3].

5° De *duratione* pænarum pariter nil certum est, nisi eam mensuræ peccatorum et pœnæ temporalis adhuc solvendæ proportionari. Patres vero et Theologi ore unanimi docent purgatorium non durare ultra diem judicii, cùm omnibus justis Christus sit dicturus : "Venite, benedicti", etc. Qui igitur in fine mundi vivent a suis levibus maculis cito purgabuntur mediis a Deo notis[4].

1334. **Corollarium.** Animas in purgatorio detentas *juvare* est opus *Deo gratum*, *his animabus valde jucundum*, quæ ardenti desiderio Deum videndi et possidendi flagrant, et *nobis perutile*, cùm animæ a nobis liberatæ pro nobis ferventer sint deprecaturæ, et, probabilius, antequam liberentur[5]. Juvari autem possunt : **a**) *orationum* nostrarum valore satisfactorio et impetratorio; **b**) *oblatione sacrificii Missæ*, vi cujus ipsis applicantur satisfactiones Christi; **c**) valore *satisfactorio* operum nostrorum[6]; **d**) *indulgentiis*, quibus eis applicantur satisfactiones Christi et Sanctorum.

CONCLUSIO TRACTATUS :
DE CONSUMMATIONE UNIVERSALI.

Hucusque de *singulorum* hominum sorte; nunc de *universali* generis humani consummatione dicendum. Pau-

---

[1] *In IV Sent.*, dist. 21, q. 1, a. 1.
[2] *In IV Sent.*, dist 20, q. 2, a. 1,
[3] Cf. BELLARM., *de Purgatorio*, lib. II, c. 4, n. 23.
[4] Cf. S. TH., *in IV Sent.*, dist. 47, q. 2, a. 3.
[5] "Illæ animæ sunt caræ Deo et quamvis ab illo pro tunc affligantur, non tamen ut ab inimico, sed ut a justo judice et parente optimo, qui eas beatas efficere cupit... Ergo non repugnat illi statui, ut a Deo aliquid petant pro fratribus et amicis benefactoribus suis". (SUAREZ, *De orat.*, lib. I, c. 11, n. 15.)
[6] Hinc pius et laudabilis est actus quem *heroicum* vocant, quo nonnulli, approbante Ecclesiâ, omnia sua bona opera et suffragia pro animabus purgatorii offerunt; quod quidem de *valore satisfactorio* intelligi debet; cf. *Brevior Synops. mor.*, n. 1254.

cis verbis contrahimus quæ respiciunt *resurrectionem corporum* et *judicium universale.*

1° De resurrectione corporum.

1335. **Errores.** Dogma resurrectionis negatum fuit a *Sadducæis* [1]; a quibusdam e prioribus christianis, præsertim *Hymenæo* et *Phileto* quos refellit S. Paulus [2]; a *Gnosticis* multis, *Manichæis* et *Priscillianistis*, *Waldensibus* et *Albigensibus*, *Socinianis.* Hodie rejicitur ab *Unitariis*, Protestantibus *liberalibus*, et *Rationalistis.*

1336. **Thesis.** *Omnes homines in fine sæculi cum suis propriis resurgent corporibus quæ nunc gestant.*

De fide est ex Concil. *Lateran. IV* [3] *:* "Qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus quæ nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala".

Explicatur. Duo igitur sunt de fide, resurrectionem fore *universalem* pro bonis et malis, et homines resurrecturos cum *iisdem* corporibus quæ nunc gestant. Jamvero ad identitatem corporis resurgentis requiritur saltem, juxta omnes, ut eadem numerice anima suscitatum corpus informet; juxta nonnullos, hoc sufficit, cùm anima sit corporis forma substantialis, forma autem substantialis corpus intrinsece, essentialiter, specifice et quodammodo etiam individualiter *constituat.* Attamen communiter tenetur necesse esse ut corpus resurgentis constet partim saltem ex eâdem numero materiâ, ex quâ prius constitit : ita enim melius verificatur sensus testimoniorum Scripturæ et Traditionis.

1337. **Probatur.** **A)** *Scripturâ.* **a)** In *Vet. Test.* hæc doctrina, primum obscure manifestata, clarius paulatim revelata fuit. Præter celeberrima verba *Job* [4], quæ

---

[1] *Matth.*, XXII, 23. — [2] *I Cor.*, XV, 12; *II Tim.*, II, 16-18.

[3] Cap. I, *de Fide cathol.*, Denz.-Bann., 429 (356). Cf. *Symb. Athanas.*

[4] *Job.*, IX, 25-27. Quæ verba clara sunt in *Vulgatâ :* "Et in novissimo die de terrâ surrecturus sum; et rursum circumdabor pelle meâ, et in carne meâ videbo Deum meum"; obscuriora tamen in *versione græcâ;* et intricatissima in *textu hebraico :* "Et post cutem meam, conciderunt eam, et ex carne meâ aspiciam Deum". Unde putant nonnulli hunc textum fuisse adulteratum.

multi Patres intelligunt de resurrectione mortuorum, et prophetiam *Isaiæ* de resurrectione justorum [1], duo sunt præsertim textus in quibus explicite hoc dogma asseritur : " Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere *evigilabunt* [2] " E cælo ista (membra) possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso *me ea recepturum spero* [3] ", etc.

b) In *Nov. Test.* luculenter res declaratur : 1) Christus, apud *Synopticos*, non solum resurrectionem corporum tanquam rem notam supponit, sed eam contra Sadducæos defendit [4]; apud *S. Joannem*, explicite de resurrectione carnis ait : " Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii... "; " Ego resuscitabo eum in novissimo die " [5].

2) *S. Paulus* resurrectionem mortuorum diserte in *ep. Iª ad Corinthios* probat : ex ipsâ *resurrectione Christi* (XV, 1-19) : " Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit "; *ex efficaciâ redemptionis* (20-28) : " Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur, unusquisque autem in suo ordine : primitiæ Christus, deinde ii qui sunt Christi "; *e moribus et laboribus fidelium* (29-34) : Si ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? "; ex *solutione dubiorum* contra resurrectionem (35-44), ejus possibilitatem illustrando comparatione seminis quod " non vivificatur, nisi prius moriatur ". Revera hoc dogma annuntiavit coram Atheniensibus [6], Felice [7] ac Thessalonicensibus [8].

1338. **B**) *Trad.* **a**) Patres non solum obiter de hoc dogmate scripserunt, sed illud ex professo in variis operibus contra paganos propugnaverunt, et quidem jam a sæculo II°, v. g., *Athenagoras*, in libro de Resurrectione mortuorum, *Theophilus Antioch.*, lib. I ad Autolycum, *Tertullianus*, in eloquentissimo opere de Resurrectione carnis, etc.

b) *Martyres* hanc veritatem aperte professi sunt : " Hæc me potissimum ratio compellit ad mortem, *S. Pio-*

---

[1] *Isa.*, XXVI, 19. — [2] *Dan.*, XII, 2. — [3] *II Mach.* VII, 9-13.
[4] *Matt.* V, 29-30; X. 28; XXII. 23-32. — [5] *Joan.*, V, 29; VI, 55.
[6] *Act.*, XVII, 31-32. — [7] *Act.*, XXIV, 15. — [8] *I Thess.*, IV, 12.

nius aiebat, ut populus omnis intelligat *resurrectionem futuram esse post mortem*[1]".

1339. C) *Rat. conven.* Hoc dogma ratione non demonstratur quidem, sed multiplici ex parte convenit : a) ex parte *Dei;* nam in resurrectione carnis elucet Dei *omniscientia*, *omnipotentia* et *bonitas;* b) ex parte *Christi*, cujus cùm simus membra, decet ut nos cum ipso resurgamus; c) ex parte *hominis;* non decet ut in æternum corruptum maneat corpus quod fuit 1) operum sive bonorum sive malorum particeps, et 2) per receptionem Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, necnon christianæ mortificationis praxi sanctificatum. Quod confirmatur ex eo quod anima humana a corpore separata aliquo modo imperfecta est, sicut pars extra totum suum existens, cùm sit naturaliter pars humanæ naturæ[2].

1340. Ad solvendas autem difficultates ex eo desumptas quod eædem atomi successive in pluribus corporibus fuerint, sufficiat animadvertere in eodem corpore esse perpetuum atomorum fluxum quin ejus identitas destruatur; ideoque nil impedire quin corpus resurgentium suam identitatem retineat etsi paucas tantum habeat ex atomis antea a se possessis, dummodo hæ eâdem formâ substantiali informentur.

2° De judicio universali.

1341. A) **Thesis** : *Post resurrectionem judicium universale a Christo instituetur, in quo omnes homines de factis propriis rationem reddent.* De fide est, ex variis Symbolis, ubi dicitur : " Credo in J. Christum... qui venturus est judicare vivos et mortuos ", præsertim ex Symb. *Athanas.* : " Ad cujus adventum *omnes* homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem ".

Prob. a) *Scriptura describit* judicium universale : " Cùm autem venerit Filius hominis in majestate suâ, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ. Et congregabuntur ante eum *omnes gentes*, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis[3] ", etc.

---

[1] Ruinart, *Acta Martyrum*, p. 70.
[2] Cf. S. Th., *C. Gent.*, l. IV, c. 79.
[3] *Matt.*, XXV, 31-46; *II Cor.*, V, 10; cfr. *Joel*, III, 2; *Apoc.*, XX, 12.

b) *Patres*, sive *Latini*, sive *Græci*, illud dogma explicite docent et vivide describunt; unus audiatur *Augustinus*[1]: "Nullus vel negat, vel dubitat per J. Christum, tale quale istis SS. litteris prænunciatur, futurum esse novissimum judicium..."

c) *Ratio* hujus judicii *convenientiam* exhibet; siquidem, cùm homo sit non tantum persona privata, sed etiam *socialis*, judicium universale congruenter manifestabit : 1) *Dei providentiam*, divinorum consiliorum rationem et exitum patefaciendo; 2) *Christi majestatem* juste judicantis eos qui injuste eum condemnaverunt vel rejecerunt, ut in nomine ejus omne genu flectatur cælestium, terrestrium et infernorum; 3) *electorum gloriam*, qui post vitam injuriis et persecutionibus vexatam[2], exaltabuntur.

1342. **B) Circumstantiæ judicii.** a) *Judex* erit Christus ipse in formâ humanâ : nam convenit eum, cujus redemptionis beneficio ad regnum cælorum admitti valemus, judicio præsidere[3].

b) *Subjectum* judicii sunt *omnes homines*, tùm adulti, tùm parvuli, et probabiliter angeli prævaricatores[4].

c) *Materia* judicii erit uniuscujusque vita integra, quidquid cogitatione, verbo, opere, commissione aut omissione, boni vel mali fecerit[5].

d) *Locus* judicii dicitur esse vallis *Josaphat*[6]; cùm autem vox *Josaphat*, juxta chaldaicam interpretationem, idem significet ac *divisio judicii*, quilibet locus ita vocari potest.

e) *Tempus* remanet incertum[7] : signa enim quæ theologi collegerunt ex Scripturæ variis locis, et ipsa sunt incerta[8].

f) E variis Scripturæ locis colligunt Patres et theologi post conflagrationem mundi et judicium terram innovandam esse : "Novos vero cælos et novam terram, secundum promissa ipsius, exspectamus[9]". In quo autem illa innovatio consistat incertum est, et hâc de re theologi scientiæque cultores libere disputare possunt.

---

[1] *De Civit. Dei*, l. XX, c. 30, n. 5.
[2] Cf. *Sap.*, V, 1-13. — [3] S. TH., *Suppl.*, q. 90, a. 1.
[4] *II Petr.*, II, 4; S. TH., *Suppl.*, q. 89, a. 5.
[5] *Eccl.*, XII, 14; *Matt.*, XII, 36; *I Cor.*, IV, 5; cfr. *Apoc.*, II, 23
[6] *Joel.*, III, 2. — [7] *Marc.*, XIII, 32. — [8] Cf. *Synops. maj.*
[9] *II Petr.*, III, 13; cfr. *Rom.*, VIII, 19; *Apoc.*, XXI, 1.

CONCLUSIO GENERALIS.

De Communione Sanctorum[1].

" Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, *Sanctorum communionem* ".

1343. Status quæstionis. A) Articulus de *communione sanctorum* Symbolo Apostolorum insertus apparet quinto sæculo apud Ecclesias Galliæ. Duo significat, nempe communionem inter varia membra Ecclesiæ *militantis*, *patientis* et *triumphantis*, necnon participationem quamdam bonorum spiritualium quæ Ecclesiæ propria sunt. Hoc dogma **a**) primario defluit e doctrinâ de *Christo angelorum et hominum capite* (n. 798) : nam ex eo quod hi Christo capiti uniuntur, sequitur eosdem *inter se conjungi* et *bonorum* per redemptionem acquisitorum *participes* esse; **b**) connectitur etiam cum doctrinâ de *SS. Trinitate* et de *Gratiâ*, cùm bona spiritualia a Christo acquisita diffundantur *reapse* per totam Trinitatem et *attributive* per Spiritum Sanctum; **c**) necnon cum *Tr. de Ecclesiâ*, cùm Christus, quatenus Ecclesiæ caput, omnes fideles communi nexu ejusdem regiminis et doctrinæ eorumdemque sacramentorum coadunet; **d**) tandem cum doctrinâ de operibus *meritoriis* et *satisfactoriis* necnon de *caritate* et *oratione*, quatenus omnes fideles, caritatis vinculo uniti, aliquam participationem accipiunt meritorum, satisfactionum et orationum aliorum Ecclesiæ membrorum, imo et intercessione Angelorum Beatorumque spiritualia consequuntur bona. Est igitur veluti *synthesis* præcipuorum fidei dogmatum.

B) Quam doctrinam variis modis impugnant *Protestantes :* **a**) alii dogma communionis Sanctorum intelligunt de quodam polytheismo in quo Sancti a catholicis colerentur sicut dii[2]; **b**) alii nihil vident in communicatione

---

[1] S. Thom., 3, q. 8; Suarez, De Incarnat., disp. XXIII; Petavius, *De Incarnat.*, lib. XII, cap. 17; Franzelin, *De Ecclesiâ*, th. II, XVII-XX, XXII-XXV; M. Lamache, *Le Dogme de la Communion des Saints* (thèse), Lyon, 1912; P. Bernard, *Communion des Saints*, in *Dict. de Théol.* (*Mangenot*), III, 429-454; R. Bour, ibid., 454-480.

[2] M. Nicolas, *Le symbole des Apôtres*, p. 249; A. Hranack, *Dogmengeschichte*, § 46, p. 216.

reciprocâ meritorum nisi systema quoddam mere mechanicum justificationis quo homines ab extrinseco justificantur sine cooperatione morali[1].

Catholicæ doctrinæ expositione luculenter constabit quantum Novatores hoc dogma adulteraverint.

1344. **Thesis** : *Datur communio sanctorum vi cujus omnia Christi membra per Christum et in Christo arctissime uniuntur, atque spiritualia bona, etsi diverso gradu, participant.*

De fide est tum ex *Symbolo Apostolorum* tum ex *magisterio ordinario Ecclesiæ*[2].

Declaratur. Ecclesia in terrâ militans sub Romano Pontifice, Christi vicario, non est tantum *societas externa* quæ, in ordine ad vitam æternam, visibili regitur hierarchiâ, doctrinâ apostolicâ informatur et sacramentis pascitur, sed est simul *societas mystica* cujus membra, per admirabile consortium caritatis et vitæ supernaturalis, cum Sanctissimâ Trinitate et Christo, cum Sanctis, Angelis et animabus Purgatorii, et inter se connectuntur.

Ex dictis in toto decursu hujus operis, res ita concipitur: **a**) In omnia Ecclesiæ membra Deus et Christus dona gratiæ vel gloriæ influunt; **b**) in Deum et Christum membra Ecclesiæ refundunt laudes, gratiarum actiones et orationes; **c**) Sancti intercedunt pro fidelibus terræ et Purgatorii animabus; **d**) fideles terræ Sanctos orant et pro Purgatorii animabus deprecationes, satisfactiones et indulgentias offerunt; **e**) animæ Purgatorii pro fidelibus terræ deprecantur.

Itaque inter Deum et omnia Ecclesiæ membra, inter membra Ecclesiæ ad invicem, regnat caritas quæ est "*vinculum perfectionis*" et eo usque tandem progredi debet ut in æternum omnes Sancti et omnes Angeli sint in unum consummati et " unus cum Deo spiritus[3] ".

1345. **Probatur** : **A**) *Scripturâ.* **a**) In *Synopticis* videmus a Christo annuntiari, præparari et fundari

---

[1] A. VIGUIÉ, art. *Communion des Saints*, in *Encyclopédie des sciences religieuses* (*Lichtenberger*), III, 286.

[2] Quod constat ex universali expositione catechismorum; cfr. *Catechismo publicato per ordine di S. S. Pio X*, Roma, 1912, p. 31.

[3] *I Cor.*, VI, 17.

regnum Dei[1] in quo homines ad acquirendam *vitam spiritualem*[2] et *salutem*[3] coordinantur non tantum potestate hierarchicâ Ecclesiæ, sed mutuâ et maxime concordi *caritate*[4], ita ut efforment veram *familiam* cujus Deus est *Pater*[5]. Hoc autem regnum coalescit non tantùm ex fidelibus in terrâ degentibus, sed etiam ex electis et Angelis[6], quorum gaudium præ flagranti caritate increscit peccatoris etiam perditissimi conversione[7].

b) Dogma communionis Sanctorum clarius elucescit in *Christi sermone* post ultimam cœnam : 1) sic declaratur unio discipulorum *cum Christo* : " Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum[8] "; 2) postea vero eorum unio *inter se*[9] : " Omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi unum sint... Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus ". — Utramque unionem exponit *S. Joannes*[10] : " Quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo ".

c) Idem dogma sæpe et diserte proponit *S. Paulus*, asserens Christum esse *caput morale* corporis mystici, cujus nos membra sumus[11]; ex quo tria infert : 1) singulos fideles spiritualiter proficere omnibus totius Ecclesiæ militantis precibus, operationibus, gratiis et meritis, ita ut totum bonum communitatis sit uniuscujusque partis emolumentum[12] : omnes enim sumus *corpus Christi*; sed *corpus non est unum membrum, sed multa;* unde " si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra[13] "; 2) adesse insuper communionem inter Ecclesiam militantem et Ecclesiam triumphantem : siquidem caritas, quâ fideles conjunguntur nunquam excidit, ideoque pre-

---

[1] *Matth.*, III, 2; XII, 28; *Marc.*, I, 5; *Luc.*, XVII, 20.
[2] *Matth.*, X, 14, 15, 40; XVIII, 17; *Marc.*, XVI, 15; *Luc.*, X, 16.
[3] *Matth.*, XII, 26.
[4] *Matth.*, XXII, 37-40; *Luc.*, XIV, 12-14; *Marc.*, XII, 33.
[5] *Matth.*, V, 45; VI, 9; *Luc.*, XI, 2; XII, 49.
[6] *Matth.*, XIX, 28; *Luc.*, XX, 30. — [7] *Luc.*, XV, 10.
[8] *Joan.*, XV, 5. — [9] *Joan.*, XVII, 21, 22. — [10] *Ia Joan.*, I, 3.
[11] *Rom.*, XII, 4, 5; *I Cor.*, XII, 12-27; *Ephes.*, I, 22-23; *Coloss.*, I, 18; II, 19; III, 14-15, etc.
[12] *I Cor.*, XII, 4-6; *Ephes.*, IV, 4-6. — [13] *I Cor.*, XII, 14, 26, 27.

cibus fiducialiter ad Sanctos accedere valemus : "Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, et testamenti novi mediatorem Jesum[1]"; 3) adhuc esse communionem inter Ecclesiam militantem et Ecclesiam patientem : siquidem Paulus effusâ caritate misericordias Domini carissimo Onesiphoro defuncto adprecatur[2].

1346. B) *Traditione*[3]. **a)** Per *tria priora sæcula*, duo præcipua hujus dogmatis elementa sparsa inveniuntur in operibus Patrum, nempe participatio quædam omnium fidelium bonis operibus et precibus ceterorum, necnon relationes inter Ecclesiam militantem et Ecclesiam triumphantem.

Ita *S. Clemens Papa* docet fideles unum corpus in Christo constituere, et in orationibus meritisque communicare, imo et beatis uniri quos imitari debent[4]; *S. Ignatius Martyr* se offert ut piacularem hostiam pro Ephesiis, orat pro fidelibus diversarum ecclesiarum, seseque fidelium orationibus commendat quæ in Deo et caritate fiunt[5]; *Clemens Alex.* describit angelos circumdantes discipulum Christi orantem etiam privatim; *Origenes*[6] diserte asserit, ex testimonio seniorum, Beatos pugnare nobiscum et adjuvare nos orationibus suis; quod et testatur *S. Cyprianus*[7].

b) *Quarto sæculo*, jam *ratio* hujus communionis expenditur.

1) *Græci*, cum *S. Basilio*, eam reponunt in influxu *Spiritûs Sancti*, qui non tantum fideles in terrâ degentes, sed etiam beatos in cælo regnantes eâdem caritate coadunat, et ex utrisque unam efformat civitatem, quæ est civitas Dei[8].

2) *Latini*, cum *SS. Hilario*[9] et *Ambrosio*[10], eam potius referunt ad doctrinam *de Ecclesiâ* : cælestis Ecclesia est veluti

---

[1] *Heb.*, XII, 22, 23. — [2] *II Tim.*, I, 18.
[3] P. BERNARD, l. c., 432-447.
[4] *I Corinth.*, XXXVIII, 1; LII, 2; LV, 6.
[5] *Ephes.*, VIII, 11; *Magnes.*, XIV; *Philad.*, V, 1, etc.
[6] *In Num.*, homil. XXIV, n. 1, *P. G.*, XII, 757; *De orat.*, XI, 1, *P. G.*, XI, 448.
[7] *De habitu virginum*, *P. L.*, IV, 464.
[8] *Lib. de Spiritu S.*, XXVI, 61, *P. G.*, XXXII, 181.
[9] *Tract. in Ps. LXIV*, 6 et *CXXIV*, 4, *P. L.*, IX, 421, 681.
[10] *Expos. in Lucam*, V, 11, *P. L.*, XV, 1723.

forma Ecclesiæ terrestris, quam protegit et adjuvat; fideles autem, communione corporis Christi et virtutum praxi, disponuntur ad ingrediendam civitatem sanctam Jerusalem, et si qui peccaverint, fratrum orationibus niti debent ad veniam a Deo exposcendam.

c) *Quinto sæculo*, *S. Augustinus* hujus doctrinæ theologicam synthesim tradit, quam postea sequentur et ampliabunt Scholastici.

Primo quidem tanquam principium inconcussum statuit Ecclesiam esse corpus Christi et quidem caritate ad unitatem redactum [1]. Unde ii tantum hujus unitatis perfecte participes sunt qui habent caritatem [2] : hæretici autem et schismatici ab hâc unitate avulsi sunt, peccatores sunt membra ægra et languida : pro hæreticis et peccatoribus est tamen orandum. Ad unitatem corporis Christi nobiscum pertinet Ecclesia cæli : " Templum ergo Dei sancta est Ecclesia, scilicet universa in cælo et in terrâ [3] "; pertinent omnes fideles ab initio (mundi) usque ad finem, " adjunctis etiam legionibus et exercitibus angelorum, ut fiat illa una civitas sub uno rege [4] ". Hujus autem corporis caput est Christus, anima est Spiritus Sanctus : " Totus Christus et caput et corpus est [5] ". " Societas unitatis Ecclesiæ Dei tanquam proprium est opus Spiritûs sancti, Patre et Filio cooperantibus [6] ". Ex quibus sequitur inter christianos *vitam esse communem* : " Officia diversa sunt, vita communis [7] "; fideles esse filios martyrum, qui pro nobis intercedunt et quos colere debemus : " Fructus laboris illorum etiam nos sumus [8] ".

1347. C) *Ratione analogiæ*. Sicut in ordine naturali lex *solidaritatis* viget, quâ omnes homines connectuntur, ita decebat justos cum Deo et inter se conjungi vitæ supernaturalis communitate, caritate affectivâ et effectivâ ; ita enim : a) Dei unitas et concordissima Trinitas glorificantur; b) creaturæ nobiliores nobiliori operi Dei, æternæ scilicet saluti, cooperantur dum sibi invicem auxilium et solamen afferunt : etenim " ad *bene esse* beatitudinis facit societas amicorum [9] ".

---

[1] *De unitate Ecclesiæ*, c. II, *P. L.*, XLIII, 392.
[2] *De baptismo contra Donatistas*, l. III, c. 17, *P. L.*, XLIII, 149.
[3] *Enchiridion.*, c. 56, *P. L.*, XL, 258.
[4] *Enarr. in Psalm.*, XXXVI, serm. III, 4, *P. L.*, XXXVI, 385.
[5] *Serm.*, CXXXVII, n. 1, *P. L.*, XXXVIII, 754.
[6] *Serm.* LXXI, n. 20, *P. L.*, XXXVIII, 463.
[7] *Serm.* CCLXVII, n. 4, *P. L.*, XXXVIII, 1231.
[8] *Serm.* CCLXXX, I, n. 6., *P. L.*, XXXVIII, 1283.
[9] S. THOMAS., *Sum. th.*, 1ª 2æ, q. 4, a. 8.

1348. **Corollarium.** Ex dictis satis apparet communionem Sanctorum esse quasi *synthesim* theologiæ tùm dogmaticæ tùm moralis. Etenim : **a**) Deus unus et trinus est *causa exemplaris* hujusce communionis; *causa efficiens principalis* est reapse tota Trinitas, et per attributionem Spiritus sanctus; *causa instrumentalis principalis* et *meritoria* est Christus utpote caput Ecclesiæ in suo triplici statu consideratæ; *causa instrumentalis secundaria* sunt sacramenta; *causa formalis* est gratia, cum comitatu virtutum infusarum, quâ vitæ divinæ participes efficimur; *causa finalis* et *consummatio* est gloria cælestis in quâ erit societas perfecta et æterna sanctorum cum Christo et gloriosâ Trinitate; **b**) omnia autem præcepta et consilia ac virtutum exercitium ad hoc tendunt ut caritas magis ac magis in corpore Christi augeatur, et ita unio inter membra et cum Capite magis ac magis perficiatur usque dùm consummetur in beatissimâ visione et caritate et possessione Dei cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.





INDEX RERUM ALPHABETICUS[1]

[1] Numeri *paginam* operis indicant.



EXCERPTA E CODICE.

De Baptismo. Can. 737 : " Baptismus, sacramentorum janua ac fundamentum, omnibus in re vel saltem in voto necessarius ad salutem, valide non confertur, nisi per ablutionem aquæ veræ et naturalis cum præscripta verborum forma ".

Can. 741 : " Extraordinarius baptismi sollemnis minister est diaconus; qui tamen suâ potestate ne utatur sine loci Ordinarii vel parochi licentia, justa de causa concedenda, quæ, ubi necessitas urgeat, legitime præsumitur ".

De Confirmatione. Can. 780 : " Sacramentum confirmationis conferri debet per manus impositionem cum unctione chrismatis in fronte et per verba in pontificalibus libris ab Ecclesiâ probatis præscripta ".

Can. 781, § 2 : " Unctio ne fiat aliquo instrumento, sed ipsâ ministri manu capiti confirmandi rite imposita ".

Can. 782 : " Extraordinarius minister est presbyter, cui vel jure communi vel peculiari Sedis Apostolicæ indulto ea facultas concessa sit. Hac facultate gaudent, præter S. R. E. Cardinales..., Abbas vel Prælatus *nullius*, Vicarius et Præfectus Apostolicus, qui tamen ea valide uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum ".

Can. 787 : " Quamquam hoc sacramentum non est de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet, oblata occasione, illud negligere; imo parochi curent ut fideles ad illud opportuno tempore accedant ".

De Eucharistiâ. Can. 814 : " Sacrosanctum Missæ sacrificium offerri debet ex pane et vino, cui modicissima aqua miscenda est ".

Can. 817 : " Nefas est, urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera, aut etiam utramque, extra Missæ celebrationem, consecrare ".

De Pænitentiâ. Can. 870 : " In pænitentiæ sacramento, per judicialem absolutionem a legitimo ministro impertitam, fideli rite disposito remittuntur peccata post baptismum commissa ".

Can. 872 : " Præter potestatem ordinis, ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas jurisdictionis, sive ordinaria sive delegata, in pænitentem ".

Can. 911 : " Omnes magni faciant indulgentias seu remissionem coram Deo pœnæ temporalis debitæ pro peccatis, ad culpam quod attinet jam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiæ concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii ".

De Extremâ Unctione. Can. 937 : " Extremæ unctionis sacramentum conferri debet per sacras unctiones, adhibito oleo olivarum rite benedicto, et per verba in ritualibus libris ab Ecclesiâ probatis præscripta ".

Can. 938 : " Hoc sacramentum valide administrat omnis et solus sacerdos ".

Can. 940 : " Extrema unctio præberi non potest nisi fideli, qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur ".

Can. 941 : " Quando dubitatur num infirmus usum rationis attigerit, num in periculo mortis reipsa versetur vel num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur sub conditione ".

De Ordine. Can. 948 : " Ordo ex Christi institutione clericos a laicis in Ecclesiâ distinguit ad fidelium regimen et cultus divini ministerium ".

Can. 951 : " Sacræ ordinationis minister ordinarius est Episcopus consecratus; extraordinarius, qui, licet charactere episcopali careat, a jure vel a Sede Apostolica per peculiare indultum potestatem acceperit aliquos ordines conferendi ".

De Matrimonio. Can. 1012 : " Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos. — Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum ".

Can. 1013 : " Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis ; secundarius mutuum adjutorium et remedium concupiscentiæ — Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas ac indissolubilitas, quæ in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti ".

E SUPREMÂ S. C. S. OFFICII

Die 7 Junii 1918, declaratum est *tuto doceri* non posse sequentes propositiones :

I. Non constat fuisse in anima Christi inter homines degentis scientiam quam habent beati seu comprehensores.

II. Nec certa dici potest sententia, quœ statuit animam Christi nihil ignoravisse, sed ab initio cognovisse in Verbo omnia, præterita, præsentia et futura, seu omnia quæ Deus scit scientia visionis.

III. Placitum quorumdam recentiorum de scientia animæ Christi limitata non est minus recipiendum in scholis catholicis, quam veterum sententia de scientia universali.

Imprimerie S. Jean l'Évangéliste. Desclée et Cie. — Tournai (Belgique).

